Ex Libris
Petri Adamoli
Regi à Consiliis, à portubus,
pontibus, transitibus que
urbis Lugdunensis ac
veteris Provinciæ, Summi
17 33

36-208900

808800

ANDREÆ SCHOTTI.

ITINERARIUM ITALIÆ.

VESALIÆ
Typis ANDREÆ HOOGENHVYSEN

Digitized by Google

ACAD.
SCIENTIAR
ET. ART
LUGD.

ILLUSTRISS
AC
REVERENDISS.

FRANCISCO

CARD.

BARBERINO

Andr. Schottus Soc. Jesu Presb.

S. P. D.

SI vera est, ut equidem censeo, Franciscе Cardinalis amplissime, Græci Oratoris sententia, hortantis ut heredes non modo, bonorum fortunæ ædeant in erciscunda familia hereditatem, sed amicos testatoris colere perseverent; officii mei esse duxi, ut fratris germani Franc. Schotti, Jureconsulti ac Senatoris patriæ, relicta ingenii monumenta tollerem ipse, ac quoad ejus à me fieri posset proveherem. Ediderat ille anno seculari sacro hujus ævi sexcentesimo supra millesimum sanus valensque Itinerarii Italiæ, rerumque & Antiquitatum Romanar. Libellos très, cupide, ut audio, à doctis hominibus exceptos, & ab iis qui se in viam Religionis ergo Romam versus darent, ad A-

IN ITINERIBUS OBSERVANDA.

DEUM *imprimis invocat quotidie profecturus, precibus Itinerum, quas mox è Romano Breviario subjiciam.*

I. Regio; in qua considerandæ nomina { vetera. recentia. sæpè mutata.

II. Ditio hominum { superiorum. nostrorum.

III. Nomen urbis, & ratio nominis si extet: item conditor, amplificator, aut instaurator alicujus loci.

In peregrinationibus observanda.

IIII. { 1. Flumina, eaq; aut { allabentia. propè distantia. deducta.
2. Mare alluens, aut portus.
3. Montes.
4. Silvæ, nemora, vel si quid aliud insigne.

V. Opera & hæc vel { Publica { Sacra: { Basilicæ. Monasteria. Templa.
Profana: { Palatia, arces, fora, armamentaria propugnacula, turres, & ratio munitionis.

Priv

Privata, ut quæ in civium ædibus ſunt inſignia, veluti horti, picturæ, fontes, ſtatuæ.

VI. Ratio gubernationis ad quam pertinent

1. Curia, in qua Senatores, & familiæ civium honeſtæ.
2. Scholæ, ut ratio educationis & inſtitutionis pueritiæ. Item viri docti, & Bibliothecæ.
3. Vulgi mores; quo pertinent, ratio victus & veſtitus; item opificia.

ITINERARIUM, SEU ITER AGENTIUM PRECES.

Ex Romano Breviario,

IN *ipſo itineris ingreſſu, Antiph.* In viam pacis.

Canticum Zachariæ.

BENEDICTUS Dominus Deus Iſraël: quia viſitavit, & fecit redemptioem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis: in domo David pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os ſanctorum: qui

IN ITINERIBUS OBSERVANDA.

DEUM *imprimis invocat quotidie profecturus, precibus Itinerum, quas mox è Romano Breviario subjiciam.*

I. Regio; in qua consideranda nomina { vetera. recentia. sæpè mutata.

II. Ditio hominum { superiorum. nostrorum.

III. Nomen urbis, & ratio nominis si extet: item conditor, amplificator, aut instaurator alicujus loci.

In peregrinationibus observanda.

IIII.
1. Flumina, eaq; aut { allabentia. propè distantia. deducta.
2. Mare alluens, aut portus.
3. Montes.
4. Silvæ, nemora, vel si quid aliud insigne.

V. Opera & hæc vel

Publica
- Sacra: { Basilicæ Monasteria. Templa.
- Profana: { Palatia, arces, fora, armamentaria propugnacula, turres, & ratio munitionis.

Priv

Privata, ut quæ in civium ædibus sunt insignia, veluti horti, picturæ, fontes, statuæ.

VI. Ratio gubernationis ad quam pertinent

1. Curia, in qua Senatores, & familiæ civium honestæ.
2. Scholæ, ut ratio educationis & institutionis pueritiæ. Item viri docti, & Bibliothecæ.
3. Vulgi mores; quo pertinent, ratio victus & vestitus; item opificia.

ITINERARIUM, SEU ITER AGENTIUM PRECES.

Ex Romano Breviario,

IN *ipso itineris ingressu, Antiph.* In viam pacis.

Canticum Zachariæ.

BENEDICTUS Dominus Deus Israël: quia visitavit, & fecit redemptioem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis: in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui

Ex Libris

Petri Adamoli

Regi à Consiliis, à portubus,
pontibus, transitibus que
urbis Lugdunensis ac
veteris Provinciæ, Summi

·17 33·

36-209300

806800

ANDREÆ SCHOTTI.

ITINERARIUM ITALIÆ.

VESALIÆ,
Typis ANDREÆ ab HOOGENHVYSEN.

ACAD.
SCIENTIAR.
ET. ART.
LUGD.

ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISS.
FRANCISCO
CARD.
BARBERINO

Andr. Schottus Soc. Jesu Presb.
S. P. D.

SI vera est, ut equidem censeo, Franciscе Cardinalis amplissime, Græci Oratoris sententia, hortantis ut heredes non modo, bonorum fortunæ ædeant in erciscunda familia hereditatem, sed amicos testatoris colere perseverent; officii mei esse duxi, ut fratris germani Franc. Schotti, Jureconsulti ac Senatoris patriæ, relicta ingenii monumenta tollerem ipse, ac quoad ejus à me fieri posset proveherem. Ediderat ille anno seculari sacro hujus ævi sexcentesimo supra millesimum sanus valensque Itinerarii Italiæ, rerumque & Antiquitatum Romanar. Libellos tres, cupide, ut audio, à doctis hominibus exceptos, & ab iis qui se in viam Religionis ergo Romam versus darent, ad A-

poſtolorũ Petri & Pauli, quæ à ſummo Pont. ritu ac ceremoniis majorum patefiunt, limina exoſculanda, luſtradaque leipſana ac loca ſancta Martyrum iſtic coronatorum ſanguine irrigata, ac pedibus impreſſa veſtigia.

Vertente verò in orbem altero nunc Jubilei anno ſacro, quinto & vigeſimo ſupra ſexcenteſimum hujus ſæculi, quia me nunc fratrem ad hæc calamitoſa patriæ tempora Deus reſervavit; feci non invitus φιλαδελφίας χάριν, & pietate erga fratrem vita functum inductus, ut Libellos fratris recenſerem, & augerem nonnihil acceſſione earum rerum quas oculis olim luſtraſſem, etſi jam à Religioſo viro R. P. *Hieronymo Capugnano* Ordinis Prædicatorum bis auctos viderem: qui in Veneta ditione quæ ei memoratu digna videbantur (ut inventis quid addere, difficile non eſſe ſemper eſt judicatum) patriæ Vicentiæ amore appendit. Frater certe meus ROMAM reſq; Urbis uberius pertractavit Libro II. ut & Neapolitanas ac Puteolanas Libro III. eſt perſecutus. Quem laborem ROBERTO Card. BELLARMINO conſecrarat lib. mer. quo morte pia obita in Beatorum ſedem trãſlato, alius fuit huic pupillo patronus deligendus, & Romæ quidem, quò iter eſt anno Jubilei inſtitutum. Tuis igitur, CARDINALIS, auſpiciis, & pietatis erga fra-

fratris Manes inſtinctu, edimus denuo ITINERARIUM, operamq; offerimus ac voluntatem noſtram, res Romanas utcumq; ornandi, eodemq; invitandi ac veluti manu ducendi per Urbem Eternam, ORBIS (ut multi etiam Græci, Galenus ac Polemon Sophiſta confitentur) UNIVERSI COMPENDIUM: ubi quondam & Antiquitatis omnis inſpector coram fui, & utriuſq; linguæ in Societate hac noſtra interpres exſtiti. Accipe igitur hilari vultu, per ego Te hanc dexteram rogo, ὁ ὁδηγὸν, *Viæ ducem*, Urbiſque Æternæ ſpeculatorem ſacrum, quando mihi affecta jam ætate eò vix liceat aſpirare, dum Sacerdotis ſacrorum ſummi benedictione in cœleſtem tendo Jeroſolymam, ubi Beati Dei Opt. Max. benignitate gaudio perfruuntur ſempiterno: accinens ita cum patruo tuo ſummo Pont. URBANO VIII. CHRISTI in terris Vicario:

ROMA *ſibi quondam quæ robore ſubdidit orbem.*
Argivo robur nomine ſignificat.
Obſita tunc tenebris taurino polluit aras
Sanguine, cum faceret ſacra nefanda Iovi
Vertit ab his mentem cultus exoſa deorum,
Et veri floret relligione Dei.
Si nomen vertas, AMOR *eſt, ut congruit? illi*
Nempius in populos cuncta fubegit. AMOR

IN ITINERIBUS OBSERVANDA.

DEUM *imprimis invocat quotidie profecturus, precibus Itinerum, quas mox è Romano Breviario subjiciam.*

I. Regio; in qua considerandæ nomina { vetera. recentia. sæpè mutata.

II. Ditio hominum { superiorum. nostrorum.

III. Nomen urbis, & ratio nominis si extet: item conditor, amplificator, aut instaurator alicujus loci.

In peregrinationibus observanda.

IIII. { 1. Flumina, eaq; aut { allabentia. propè distantia. deducta.
2. Mare alluens, aut portus.
3. Montes.
4. Silvæ, nemora, vel si quid aliud insigne.

V. Opera & hæc vel { Sacra: { Basilicæ. Monasteria. Templa.
Publica Profana: { Palatia, arces, fora, armamentaria propugnacula, turres, & ratio munitionis.

Priv-

Privata, ut quæ in civium ædibus sunt insignia, veluti horti, picturæ, fontes, statuæ.

VI. Ratio gubernationis ad quam pertinent

1. Curia, in qua Senatores, & familiæ civium honestæ.
2. Scholæ, ut ratio educationis & institutionis pueritiæ. Item viri docti, & Bibliothecæ.
3. Vulgi mores; quo pertinent, ratio victus & vestitus; item opificia.

ITINERARIUM, SEU ITER AGENTIUM PRECES.

Ex Romano Breviario,

IN *ipso itineris ingressu, Antiph.* In viam pacis.

Canticum Zachariæ.

BENEDICTUS Dominus Deus Israël: quia visitavit, & fecit redemptioem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis: in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui

à sæculo sunt, prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris: & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum: daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: serviamus illi.

In sanctitate & justitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri & Filio.

Sicut erat in principio.

Antiph. In viam pacis & prosperitatis dirigat nos omnipotens & misericors Dominus: & Angelus Raphael comitetur nobiscum in via, ut cum pace, salute, & gaudio revertamur ad propria.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Vers. Et ne nos inducas intentationē.

Resp.

Resp. Sed libera nos à malo.

Vers. Salvos fac servos tuos.

Resp. Deus meus, sperantes in te.

Vers. Mitte nobis Domine auxilium de sancto. *Resp.* Et de Sion tuere nos.

Vers. Esto nobis Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici.

Vers. Nihil proficiat inimicus in nobis. *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Vers. Benedictus Dominus die quotidie. *Resp.* Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.

Vers. Vias tuas Domine demonstra nobis. *Resp.* Et semitas tuas edoce nos.

Vers. Utinam dirigantur viæ nostræ. *Resp.* Ad custodiendas justificationes tuas.

Vers. Erunt prava in directa.

Resp. Et aspera in vias planas.

Vers. Angelis suis Deus mandavit de te. *Resp.* Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Vers. Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui filios Israel per maris mediũ sicco vestigio ire fecisti, quiq; tribus Magis iter ad te stella duce pandisti: tribue nobis quæsumus iter prosperum,

tempuſque tranquillum: ut Angelo tuo ſancto comite, ad eum quo pergimus locum, ac demum ad æternæ ſalutis portum pervenire feliciter valeamus.

DEus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum eductum, per omnes ſuæ peregrinationis vias illæſum cuſtodiſti: quæſumus, ut nos famulos tuos cuſtodire digneris. Eſto nobis Domine in procinctu ſuffragium, in via ſolatium, in æſitu umbraculum, in pluvia & frigore tegumentum, in laſſitudine vehiculum, in adverſitate præſidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce quo tendimus, proſpere perveniamus, & demum incolumes ad propria redeamus.

ADeſto, quæſumus Domine, ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietates, tuo ſemper protegamur auxilio.

PRæſta, quæſumus; omnipotens Deus: ut familia tua per viam ſalutis incedat, & beati Joannis præcurſoris hortamenta ſectando, ad eum, quem prædixit, ſecura perveniat, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſeculorum.

Reſp.

Resp. Amen.
Vers. Procedamus in pace.
Resp. In nomine Domini. Amen.

LIBRO I.

ITER *scribitur Tridento Venetias, & inde Brixiam. Brixiâ triplici viâ Mediolanum ducitur viator. Mediolano per Æmiliam, Bononiam acceditur, & Bononiâ per Hetruriam Romam.*

Aliud est ex Mediolano, per Cenomanos, Ferrariam; unde Venetias, & Ariminum.

Arimino & Fano, per Flaminiam, Fulgineum inter Umbros. Per Picenos vero, Lauretum, Mœcreatam, Fulgineum. Fulgineo Romam.

LIBRO II.

ROMA, *ejusque admiranda, tum divina, tum humana.*

LIBRO III.

ITER *Româ Neapolim per Latium, & Campaniam, indeque Puteolos, & reditus Tibur amœnissimam Italiæ urbem.*



ITALIÆ
LAUS ET DIVISIO.
POMPONIUS MELA.

Lib. II. de Situ orbis, cap.

ACAD. SCIENT. LITT. ET ART. LUGD.

ITALIA.

Schott.

DE ITALIA magis. quia ordo exigit, quàm quia monstrari eget, pauca dicentur: nota sunt omnia. Ab Alpibus incipit in altum excedere, atque ut procedit mediam se perpetuo Appennini montis jugo attollens, inter Adriaticum & Thuscum, sive, ut aliter eadem appellantur, inter Superum mare & Inferum excurrit, diu solida. Verum ubi longè abit, in duo cornua scinditur, respicitque altero Siculum pelagus, altero Jonium: tota angusta, & alicubi multò quàm unde cœpit angustior. Interiora ejus aliæ aliæque gentes habitant. Sinistra parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam: tum Italici populi, Picentes, Frentani, Dauni, Appuli, Calabri, Salentini. Ad dexteram sunt sub Alpibus Ligures, sub Apennino Hetruria: post Latium Volsci, Campani, & super Lucaniam Brutii. Urbium quæ procul à mari habitantur opulentissimæ sunt, ad sinistram. Patavium Antenoris, Mutina, & Bononia, Romanorum coloniæ: ad dexteram, Capua à Thuscis, & Roma quondam à pastoribus condita, nunc si pro materia dicatur, alterum opus. At in oris proxima est à Tergeste Concordia. Interfluit Timanus, novem capitibus exurgens, uno ostio emissus. Deinde Natiso non longè à mari ditem attingit aquileiam: ultra est Altinum. Superiora late occupat littora Padus. Namque ab imis radicibus

Ve-

Veſuli montis exortus parvis ſe primum fontibus colligit, & aliquatenus exilis ac macer, mox aliis omnibus adeo augeſcit atque alitur, ut ſe per ſeptem ad poſtremum oſtia effundat. Unum de iis magnum, Padum appellant. Inde tam citus profilit, ut diſcuſſis fluctibus diu qualem emiſit undam agat, ſuumque etiam in mari alveum ſervet, donec eum ex adverſo littore Iſtriæ eodem impetu profluens Iſter amnis excipiat. Hac re per ea loca navigantibus, qua utrimque amnes eunt, inter marinas aquas dulcium hauſtus eſt. A Pado ad Anconam tranſitur Ravenna. Ariminum, Piſaurum, Faneſtris colonia, Senegallia flumen Metaurus, atque Eſis, & illa in anguſto illorum duorum promontoriorum ex diverſo coeuntium, inflexi cubiti imagine ſedens, ac ideo à Graiis dicta, Ancon, inter Gallicas Italicaſque gentes quaſi terminus intereſt. Hanc enim prægreſſos Piceni littora excipiunt: in quibus Numana, Potentia, Claterna, Cupra, urbes: Caſtella autem, Firmum, Adria, Truentum: id à fluvio, qui præterit, ea nomen eſt. Ab eo Samnites maritima tenent ad Aterni fluminis oſtia. Urbes, Bucara & Hiſtonium. Dauni autem Tifernum amnem, Cliterniam, Larinum, Theanum, oppida: montemque Garganum. Sinus eſt continuo Appulo littore incinctus, nomine Urias, modicus ſpatio, pleraque aſper acceſſu Extra, Sypuntum, vel ut Graii dixere, Sypius: & flumen quod Canuſium attingens, Aufidum appellant. Poſt Barium, Egnatia, & Ennio cive nobiles Rudiæ: & in Calabria Brunduſium, Valetium, Lupiæ, Hydrus mons, tum & Salentini campi, & Salentina littora, & urbs Graja, Gallipolis. Hucuſque Adria, hucuſque Italiæ latus alterum pertinet. Frons ejus in duo quidem ſe cornua (ſicut ſupra diximus) ſcindit, ceterùm mare, quod inter utraque admiſit tenuibus promontoriis ſemel iterumque diſtinguens, non uno margine circuit, nec diffuſum patenſque, ſed per ſinus recipit. Primus Tarentinus dicitur, inter promontoria Salen & Lacinium, in eoque ſunt Tarentum

rentus. Metapontum, Heracles, Croto, Turium, Secundus Scyllaceus, inter promontoria Lacinium & Zephyrium, in quo eſt petilia, Cœcinum, Cyllaceum Miſtræ. Tertius inter Zephyrium & Brutium. Conſilinum, Caulonium, Locroſque circumdat. In Brutio ſunt, Columna regia, Rhegium, Scylla, Taurianum, & Metaurum. Hinc in Thuſcum mare deflexus eſt, & ejuſdem terræ latus alterum Terina, Hippon. nunc Vibon, Temeſa. Clampetia, Blanda, Buxentum, Velia, Palinurus, olim Phrygii gubernatoris, nunc loci nomen, Pæſtanus ſinus, Pæſtum oppidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ quas Sirenes habitavere, Minervæ præmontorium, optima Lucaniæ loca, Sinus Puteolanus, Surrentium, Herculanæum, Veſuvii montis aſpectus. Pompeji, Neapolis, Puteoli. Lacus Lucrinus, & Avernus, Bajæ, Miſſenum, id nunc loci, aliquando Phrygi, militis nomen, Cumæ, Linternum, Vulturnus amnis, Vulturnum oppidum amœna Campaniæ littora Sinuſſa, Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina, Circes domus aliquando Circeli. Antium, Aphrodiſium, Ardea, Laurentum. Oſtia citra Tiberim in hoc latere ſunt; ultra, Pyrgi, Anio, Caſtrum novum, Graviſcæ, Coſſa, Telamon, Populonia, Cecina, Piſæ, Hetruſca & loca & nomina. Deinde Luna, Ligurum & Liguria, & Genua, Sabbatia, & Albigaunum. Tum Paulon & Varus flumina, utraque ab Alpibus delapſa; ſed Varus quia Italiam finit, aliquantò notior, Alpes ipſæ ab iis littoribus longè lateque diffuſæ, primò ad Septemtrionem magno gradu excurrunt: deinde ubi Germaniam attigerunt, verſo impetu in Orientem abeunt, direptiſque populis in manibus, uſque in Thraciam penetrant.

ITALIÆ ELOGIUM PLINIANUM,

Ex lib. III. *cap.* V. *Hiſtor. Nat.*

ITALIA omnium terrarum alumna, eadem & parens, numine Deum electa, quæ cœlum ipſum cla-

clatius faceret, ſparſa congregaret Imperia, rituſque molliret, & tot populorum diſcordes feraſque linguas, ſermonis commercio contraheret ad colloquia & humanitatem homini daret, breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Sed quid agam? tanta nobilitas omnium locorum, quos quis attigerit; tanta rerum ſingularum, populorumque claritas tenet. Urbs Roma, vel ſola in ea, & digna tam feita cervice facies, quo tandem narrari debet opere? Qualiter Campaniæ ora per ſe, felixque illa ac beata amœnitas: ut palam ſit, uno in loco gaudentis opus eſſe naturæ. Jam vero tota ea vitalis ac perennis ſalubritas, cœli temperies eſt: tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii ſaltus, tam opaca nemora, tam munifica ſilvarum genera, tanta frugum & vitium, olearumque fertilitas, tam nobilia pecorum velleta, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas, totam eam perfundes: tot matia, portus, gremiumque terrarum cumque terrarum commercio patens undique, & tamquam ad juvandos mortales ipſos avide in mare procurrens. Neque inania, rituſque, ac viros, & linguas manuque ſuperatas commemoro gentes. Ipſi de ea judicavere Græci, genus in gloriam ſuam effuſiſſimum, quoniam partem ex ea appellarunt Græciam Magnam.

P. VIRGILII MARONIS.

Lib. II. Georg.

Divisa arboribus patria; ſola India nigrum
Fert ebenum, ſolis eſt thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam ſudantia ligno.
Balſamaque & baccas ſemper frondentis acanthi?
Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos?
Et gens illa quidem ſumptis non tarda pharetris.
Felicis mali: quo non præſentius ullum,
Pocula ſi quando ſæva infecere noverca,

Sed

Sed neque Medorum silva, ditissima terra,
Nec pulcer Ganges atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent, non Bactra, neque Indi:
Totaque thuriferu Panchaia pinguis arena.
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertere, satis immanis dentibus hydris:
Nec galeis, densisque virum seges horruit hastis:
Sed gravidæ fruges, & Bacchi Massicus humor
Implevere: tenent oleæque armentaque lætæ.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert:
Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa deûm duxere triumphos.
Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas:
Bis gravida pecudes: bis pomis utilis arbos.
At rabida tigres absunt, & sæva leonum
Semina: nec miseros fallunt aconita legentes:
Nec rapit immensus orbes per humum neque tanto
Squammeus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem,
Tot congesta manu præruptis oppida saxis,
Fluminaque antiquos subter labentia muros.
An mare, quod supra, memorem quodque alluit infra?
Anne lacus tantos? te Lari maxime teque
Fluctibus, & fremitu assurgens Benace marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus æquor,
Julia quà ponto longè sonat unda refuso,
Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos, aerique metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus creavirûm Marsos, pubemque Sabellam
Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit: hæc Decios, Marios magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar,
Qui nunc extremis Asia jam victor in oris,
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum:
Salve magna parens frugum Saturnia tellus,

Magna

Magna virûm, tibi res antiquæ laudis, & artis,
Ingredior, sanctos ausus recludere fonteis,
Asciumque cano Romana per oppida carmen.

ITALIÆ FIGURA.

FIGURAM Italiæ Plinius & Solinus similem faciunt folio querno, ut longitudine sit amplior quam latitudine, in læva se flectens cacumine: & Amasonicæ figura definens Parmæ, ubi à medio excursu Cocynthos vocatur, per sinus lunaeos duo cornua emittens: Leucopetram dextrâ. Lacinium sinistrâ. Alii vero tibiæ, vel potius integri cruris humani, à coxendice in imum pedem, effigie Italiam pingunt; de quo vide Leandrum in Italia. Ceterum, longitudo Italiæ est decies centenorum & viginti millium passuum: latitudo vero maxima quadringentorum decem millium, inter mare Superum ac Inferum, & inter amnes Varum Arsiamque; media, centum triginta senum, circa urbem Romam ferè, ab ostio, Aterni amnis, usque ad ostium Tiberis, quorum ille mare influit Adriaticum, hic Tyrrhenum: minima vero non ampliùs quadraginta millium, inter portum Magnæ Græciæ, quem Annibalis castra nominant, & mare Tyrrhenum. Umbilicus autem Italiæ est lacus Cutilius in agro Reatino, ut vult Plinius & Varro. Circuitus vero & ambitus universæ Italiæ, vicies quadragies novies centeno millia, in quo tamen non omnes Scriptores consentiunt.

RUTILII CLAUDII NUMATIANI.

Italiam rerum dominam qui cingere visu,
Et totam pariter cernere mente velit:
Inveniet querno simulem procedere frondi,
Arctatam laterum conveniente sinu.
Millia per longum decies centena teruntur
A Ligurum terris ad freta Sicania.

In latum variis damnosa anfractibus intrat
Tyrrheni rabies, Adriacique sali.
Qua tamen est juncti maris angustissima tellus,
Triginta & centum millia sola patet.
Diversas medius mons obliquatur in undas,
Qua fert atque refert Phœbus uterque diem,
Urget Dalmatibus Eoo vertice fluctus,
Carulaque occiduis frangit Etrusca jugis.
Si factum certa mundum ratione fatemur,
Consiliumque Dei machina tanta fuit,
Excubiis Latiis prætexuit Apenninum,
Claustraque montanis vix adeunda viis.
Invidiam timuit natura parumque putavit
Arctois Alpes opposuisse minis.
Sicut vallavit multis vitalia membris,
Nec semel inclusit quæ pretiosa tulit.

ITALIÆ VETERIS MORES, EX P. VIRGILII LIB. IX.

DUrum à stirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus sævoque gelu duramus & undis.
Venatu invigilant pueri, sylvaque fatigant;
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum, par voque assuetu juventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello
Omne ævum ferro teritur, versaque juvencûm
Terga fatigamus hasta; nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Caniciem galea premimus, semperque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.

ITALIÆ ORIGO VETUS. EJUSDEMQ POPULORUM ET URBIVM RECENSIO

Ex Jo. Joviane Pontani Histor. libro sexto.

ITALIAM (cui postea universæ nomen est hoc inditum, paulatimque prolatum finibus, Imperio-

que

que ab Jonio mari ad Alpes usque complexum est omnia quæ Supero Inferoque abluuntur) habuere ab initio Umbri; genus hominum bellicosum, acre, Imperii cupidum, quicq; paulatim mediterraneis ac montanis à locis digressi, mare versus Hadriaticum, fines protulerint: ipsi reliqui superstitesque diluvioni, quæ Deucalione regnante in Græcia, ab Ægyptiis, Græciæque ipsius Scriptoribus extitisse memorantur. Qua tempestate Atlana absorpta, insula rerum quondam in Occasu potita, unde etiam nomen pelago inditum, irrumpente Oceano, mare hoc immissum est mediterraneum, quo tunc submersa atque hausta fuêre cuncta, quibus nunc interjectis, Europa Africaque inter se atque Asia distinentur, Fabulosa sane res existimata, propter Poëtarum decantata admirabiliter ea de re carmina: ceterum quæ nec à natura ipsa rerum abhorreat, & Ægyptiorum consentiat historiis. Hos ante tenuerant Liburni partem eam, quæ est ad Superi maris sinum. Quibus pulsis Umbri armis eam occupavere, quaque imperium protulerunt, tractum omnem vocavere Umbriam, viris post oppidisque diuturnum ob dominatum maxime frequentem. Liburnis finitima tenuere Siculi, atque Aborigines, gens indignena, vel, ut alii volunt, ex Arcadia profecta, duce Oenotro. Lycaonis Arcadiæ regis filio: qui postea genti nomen dederit. Cujus etiam frater Peucetius oram alteram Superi maris occupaverit, eaque sit ab illo appellata Peucetia, quæ ante fuisset Japygia. Regium itaque nomen gentis universæ ab Oenotro cœpit, post quem aliquo interjecto intervallo Italus & ipse rex iisdem est à populis dictus. Ab Italo autem & Morges, & Siculus, qui à Morgete fratre dissentiens, dedit parentibus sibi populis nomen Siculis, perinde ut ab illo altero nominati sunt Morgetæ Atque hæc quidem omnia multis ætatibus ante obsessum Ilium. Hodie quoque post Mersorum atque Aquilanorum fines est ager, qui Siculorum nomen servat, mutata prima nominis liteta; Ciculi quippe vocantur. Nam

& Sici-

& Sicilia insula ex illis dicta, ab illiteratis hodie hominibus Cicilia dicitur,eâdem mutata litera.Est & vallis item Ciciliana, quæ Præcutinorum est in Vestinis, qui sunt inter Aternum atque Truentum amnes quæ regio Piceni quondam fuit: nunc verò est Aprucii. Successit deinceps illis Latinus, belli Trojani temporibus,à quo prisci vocati Latini.Inter Siculos autem atque Aborigines diutius certatum cum esset, accessere Aboriginum opibus Pelasgi: quibus è Thessalia pulsis, ad eam cum adnavigassent oram,quæ est proximè Padi fluminis ostia, postque aliquantum temporis ejecti cum inde ab Umbris essent,Aborigines ipsi dedere eis sedes in Reatinorum finibus,eorumque auxilio commixtis viribus, Siculorum res vehementius attivere. Quibus denique attritis, Siculi relictis sedibus,gravissimos post labores ac pericula,in Trinacriam trajecere, quam occupatam, suo è nomine vocavere Siciliam. Tenuerunt autem in initio Itali, qui ab Oenotriis sunt Aboriginibusque profecti quantum interim agri Tiberi continetur Lyrique fluminibus: eaque prisca fuit Italia, iique Italici populi. Tiberim ultra tenebant tunc Hetrusci, quos Tyrrhenos etiam dictos volunt. Hi paulatim eò potentiæ pervenerunt, ut Umbrorũ ipsi imperium dejecerint,omnisque Italia ab exteris nationibus, præsertimque à Græcis,ob illorum potentiam fuerit appellata Tyrrhenia. Supra Hetruscos tenuere Ligures,& ipsi antiqua gens,quæque ausa fuit venienti in Italiam Herculi ire obviam instructa acie. Quin etiam quorumdam opinio fuit, Aborigines illorum aliquando fuisse colonos Hetruscos diutius imperantes,superatis Alpibus.Galli pepulere universo ex agro, quem ultra Apennium montem,ac secundum Padum fluvium possederant, quorum etiam oppidum fuit Sena quæ hodie quoque Gallica agnominatur. Trans Lyrim verò, proximisque Lyri regionibus, diversis tamen ætatibus, imperii vere Ausonii, Opici,Osci. Hetrusci, Samnites, Campani.Ausonii quidem videntur fuisse antiquiores,

quam

quam ut ab Auſonæ Ulyſſis filio nomen acceperint. Nam & partem illam terræ Brutiæ, quæ eſt ad mare Jonium, ſatis conſtat longè prius vocatam Auſoniam, eamque Auſones primos tenuiſſe, & mare ipſum Auſonium appellatum: & ut Halicarnaſſeo placet Dionyſio, quod poſt vocatum eſt Tyrrhenum, ante Oenotri adventum ab accolis mare dicebatur Auſonium. Opici verò fuere, qui & Auſonii ipſi indigenæ, ut Rutili, ut Volſci. At Oſci Padi accolæ, ac pulſi ipſi, ſuis Opicos e ſedibus pepulere, hos dein Cumania Chalcide deducta colonia, Hippocle Cumæo & Chalcidenſe Megaſthene ducibus. Hi cum opibus auctoritateque aucti admodum eſſent, ſubjêcere ſibi finitimos populos: omnem poſt eis agrum ademere Hetruſci, ac variante fortuna, Samnites Hetruſcis. Dicti autem Samnites à noſtris initio Sabelli, ipſique à Sabinis orti, poſtquam in Sabinorum nomen tranſiere, qui antea Oenotrii fuerant atque Aborigines. Ex iis deinde agris Samnites hos ejicere Campani, quorum princeps fuit urbs Capua. A Samnitibus quoque profecti ſunt Lucani, qui ſecundum eos trans amnem Silarum, ſedes ſibi Imperiumque compararunt. Permultis tamen ante Lucanos ætatibus imperitaverunt ea in regione Pelaſgi atque Oenotrii; unde inſulæ quæ in Lucanorum mari ſitæ, Oenotriæ apellatæ, atq; ab Oenotriis orti Itali, Morgetæ & Siculi illis ſucceſſere, inter quos diutius etiam bella geſta: qua è re à Græcis Scriptoribus pars ea vocata eſt Italia. Ultimi autem Lucani à Samnitibus emiſſi, occupavere regionem, eque ducis nomine vocavere Lucaniam. A Lucanis orti Brutii, paſtoralis initio gens, ſuiſque ab domibus digreſſa. Poſt eos quod reliquum eſt, tenuere Græci ad mare Jonium, diverſo tempore pluribus deductis coloniis, in plaga præſertim maritima, Magna etiam Græcia olim dicta. Nec tamen defuere è Græcis Scriptoribus, qui arbitrati ſint, oram Italiæ illam ultimam quæ Iſthomo contenta peninſulam qua ſi quamdam efficit, Italiam initio dictam, ab Italo quodam, quem populares,

lares, propter ſapientiæ probitatiſque opinionem, quam ipſe etiam dicendi ſuavitate concitaſſet, regem ſibi conſtituerint. Satis tamen conſtat, tum Heſperiam, tum Auſoniam, ante Herculis in Italiam adventum, à Græca præſertim gente vocari ſolitam. Hic ſtatus pæne rerum in Italia fuit ante bellum Trojanum, & poſt Æneam atque Aſcanium, Albæ regnantem, donec Romanorum res adolevere, ipſique tandem Italia ſunt potiti. Sed ut ad Opicos redeamus, à quibus Thucydides tradit Siculos fuiſſe ejectos ſedibus, quod videlicet Opicorum tunc celebre eſſet nomen; Phlegræus eorum ager fuit, in quo pleriquè volunt geſta, quæ de Gignantibus memorata ſunt in fabulis, ab inteſtinis terræ incendiis dictus. Quo in agro principes extitere urbes Cumæ, Puteoli (quæ Græcè eſt Dicæarchia) & Neapolis. Hanc igitur finitimamque oram, quæ eſt ad amnem Lyrim, Vlyſſis bellique Trojani temporibus, tenebant Læſtrigones atque Sirenes: tenuere & Cimmerii, genus hominum furtis ac latrociniis aſſuetum, hique ſpecus, quàm domos, magis incolebant, deductiſque intrinſecus ſub terram cuniculis diverſabantur. Cumque celebre apud ipſos oraculum eſſet, fierentque Avernum ad lacum ſacra in Ditis patris honorem, in quibus, evocatis manibus, futura noſcitabantur, hac ratione multos morales, qui ad ſacra conveniebant atque ad oraculum conſulendum, deprehenſos in meatibus locisque ſubterraneis ſpoliandi libidine clàm obtruncabant: demum ſcelera eorum deprehenſa, ipſi ſupplicio affecti, ſedeſque eorum everſæ, ac penitus deletæ. Opicorum inſula fuit Prochyta, fuit Ænaria: fuere & Pontia, & Pandateria, & quæ dicta eſt de Sirenis unius nomine, Parthenope, nam & ab alterius quoque ſepulchro Leucoſia dicta eſt, etiam brevis quædam inſula, Pæſtanum contra ſinum poſita, &c.

ITALIÆ DIVISIO.

MULTIPLEX traditur diviſio italiæ: ſed com-

communissima tamen est illa, quòd alia Vetus, alia Nova esse dicitur. Quarum illa à Rubicone fluvio, usque ad Siciliam, versus Orientem & Austrum producitur: hæc verò ad Aquilonem & Occasum, cis Alpes & Padum, versus Galliam extenditur: unde & Gallia Cisalpina, sive Togata cognominata est, quæ Lombardiæ posteà nomen, à Longobardorum imperio, adepta est. Eaque est duplex, quarum quæ cis Padum est, Cispadana; quæ verò trans Padum, Transpadana appellatur.

ITALIÆ DIVISIO.

CATONIANA ET SEMPRONIANA.

ITALIA
- Apennina, in qua sunt
  - Ligures
    - Montani
    - Apuani
  - Umbri
  - Sabini
  - Sabelli
  - Hetrusci
- Cispenninа, in qua sunt
  - Ligures
    - Montani
    - Apuani
  - Lucani
  - Picentini
  - Cumani
  - Hetrusci
    - Populonii
    - Tyrrheni
- Transapennina, in qua est Gallia Cisalpina
  - Transpadana
  - Cispadana
  - Togaa
- Alpina, quæ Alpes continet
  - Ligurinas
  - Pœninas, inter Pœninum Ocramque montes.
  - Tarvisanas, ab Ocra usque in Histrinam,

ITI-

ACAD.
SCIENT. ITT
ET ART.
LUGD

TRIDENTVM

ITINERARII
ITALIÆ
LIBER PRIMUS.

Per Galliam Cisalpinam, Picenum, Etruriam & Latium.

ITER TRIDENTO ET VENETIIS MEDIOLANVM VERSVS, ET INDE ROMAM.

Ex Hieronymi Capugnani Additionibus.

TRIDENTUM.

Capug.

URBEM *Tridentum* ad Athesim, loco amœno & salubri positam, quam in decima Regione Italiæ inter populos Mediterraneos Plinius & Strabo collocant, Gallos condidisse, scribit Trogus; alii Ethnicos, qui Duce *Rhæto* in Alpibus sedes figentes, *Rhætiæ* nomen dedere, sed auctam post fuisse à *Brenno* Duce Gallorum. Ut ut se res habet, civitas est perantiqua, quæ à primordio varios sortita gubernandi modos tandem Imperii Romanorum, cui diu subjecta fuit, inclinatione cessit Ostrogothorum potentiæ, quorum Rex *Theodoricus*, ut Regnum suum ab eo latere tutius redderet, cinxit eam muro è lapide quadrato, ut etiamnum licet videre, non ineleganter; complexus circiter mille passus, forma propemodum arcuata, munitque *Castellum Verrucæ*, ex altera fluminis ripa Tridento imminens. Post, ejectis ex Italia Ostrogothis, subjugarunt hanc civitatem Longobardi, tituloque Ducatus Imperio suo

subditam tenuerunt. Sed & his cum eorum Rege *Desiderio* à *Carolo Magno* profligatis, postliminio ad jus rediit Imperatorum, ex quo initium opibus amplificandæ Ecclesiæ Tridentinæ. Nam Carolus Ripam oppidum ad Becanum, valles quasdam & jurisdictiones pro sua in Deum pietate, atque Ecclesias munificentia, Episcopo largitus, & præclarè de hac ipsa Ecclesia est meritus, & successoribus suis Imperatoribus Regibusque Rom. præbuit documentum liberalitatis. Sed supra ceteros eminuit liberalitas *Conradi Saxonis*, ejus nominis II. Imperatoris, & Franciæ Orientalis Ducis, qui Comitatum Tridentinum, seu Ducatum, seu Marchionatum, item Vallem venustam, ac Balzamum Ecclesiæ huic donavit, Jus profanum, quod temporale vocant, sacro & spirituali conjungens; quam dominationem deinde ratam habuerunt Suevici sanguinis Imperatores *Fridericus I.* & *II.* Habiti sunt deinc Episcopi Tridentini Principes Imperii iisque ab Impp. Diplomata (Regalia appellant) ut ceteris Principibus data. Et ut hujus tam insignis Ecclesiæ status perpetuò tutior securiorque persisteret, adscitus est ei Defensor & Protector vicinus Comes Tyrolis, cujus potentia atque auctoritas ipsius Episcopo & Ecclesiæ ad omnes casus esset præsidio. Hoc onus ut alacriùs susciperet Comes, ornatus fuit ab Episcopo beneficiis minimè vulgaribus, castris videlicet atque jurisdictionibus: ex quo inter ipsos Comites & Episcopos ad totius Provinciæ & Dominiorum securitatem nata est mutuò succurrendi atque auxilium ferendi necessitudo. Exercet itaque Episcopus præter spiritualem jurisdictionem, etiam temporalem, quam acceptam fert Imperatoribus, quos solos ac supremos ea in re Dominos agnoscit & honorat. In spiritualibus verò est illi Metropolitanus Patriarcha Aquilegiensis. Et quãquam civitatem Tridentinam anteà spectabilẽ multa reddebant, ut templum Cathedrale operis exquisiti, S. *Vigilio* Episcopo & Martyri consecratum,

Col-

Collegioque Canonicorum, vel nobilitate generis, vel doctrina illustrium, ipsius Episcopi liberam electionem habentium insigne, & in quo Sancti hujus, atque ejus matris *S. Maxentiæ*, aliorumque Sanctorum corpora & Reliquiæ præcipua in veneratione habentur, ut item in templo *D. Petri*, quod Germanorum est. *B. Simeon* puer ante annos centum à perfidis Judæis martyrio coronati corpus multis miraculis clarum: ut Arcis quam Episcopus inhabitat magnificentissima regique palatii in modum structura, ut ædium privatorum elegantia & commoditas tanta, quanta in ulla alia civitate mediocri, qualis est hæc, reperiri affirmant illi, qui pleraſque orbis regiones civitatesque peragrarunt: ut rivuli, plateas omnes silice concinnè stratas perenni decursu irrigantes atque immunditiem omnem abluentes huic tamen civitati tantum addidit celebritatis sacrum & Oecumenicum superioribus annis in ea habitum finitumque Concilium, ut propterea inter præcipuas Europæ civitates meritò debeat numerari. Est quidem Alpestris hujus regionis situs, sed tamen præter aëris miram salubritatem, iis abundat ad vivendum commoditatibus, ut paucis æquali magnitudine regionibus debeat invidere. Nam frumenti, olei, lactis, carnis tam altilis quam ferinæ, piscium quoque, & omnis generis fructuum ea hic est præstantia atque copia, ut VII. S. R. E. Cardinalibus, inter quos quingue erant Sedis Apostolicæ Legati, XII. Patriarchis, Archiepiscopis XXXIII. Episcopis CCXXXV. Abbatibus VII. Ordinum Generalibus VII. Theologis, tum sæcularibus tum Regularibus CXLVI, Ferdinandi Cæsaris, tam Imperiis quam Regnorum suorum Hungariæ & Bohemiæ nomine, Regum Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, Portugalliæ, Venetorum, Ducum Bavariæ, Sabaudiæ, Florentiæ, aliorumque Ecclesiasticorum Principum: Item Helvetiorum VII. Cantonum Oratoribus, eorumque familiis quæ in universum quatuor millium capitum numerum ex-

cedebant, cum omniũ admiratione, commeatus aliaque ad ſuſtentationem neceſſaria ſuppererent Gens ipſa hoſpitalis eſt aperta, iras quacumque de cauſa conceptas facilè remittens, in quo Germanicã ingenuitatem refert, quæ, ſi quo valet ingenio, id ad publicam rem privatamque amplificandam conferret ſtudioſiùs, futurum eſſet ut civitas hæc, p opter ipſius ſitum fluminiſq; opportunitatem, vicinas opibus vel ſuperaret, vel certè æquaret. Argumento eſt, quod qui hinc egreſſi peregrinis in regionibus verſantur, alii optimarum diſciplinarum egregia cognitione, alii virtute bellica, militiæq; officiis etiam primariis, alii negotiatione, alii aliis bonis rationibus & rem & exiſtimationem non parum auxerunt. Ac fuerunt intereos omni tempore viri, & ſunt qui vel propter Sacratum & Civilium Legum, vel artis Medicæ ſcientiam, hi Imperatorum, Regum, aliorumq; magnorum Principũ tuendæ ſanitati periti cuſtodes accerſiti; illi Juri dicundo, Legationibus aliiſve honeſtiſſimis muneribus præfecti, laudem magnam retulerint, hodieque ſimilibus ex functionibus referunt. Præter Jus commune, habent Tridentini Leges municipales, quas eiſdem Epiſcopus tamquam ipſorum Princeps confirmat. Utitur civitas hæc idiomate Germanico & Italico, utpote ex his nationibus conflata, quamquam longè ſit major numerus Italorum. Et quod in civitatibus limitaneis perrarum eſt, tanta eſt utriuſque ſermonis puritas, ut vel in media Germania vel Italia vix audias puriùs loquentes. Portas habent quatuor, *S. Martini, S. Laurentii, S. Crucis* & *Aquilanam*: Xenodochia quatuor: Parochias item quatuor, *S. Vigilii, S. Petri, S. Mariæ Majoris*, & *S. Mariæ Magdalenæ*. Monaſteria in ipſa urbe duo, *S. Auguſtini, ad S. Marcum*, virorum, & ad *S. Trinitatem*, mulierum Obſervantium. In ſuburbio quinque, *Crucigerorum. S. Dominici, ad S. Laurentium. S. Franciſci* Conventualium, & alterum Obſervantium ad *S. Bernardinum*. Item *S. Claræ, ad S. Michaelem*. Numerat Eccleſia Tridentina-

na à *Jovino* primo Paſtore & Epiſcopo inſtituto à *S. Hermagora* ejuſdem Eccleſiæ fundatore, nunc nonageſimum ſeptimum *Ludovicum* ex Baronibus *Madrucil*, in ipſo Epiſcopatu oriundum. S.R.E. Cardinalem, apud Sedem Apoſtolicam Nationis Germanicæ Protectorem: virum, in quo ſive doctrinæ in Theologia ac Philoſophia, omniſque liberalibus diſciplinis excellentiam, ſive rerum maximarum uſum, ſive pietatem in omnes, ſive denique Religionis Catholicæ amplificandæ ſtudium ſpectes, nihil queat deſiderari licet aliquot ordine ſequentes ipſum *Jovinum* ſine mitra Epiſcopali præſederint huic Eccleſiæ. Inter Epiſcopos præcipuè celebratur memoria *S. Vigilii*, doctrina, martyrio & miraculis clari, cui dicatum eſt templum Cathedrale, & anniverſarium feſtum ſexto Kal. Jul. inſtitutum. Et quamquam Eccleſiæ hujus opes magna ex parte temporum injuriâ ſint diminutæ, manet tamen adhuc illi Dominum civitatis, & ejus Prætura ſubjecti Territorii: opidorum, Ripæ, Trameni, Pertini, & Levigi vallium item, Nauni ſeu Annanie, Solis, Lagarinæ, Judicariarum, Flemarum, & Randenæ, in quibus vallibus permultæ ſunt Parochiæ populatæ, & arces, Nobilium virorum ſedes. Eccleſiæ hujus beneficiarii ſeu vaſalli etiamnum ſunt, Comes Tyrolis, Dux, Mantuæ, Comites Archi, Comites Lodroni, Comites de Lichtenſtein Barones de Mandrutio, de Wolkenſtein de Welſperch, de Firmiano, de Spauro de Payrſperg: Nobiles Domini de Greſta, de Biſeno, de Thono, de Artzio, de Cleſio, aliique complures, caſtra, juriſdictiones, decumas, prædia, poſſeſſioneſque ab Epiſcopo in feudum recognoſcentes. De *Tridenti* etymo ſic ſcribit Princius in Hiſtoria ſua Tridentina: Conjectura eſt, *à tribus torrentibus* ex propinquis montium jugis prope urbem cadentibus, *Tridentum*, quaſi *torrentum* vocatum fuiſſe, quorum unus per portam Aquilæ in mœnia, delatus, anguſto alveo per mediam urbem Atheſi commiſcetur; alius qui *Fersina* appellatur, muros præter labi-

tur; tertium, paulò longiùs delabantem, *Seletum* nominant. Alii existimant à *tribus dentibus* appellatum, quia inter tria montium cacumina positum sit. Sunt, quià *tridente* illi nomen datum fuisse disputant, quòd ea civitas à principio fuerit Neptuno dicata. Quod ut facilius persuadeant, verisimili utuntur argumento: ajunt enim sicuti Randenenses Saturnum, ita Tridentionos Neptunum coluisse, quem Deum tridente usum fuisse fabulata est antiquitas. Ad hanc conjecturam, validum adferunt testimonium: affirmant enim, eo in late templi *D. Vigilii*, quod forum respicit, extare lapidem, ut licet videre, vetustissimum, & aliqua in parte corrosum, in quo cernitur tridentis forma; quo facilè ducimur credere Neptunum olim à Tridentinis ut Deum cultum fuisse, atque inde urbem nomen traxisse.

BASSANUM.

TRIDENTE ab orta solis per vallem *Suganam* ab antiquis *Euganeam* dictam ab *Euganeis* populis qui eam tenuerunt, (in qua planicies lata circiter duo millia passus, longa duodeviginti, fertilissima) longiore, sed commodiore via Venetias itur: supra eam tamen quinto à Tridento lapide *Perganum* vicus nobilis est, viris opibusque refertus.

In extremo vallis haud longe à *Primolano* fines inter *Venetos* & *Germano.* inveniuntur In summis montium cacuminibus, qui Primolano eminent, *Scala* arx est Venetorum, naturâ loci munitissima; in qua, quia parva militum manu Germani, si irrumpere conentur, prohiberi possunt, ex Bassanensibus præsidia stativa locantur. Ab eo loco non amplius duodecim millium intervallo Orientem versus, in mediis Alpibus *Feltria* urbs nobilissima, sita est. Unde per dextram Meduaci fluminis crepidinem ad Occidentem flectens, in eodem itinere, ter mille passus infra Scalam *Covolum* Germanorum arcem inexpugnabilem invenies; est enim ita concinnata ab hominibus

in

in ſuperiori parte ſaxei montis præcelſi, maximeque directi. viæ ad perpendiculum imminentis, cum perennis aquæ fonte, ut pedibus adiri non poſſit; fune autem demiſſio cum lignea ſedicula, ſinguli homines rota deſuper vertente attolluntur; atque omnes aliæ res eodem uno in arcem importantur modo: cui arci quia inter montem flumenque via ſubeſt perangusta, nullo negotio prætereuntes ſaxis ab ea devolutis obruî atque interfici poſſunt. Ad quintum ab ea milliare *Ciſmonus* fluvius, quo ligna quotannis per multa, & ad ædificia ſtruenda, & ignem faciendum à Germanis & à Feltrenſibus Baſſanum, Patavium, & Venetias mittuntur; & in Meduacum influens, nomen admittit. Ibidem eſt vicus ejuſdem nominis. Septimo à Baſſano lapide in dextra Meduaci ripa, in radicibus montium eſt *Vaſtanea* vicus, non ſolùm elegans, ſed propter ſerrarum multitudinem, quibus ligna majora in tabulas ſecantur, & dives, & frequens habitantibus. Prope hunc vicum in montis clivo, rudera ampliſſimæ urbis cui nomen *Berenice*, (à qua *Meduacus*, lingua qua nunc utuntur Itali, *Brenta* appellatur, & *Berentiam* anteà appellatam fuiſſe dicunt) videre eſt. Tertio à Baſſano lapide, in eadem Meduaci ripa, eſt *Campeſium*, quo in vico Monachorum Caſſinenſium monaſterium, Auctoris libri *Macaronicorum* ſupulturâ celebre, inviſitur. *Baſſanum* in ſiniſtra fluminis ripa, ubi vallis illa arctiſſima deſinit, in amœniſſima planicie ſitum eſt. Ab Occaſu *Meduaco* flumine (quod ſupra *Levogum* decem à Tridento milliaribus naſcitur, & Patavium & Venetias non ſolùm magnam vim lignorum, verùm etiam aliarum rerum quibus opus eſt, ratibus vehit) alluitur; ubi ab oppidi porta pons ligneus elegantiſſimus, opere & artificio præclaro, ad Vicerinos pertinet, inter quem & Alpes, colles omnium rerum, quæ ad victum, quaque ad lautitias pertinent, feraciſſimi intercedunt, inter quos primas ſibi vendicant oleæ, vinaque Falerno & Maſſico comparanda, *Medua* a-

grum

agrum Vicetinum, Patavium, ejuſque agros interſcindens, in Lacunas Venetas tandem immergitur. Hoc flumen, ut jam diximus, à *Berentia* civitate *Brentæ* nomen ſortitum eſt, quod Latinorum aliqui *Brenteſiam* vel *Brintham* nuncuparunt: ex Tridentinis Alpibus ſatis perſpicua, licet ſubviridis, fluit, niſi fluvius irrumpens Bacchilio, luteo illam colore inficiat, ad piſcationem non inepta, cùm piſces non ignobiles provehat, veluti troctas, ſqualos, barbos, lampetras, anguillas, lucios virides vulgi ſolatia tincas, cancros fluviatiles, & alias hujuſmodi quiſquilias.

Boſſanum ab *Antenore* conſtructum, & à *Baſa*, quod Phrygia lingua *Præfectum* ſignificat (quo nomine ad huc Turcæ utuntur) quem ibi præſidii totius regni cauſſa collocarat, ſic vocitatum: oppidum opportunitate loci, quippe quod inter Tridentum, Vicentiam, Patavium, Venetias, Tarviſium, & Feltrium medium ſit, & aditum ad omnes ferè orbis nationes præbeat, pulchrum opulenſque; felix etiam aliquando futurum, ſi tam Minervæ amicum evadat, quam Mercurio. Non alibi enim homines in quæſtuariis actibus, præſertim in lanis concinnandis, induſtriores, quique in toreumatis, aliiſve operibus nuceis torno vel cęlo elaborandis magis excellant. Quotannis 15. mill. librarum ſerici Baſſanenſes faciunt & præparant; & cùm illud regni Chinæ habeatur precioſiſſimè inter omne aliud in univerſo terrarum orbe concinnatum, ſi tamen huic Baſſanenſi comparetur, minùs leve ac ſubtile cognoſcitur eſſe. Illinc *Carrarienſes* olim Patavii Domini, & *Ezzelinus* tyrannus, oriundi: & patrum noſtrorum memoriâ *Lazarus Bonamicus*, qui Romæ, Bononiæ, Patavique ſumma cum gloria publicè docens, libriſque & juncta & ſoluta oratione editis, non modò patriam, ſed Latinas Græcaſque litteras valdè illuſtravit, quem ſtudioſè æmulatur *Jacobus à Ponte* cum quatuor filiis, pictores adeò illuſtres, ut nominis celebritate non Italiæ ſolùm univerſæ ſed remotiſſimis etiam nationibus innotuerint.

Baſſa-

Bassani jurisdictioni subsunt villæ duodecim, quæ cum illo personas circiter duodecim millia nutriunt.

MAROSTICA.

BASSANO itidem *Marosticam* tribus milliaribus distantem, itur, si tetenderimus ad Occidentem; oppidum sane quod nunc extat, olim à *Scaligeris* juxta montem extructum, muris fortissimis cinctum, duabusque arcibus munitum, Antiquitùs hoc oppidum fuerat in altero proximo monte; Orientem spectante, in quo hucusque exstant vestigia, *Mario* Cons. Rom. ædificatum, *Marostica* que & *Marosticum*, quasi *Marostium*, seu statio, aut meliùs quasi *Marii statio* dictum, Locus aëris amœnitate salubrietate, fœcunditate, optimorum fructuum copia privatimque cerasorum, quæ nomen exinde invenerunt. *Marosticenses* que in multis exteris locis vocantur, ac rixis inter oppidanos nulli cedens.

De oppidanorum inter se rixantium ingenio, ita Poëta quidam cecinit:

Restat & in populo Marii discordia prisca,
Qua cum Syllanis sævit in Urbe viris.

Templis multis ornatur, unoque præsertim supra montem proximè dictum posito Fratrum Franciscanorum, *Divi Sebastiani* nuncupato, in quo est corpus *B. Laurentioli* pueruli, olim in suburbio proximo *Valle* vocato, à judæis, qui tunc ibi habitabant, martyrizati. Ex hoc loco olim claruit Patavii *Franciscus è Freschis* Jurisconsultus; hac vero ætate *Angelus Matheaceus* Juris itidem Professor in prima Cathedra, cujus extant libri; atque *Prosper Alpinus* Medicamentorum materiæ Professor, cujus extant libri *de Medicina Ægyptiorum de Plantis Ægyptis, Dialogus de Opobalsamo*, atq; libri *de Præsagienda vita & morte ægrotantium*, nuperrimè editi. Alluitur hoc oppidùm fluviolo *Roza* vocato, atq; altero milliari distante *Sylano* dicto à *Sylla* qui olim Marium cũ exercitu ibi pugnando vicisse dicitur, Fontibus optimæ aquæ cùm spon-

te erumpentibus tum arte factis abundat. Duobus milliaribus locus distat quem *Molinam* vocant, cujus sub monte lacus erumpit memorabilis *Fiola* dictus, in quo idem augmentum & decrementum aquæ quotidie fit, quod in lacubus Venetiarum observatur. Hunc locum antiquis Romanis fuisse satis familiarem, complura Latina nomina hucusque, etsi corrupta, incolis usitata denotant. Duo antiquitatis signa ibi extant, quorum primum apud ædem S. Floriani est, pedalibus characteribus cælatum, marmore longo.

Alterius nunc effracti reliquiæ tantùm inclusæ muro ejusdem ædis supersunt.

TI. CLAVDIO CAES.
M. SALONIVS . . . ES
MARTINA CAHRA CONIVX QVÆ VENIT DE GALLIA PER MANSIONES L.
VT COMMEMORARET MEMORIAM MARITI SVI;
BENE QUIESCAS DVLCISSIME MI MARITE.

TARVISIUM.

TARVISIVM urbs miræ antiquitatis Bassano 25. mill. Orientem versus abest; *Osiride* tertio Argivorum Rege, qui in Italia decem regnavit annos, & à Dionysio adoptatus, & heres Ægypti relictus, fuit conditore gloriatur, Cumque post ejus mortem bos quidam Ægyptiis apparuisset *Osirim* que esse putarent adorarentque ut Deum & *Apim*, quod eorum lingua *bovem* significat, vocarent, id nominis urbi datum est. Quapropter multis in urbis locis, in vetustissimis picturis bos cum lemmate inspicitur, MEMOR, quo Tarvisani monentur, ut memores sint antiquitatis suæ. Alia alii de *Tarvisii* origine narrant Quidam à socii *Antenoris*, quidam à *Trajanis* è Paphlagonia profectis conditum; utut se res habeat, mul-

at multis certè ſæculis ante Virginis partum. Cum Patavio & Altino mutua imperii æmulatione certavit. Et quamvis, velut inſula multis aquis circumdata, ab hoſtilibus irruptionibus tutum foret, tamen, ut hoſtes etiam procul appropinquantes videri, & obviam iis iri facilius poſſet, turres multæ erectæ, de quibus pugnantes hoſtes rejiciebant, & quò in trepidis rebus tamquam in arces confugiebant. Idcircò diu *Urbs Turrium* appellata, nigraſqae Turres tribus cum pinnis in albo ſcuto pro inſignibus habuit. Hac in urbe, ut omnium nobiliſſima, Longobardi ſedem *Marchionatus*, quod eorum lingua *perpetuum Magiſtratum* ſignificat, poſuerunt. Hinc tota regio *Marchia* appellata, in qua olim ſex, nunc quatuor inſignes urbes, municipia nobilia multa, & caſtella non exigua. Ab Oriente ad Occidentem ad 40 mill. paſſuum extenditur, à meridie ad Septemtrionem ad 50. Hunorum deinde, Longobardorum, Hungarorum, Scaligerorum, & Carrarienſium paruit imperio; & anno à Chriſto nato 1388. Venetis ſe dedidit, quibus poſteà ſemper adeò fidelem operam præſtitit, ut anno 1508. Cameracenſi fœdere percuſſo, nihil in continenti Venetis reliqui factum ſit præter Tarviſium, & Patavium *D. Proſdocimo*, à Principe Apoſtolorum miſſo, auctore & ſuaſore ſeſe Religioni Chriſtianæ addixit. *Petro* Romæ cruci affixo Tarvitani ejus nomine primarium templum dicarunt, & relictis turris nigræ inſignibus, crucem albam in ſcuto purpureo cum duabus ſtellis ſumpſerunt. Et 1318. Tarviſii gymnaſium publicum fuit: quod floruit imperantibus Venetis, quando Patavii inſtitutum fuit, *Silis* fluvius Tarviſium interfluit. Multijugis aquæ præterea intus & extrà fontes ab Oriente *Anaxum* flumen latiſſimum habet. Tota regio omnibus rebus, ſuprà quàm cuique credibile eſt, abundans, gammaris verò & vitulis adeò lautis, ut nihil ſuprà. Ædificia ampla & magnifica, tantaque virorum nobilitas, ut olim ex ea LVIII. Reguli numerarentur. A-

ger pulcherrimus & feraciſſimus, planitie collibus admixta. Æſtuaria Venetiarum verſus ad octavum milliarium, *Altinum* ab Antenore conditum, & ab Attila everſum. Inter Tarviſium & Patavium Novale eſt oppidum opulentum. In collibus ad Septemtrionem eſt *Aſulum* Romanorum Colonia; & Cypri Reginæ olim deliciæ: quæ quarto ab eo lapide, & in ſpatioſa planitie, caſtellum muris undique 13. paſſibus ductis, ubi fontium & piſcinarum oblectamenta multa condidit. Infra Baſſanum decem mill. *Caſtrum Francum* ſitum eſt, à Tarviſanis anno 1199. conditum. Orientem verſus inter Anaxum & Liventum *Coneglanum* partim in amœno colle, partim in planitie conditum: pars quæ Meridiem verſus extenditur, feraciſſima. A Septemtrione uſque ad Alpes pulcherrimi colles, ex quibus fontes undique ſcaturientes, feracitatem olei, vini, omnigenumque fructuum valdè adjuvant: aucupium adhæc, & ferarum venatio multa. Eſt Coneglanum magnificis ædificiis ornatum; cælo clementiſſimo, populo verò adeò numeroſo, ut meritò à Germanis *Kuniglant*, id eſt regalis habitatio, nuncupetur. Hic primus magiſtratus Venetorum in continenti fuit. Ad Orientem eſt *Collaltum*, *Narveſium*, & *Caſtrum ſancti Salvatoris*, caſtella ditionis nobiliſſimæ familiæ Collaltorum Comitum, tum *Opitergium*, quò Romanorum tempore Adriaticum mare porrigebatur: qua de cauſa *Opitergini* claſſem inſtructam habuere. Vicina eſt *Motta*, cujus origo ignoratur; Cardinalis omnium doctiſſimi & clariſſimi *Aleandri* patria, & *Amaltheorum* ingenii gloria cum antiquitate certantium. Tarviſio via ſpatioſa & amæniſſima 10. mil. *Meſtre* oppidum lacunis vicinum pervenitur. Inde *Merghera* ſecundo à Meſtre lapide; ubi cymbulis per lacunas 5. milliaribus itur.

VENE-

VENETIÆ.

Ex Steph. Pigh. Hercule Pradicio.

VEctus per liquidas urbis plateas, videbis magnificentiſſima ædificia marmoreis parietibus, columnis, ſtatuis, atque picturis pulcherrimis ubique ſplendida; nobilium familiarum & Principum Senatorum Palatia, divitiis, ornamentiſque omnibus affatim inſtructa. Videas in Palatio *Grimani*, olim Patriarchæ Aquilejenſis, plurimorum Cæſarum, Heroumque; veterum pulcherrimas ſtatuas & effigies ex ære & marmore Pario plurimas; deorum item ſimulacra & ſigna varia, non minoris artificii quàm pretii, Joves, Bacchos, Pallades, Veneres, Mercurios ex ære Corinthio, Fortunas, Genios, ac Cupidines, idolaque pretioſis è metallis celata. Quarum rerum antiquiſſimarum excellentem copiam partim *Marinus Grimanus* Cardinalis, ac ejus patruus, ingeniorum ſui ſæculi Mæcenas alter, partim ipſe ex diverſis Græciæ atque Italiæ locis, ſibi compararunt. Multa ex florentiſſimæ quondam Romanorum coloniæ Aquilejæ ruinis, quam Barbarus Hunnorum rex Attila funditus deleverat; ſunt effoſſa, atque eò tranſlata per dictos Grimanos Patriarchas anteceſſores. Inter quæ reperias in propylæo Palatii plura ſtatuarum pulvinaria marmorea elegantiſſimè cum ſuis titulis exſculpta, atque etiam deorum aras votivas, è quibus juvabit inprimis enotare vota priſcorum *Beleno* deo facta, quadratis aris inſcripta; quem Aquilejenſes olim ſumma cum veneratione tamquam tutelare numen urbis coluiſſe, apud Herodianum, & Julium, Capitolinum legitur. Hic enim, ubi Aquilejam à Maximino Cæſare obſeſſam, ac fruſtrà oppugnatam refert, ait ejus Legatos in urbem non admiſſos fuiſſe; *Menophilo & Criſpino conſularibus viris auctoribus, eò quòd ſcirent deum Belenum per aruſpices ſpopondiſſe, Maximinum eſſe vincendum. Unde etiam poſteà Maximini occiſi milites jactaſſe dicuntur, Apollinem contra ſe pugnaſſe;*

nec

nec illam maximi, aut Senatus, sed deorum esse victoriam. Nec discrepat Herodiani Historia, qui libro octavo de eadem re in hunc ferè modum scribit: *Crispinus ad bellum audacter sustinendum aruspicum etiam responso, qui laeta nuntiabant, dicebatur animatus. Nonnulla quoque oracula ferebantur patrii cujusdam numinis victoriam promittentia. Belenum deum vocant indigenae, magnaque eum religione colunt. Apollinem interpretantes: cujus quoque speciem pro urbe ipsa pugnantem sibi visam in cælo quidam è Maximini militibus affirmabat.* At in Herodiani exemplaribus perperàm vocari *Belem*, adducor ut existimem; quod Julio Capitolino ararum dictarum tituli votivi summa fidei digni adstipulentur, & *Belenum* vel *Belinum* appellent. Eos autem titulos studiosorum antiquæ historiæ in gratiam hic adjicere non pigebit, quos affirmare meritò poteris singulis aureis chariores singulos te habere.

In ara marmorea quadrata.

BELLENO.
MANSVETIVS
VERVS
LAVR. LAV.
ET. VIBIANA
IANTVLLA
V. S.

Rursus in alia oblonga.

APOLLINI
BELENO. AVG.
IN HONOREM
C. PETTI. C. F. PAL.
PHILTATI. F. Q. P.
PRÆF. AED. POT.
PRÆF. ET. PATRON.
COLLEGIORVM
FABR. ET. CENT.
DIOCLES. LIB.
DONVM. DEDIT
L. D. D. D.

In alia.

BELLINO. AVG.
SACRVM
VOTO, SVSCEPTO
PRO, AQVILLIO
C.E. POMP. VALENTE
IIII. V. I. D. DESIG.
PHOEBVS. LIB.
V. S. L. M.

In alia

BELENO
AVG. SACR.
L. CORNELIVS
L. PIL. VELL.
SECVNDINVS
AQVIL.
EVOC.

EVOC. AVG. N.
QVO. D IN. VRB.
DONVM. VOV.
AQVIL.
ERLATVM
LIBENS, POSVIT
L. D. D. D.

In alia.

BELEN: AVG.
IN MEMOR.
JVLIOR.
MARCELL. ET
MARCELLÆ. ET
IN HONOREM
JVLIARVM
CHARITES. ET
MARCELLÆ FILIAR.
ET LICIN. MACRON
JVNIOR NEIOTIS

C. JVL. AGATHOPVS
IIIIIII.VIR. AQVIL.
L. D. D. D.

Item in alia.

BELINO
SEX
CÆSERNIVS
FAVSTVS
IIIIII. VIR.
V. S. L. M.

Ibidem in alia paucis literis.

FONTI. B.

In alia tribus lateribus inscripta.

VI DIVINÆ
SACRVM
C. VETTIVS. C. F.
GAVOLVS.

Has aras Aquilejâ ex fano *Beleni* translatas esse Patriarcha Grimanus affirmat.

Quædam alia magnifica urbis ædificia visenda non adeo procul dissita.

Inter hæc eminent Palatii Ducis Venetorum loca, opibus & Asiatico luxu referta, cujus fundamenta *Angelo Participatio* Duce anno 109. jacta fuerunt. Et cùm quinquies, aut totum aut pars incendio perierit, semper elegantius instauratum est. Ejus forma tetragona omnino non est, ex cedente paululum longitudine. Est illi à Septemtrione Templum *D. Marci*, ab Oriente canalis, à Meridie mare, & ab Occidente platea. A porta igitur prima Palatii, ad armamentarium, ubi est angulus, & inde ad angulum, qui ad pontem paleæ pertinet. Meridiem versus sunt formices XXXVI. quorum quisque pedes decem

cem latus, qui columnis XXXVII. quasi CCC. pedes efficiunt, quæ columnæ bases non habent, sed epistylia. Duo frontispicia crustis rubri & candidi marmoris quadratis intecta videntur, ad quorum media Menianum cum columnis LXXIII. & fornicibus LXXII. pyramidatis. Recens frontispicium ad Orientem. Istriano marmore elaboratum, ad Septemtrionem cum *D. Marci* templo conjungitur, Palatii fastigium antea plumbeis tegulis postea propter incendium an. 1574. æreis tectum fuit, & singulis quatuor frontispiciis singulę portæ. Primaria contigua est templo, marmorea, tota pyramidata, & plateam spectat, cum quatuor imaginibus, alato Leone, & Duce *Fuscaro* ex candido marmore exsculpto. Intus à dextro latere spatiosa est cohors, in medio puteos habens duos imaginibus æneis, & corymbis ornatos; & in calce ostium quo itur ad mare. Tectas præterea statim in principio ad sinistam partem scalas *Fuscaras* vocant, quas adscendentes Palatium totum per peristylia quædam circumdare possunt. Intima frontispicia plateam & mare versus externis dissimilia, nisi quod in parte infima parietis, columnis & fornicibus carent, quibus ramen abundant in medio. Facies ad Orientem in imo, arcus XXXVI. & columnas Istrianas totidem (super quas ambulacrum) habet, arcubus LIV. & columnis LV. ornatum Ad fastigium solida extollitur, cum senestris, coronis, corymbis, ornamentoque multiplici, lapide Istriano. Juxta primarium Palatii ostium primariæ sunt ad Septemtrionem, ubi Principis habitatio. Has scalas inferius Colossi duo, Martis scilicet & Neptuni, exornant, superiùs itidem duo Adami & Evæ justæ magnitudinis. Sedecim sunt scalæ secretiores, quatuor verò principem locum tenent, *Fuscaræ* plumbeis laminis tectæ, mirabiles. Ambulacrum inferius canalem versus, utrimque scalas habet, quibus ad peristylium illud magnificentissimum ascenditur. Contra primarias scalas memoria *Henrici* III. Gallorum Re-

Regis litteris in aurato marmore inciſis apparet. In periſtylio eſt hypæthra vice horti cum lararío & tribunalibus multis. A Meridie Orientem verſus, ſcalæ ſitæ ſunt illæ latiſſimæ, quæ ſiniſtrorſum ad Principis cubicula, dextrorſum ad Collegium ducunt. Hæc omnia,& quoquò vertis oculos,auro,tignis, tabulis, regali luxu ſplendida, Collegium ſpectat ad orientem ſolem ſuper contignationem, ubi habitat Princeps,eum lacunari deaurato, mirabili artificio, picturis & hiſtoriis ad ſtuporem uſque referro. In hujus loci capite,ſolium eſt Principis. Venetiæque, quæ ſub coronata Reginæ imagine Ducem coronant. Hic Princeps cum Conſiliariis res civiles tractat,& Legationes cùm ſuarum civitatum, tum externorum Principium audit. Apud Collegium, eſt amplus & ſpatioſus Senatus, in cujus parietibus regiones Imperio Veneto in continenti ſubjectæ pictæ ſunt. Hic & Imperatorum undecim ſtatuæ pulcherrimæ operis antiqui, & corpus ipſum Reipub. frequens de rebus magnis conſultat. Cùm ex his locis diceſſeris, & ad mare contenderis Meridiem verſus,formidabilia Decem virum tribunalia invenies, ubi pariter regalia omnia.

Schott. Hinc pervenies ad magna Comitia,& Concilium publicum, quod in atrio magno & ſpatioſo ibidem haberi ſolet. Utque cognoſcas rationes ſuffragiorum, quibus inter Patricios creantur Magiſtratus,& diſpenſantur Reipublicæ beneficia, apud Ducem utrimque in lateribus ſedent primores Magiſtratuum, Decemviri, Præcognitores, quos *Sapientes magnos* appellant, & qui Duci à conſiliis ſunt: reliqua Patriciorum multitudo in ſubſelliis per totum atrii ſpatium. *Conſilium magnum* vocant hæc Comitia, ad quæ nemo admittitur niſi genere Patricius, & qui ætatis annum xxv. exceſſerit. Taciti ineunt ſuffragia cum calculis, ſeu globulis argenteis, quos diſcurrentes per ſubſellia diſtributores ſingulis dividunt; alii deinde collectores in vaſculis

ſigneis

ligneis uno ore augusto, quo manus inseri potest, & inferiùs in binos loculos divisis, colligunt. Quo fit, ut ipsi ignorent collectores, an in dextrum vel sinistrum loculum ponat calculum suum, & an probet vel improbet Magistratum creandum suffragator. De hac verò Comitiorum ratione cùm alii plures doctè & accuratè scripserint, ne nimis longi hic simus, studiosum ejus cognitionis Lectorem ad illos remitto, qui *de Repub. Veneta* ex professo (ut Galp. Contarenus, Card.) scripserunt. Latiùs enim nomina hic repetere, minùs operæ prerium videtur.

Capuæ.

In latitudine habet pedes LXXIII. & in longitudine CL. & suum agnovit initium anno 1309 Hoc in loco à clariss. quibusque pictoribus victoriæ Reipub ex ordine, Principes, Senatores, alii virtute præstantes, & Italiæ viri, qui ingenii doctrinæque fama claruerunt, pinguntur. Sed, cùm hæc omnia anno 1577. incendio periissent, hoc tempore ab excellentissimis pictoribus, pulcherrimis ejusdemque omnibus magnitudinis tabulis historias duas continentibus, *Frederici* scilicet & *Alexandri III.* Pont. Max. *Bizantii*que Veneto Imperio subjecti, instauratur. Laquearia cælum pulchritudine imitantur. In ipso primo Comitio Orientem versus solium est Principis, & super illud in pariete Paradisus à Tintoreto depictus, qui totam faciem illam implet, & quem antea pinxerat Guarientus. In extremo Comitio, contra Principis solium, in hemicyclo marmoreo, quattuor circumdata Angelis, Deiparæ Virginis ulnis parvum filium fovens stat imago. Fenestrarum aliæ in cohortem, aliæ in mare prospectum habent.

Scholæ.

Hic celebratur magna porticus armamentarii Palatini, quæ nisi magnis Principibus, advenis aperiri ac ostendi solet. Est autem telorum ac armorum omnis generis ornatissimorum copia plenum, atque

opu-

opulentia ſumma mirabile. Videns tot thoraces, galeas, ſcuta, caſſides, ocreas, clypeos, item baltheos, gladios, haſtas lanceas, multipliciaque tela picturis encauſticis, auro, argento, gemmiſque ſplendida, & inſigni cælatura decora, non gregariorum militum, ſed Imperatorum, Ducum, & Præfectorum centurias aliquot ex illo armamentario inſtrui dignè & armari poſſe dixeris.

Capng.

In quatuor atria ſpatioſiſſima diviſum eſt, cedrinis foribus odoratiſſimis, ex monte Libano uſque magnis impendiis advectis Quod ſi ab extrema magni Comitii parte Templum, verſus egredieris, Scrutinii atrium, multis & variis picturis, præſertimque extremi Judicii Tinctoreti ornatum offendes primùm, deinde ſcalas ipſas *Fuſcaras*.

Schott.

Hinc deſcenditur in forum, ubi videtur auguſtum *D. Marci* templum, ſumptu & artificio mirabile; quod quidem ampliſſimum, & ex marmore nobili conſtructum eſt. Pauimentum ex Prophyreticis. Laconicis. Thaſiis, Ophiticis, aliorumque pretioſorum marmorum lapillis teſſellatum, ac varietate colorum reſplendens, picturas egregias & inſignia emblemata repræſentat ubique ſpectantium oculis, quæ curioſa ingenia diverſis conjecturis exercent. Inter quæ nonnulla dicuntur eſſe Joachimi Abbatis Sanctorii inventa, vaticiniis olim ante aliquot ſæcula clarii, quibus rerum Italicarum mutationes quaſdam prænuntiatas fuiſſe volunt quidam. Quemadmodum interpretantur duos criſtatos gallos vulpem dilaniantes ſignificaſſe duorum Regum Galliæ victorias de Ludovico Sfortia Mediolanenſi Principe. Præterea per leones opimos & pingues ex aquis prodeuntes. rurſum per alios macilentos in terra procumbentes, ipſum ſignificaſſe tradunt Venetæ Reip (cuius inſigne leo Marci Euangeliſtæ eſt) fatum atque conditionem: Maritumis videlicet commer-

mercciis opulentam, belliſque navalibus potentem ac felicem: è contra relicta mari, ad continentis dominatum, terreſtreſque expeditiones converſam, infelicem ac imbecillem mox futuram. Parietes templi ſeu Baſilicæ marmoreis tabulis, varietate colorum pulcherrimis ſunt incruſtati. Ad lævam duæ albæ conjunctæ ſunt ex uno trabe marmoris ſectæ, in quarum commiſſura lineis nigricantibus natura ludibunda tanto artificio viri effigiem expreſſit, ut omnibus induſtrioſè depicta videatur, & ejus tamquam miraculi mentionem fecerit Albertus Magnus in ſuis Meteoris. Teſtudinem templi ſculpturis atque picturis ornatam ſuſtinent triginta ſex ſolidæ columnæ ex vario marmore, & plures ex Phrygio pulcherrimæ, craſſæ per diametrum pedes duos. Tectum quinque hemiſphærtis plumbo veſtitis conſtat. Frons autem, qua parte ex foro quinis æreis portis patet aditus in templum, à ſolo ad faſtigium uſque Græcanico opere cum emblematis inaurata eſt, crebræque per ordines eminent Divorum ſtatuæ ex marmore perinſignes. In hujus frontis ſupercilio, ſupra mediam portam majorem miræ venuſtatis quatuor equi ex ære Corinthio inaurati unius quadrigæ antiquæ juſta ſtatuta ac magnitudine vivorum equorum exornant ingreſſum.

Caput. Eos fuderunt Romani, quo tempore *Hiero* de Parthis triumphavit, & in ejus arcu poſuerunt. Conſtantinuſq; poſteà Byzantium tranſtulit, Veneti Byzantio potita Venetias ad ornatū frontiſpicii ipſius templi D. Marci deportarunt Oſtiū adyti an. xx. conſtructū, imaginibus æneis & marmoreis movet admirationem. Ante principem portam templi inter angiporti oſtia lapis magnus rubeus quadratus, eſt in quo æris quedrata, itidē lamina infixa ſoliis veſtita, in qua Alex. III. Federici Imperatoris collo pedē impoſuit, ubi propterea litteræ inciſæ leguntur: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis*. In templi ingreſſu oculos tolle, & divi Marci effigiem omnium elegantiſſimam o-

peris

peris vermiculati, quæ ſublatis manibus cœlum intuetur, contemplare. *Schott.*

Aſcenditur etiam per gradus aliquot marmoreos in ſummi delubri penetalia, *Chorum* nunc vocant, quòd ibi ſacerdotum multitudo canentium, dum res divinæ peraguntur, conveniat; & inprimis hic ſpectanda aræ majoris tabula Conſtantinopoli delata olim, & ex auro puro argentoque frabricata ac artificioſa figurarum cœlatura, multiſque inæſtimabilis pretii geminis & margaritis exornata, quam nemo non vehementer admiratur. Aram iſtam tegit teſtudo quaquaverſum in crucem fornicata; atque tota ex marmore ophitico pulcherrimo Tiberiano fulcita quaternis columnis ex Pario marmore, quæ circumquaque ſignis cælatæ veteris ac novi Teſtamenti hiſtorias repræſentant. Poſt aram apud ſacratiſſimi Corporis, Chriſti ædiculam quatuor nobiliſſimæ ex alabaſtrite vitri ferè inſtar perlucidæ mirum in modum reſplendent. Hæc, aliaque rara ad lubitum in templo conſiderantur.

In ſacrario *D. Marci* theſaurus cuſtodîtur, quo ingredi datur è dextera baſilicæ parte per portam ſublimem opere teſſellato elaboratam auro coloribuſq; viſunturque ibidem effigies divorum *Dominici* atque *Franciſci*, quas fama eſt, Joachimum Abbatem prædictum multis annis antequâ hi ſancti viri in terris naſcerentur, in eo opere effingi curaviſſe. Aperitur deinde theſaurus ingens, ſtupendæque prorſus opes divitiarum: atq; oſtenduntur Divorum inprimis imagines, coronæ ex auro plurimæ atque capita cum pectoribus humanæ magnitudinis ex auro item puro fabre facta gemmis ac margaritis pretioſiſſimis exornata. Viſuntur carbunculi, adamantes, ſmaragdi, topazii, chryſolithi, hyacinthi, ac uniones miræ magnitudinis, ac pretii încredibilis. Item cochleæ, cymbæ, pateræ, ac vaſa potoria, ex onyche, jaſpide, & achate, multiplicia. Monſtrantur donaria magnorum Principum excellentiſſima, mono-

monoxerotum duo cornua procera, & unum brevius: pyropus seu carbunculus ingens à *Dominico Grimano* Cardinale thesauro huic illatus; item urceus expretiosissimis gemmis quem olim *Vscassanes* Persarum Rex Venetis dono misit Spectatur etiam mitra solemnis, quæ novi Ducis capiti, cùm inauguratur, solet imponi: quamque festis majoribus in publicum prodiens gestat. Est autem valdè conspicua limbis, & clavis aureis gemmisque nobilissimis plena, habens in apice pretii inæstimabilis carbunculum. Quid referam sine numero videndos ex auro argentoque cælato calices, canthatos, thuribula, candelabra, guttos, ac pelves, aliaque vasa rei divinæ in usum pulchetrimè fabrefacta? Longum esset numerare singula. Poëtæ igitur non indocti verbis finem his imponere satius erit.

Innumeros calices hic, aurea vasaque cornes
Apta ministeriis, usibus, aptapiis.
Ac plures chlamydæ gemmis auroque rigentes,
Quàm quot luciferos integer annus habet.
Mollia prætereo, quæ Seres vellera quondam
Nere sed Ausonidas jam didicere nurus,
Nec refero tinctas concha Sidonide vestes,
Nemo sacerdotum quas numerare potest.

Cupug.

Anno 829. huic templo initium fuit, Athenis & ex tota Græcia columnis petrisque comportatis: structura ipsa à Græcis sumpta, forma Cruce Salvatoris nostri. Totius ædificii columnæ plusquam D. numerantur, in atria XVI & quaquaparte ad illud te conferas, in angiportum incidis concameratum operis musivi, pavimento serupis discoloribus tessellato.

Juxta Basilicam *S. Marci* ex quadrato lapide exstructa est turris æquilatera, quaquaversum lata pedes amplius quadraginta, non Basilicæ contingua, sed intervallo pedum CXXX. separata. Ejus fundamenta subterranea pluris quam turrim ipsam à solo constitisse,

fuiſſe, Sabellicus auctor eſt. Sublime faſtigium tegulis æneis inauratis tectum eſt, quod ſole ſp'endente quam longiſſimè ab Iſtria Liburniaque navigantibus conſpicitur. Aſcenditur per ſcalas lapideas concameratas, quæ per interiores turris parietes cochleatim circumambiendo exurgunt ſenſim ad cacumen uſque. Pulcherrimus eſt è turre ſumma undequaque proſpectus, primùm in urbem ipſam ex multis inſulis conflatam, & pontibus magna ex parte connexam. Monſtrantur hic ſex urbis regiones, vici, fora, templa, cœnobia, & alia ædificia publica inſignia. Item inſulæ exiguæ circum urbem in ipſo ſtagno ſparſim jacentes permultæ, quæ monaſteriis, templis, ædificiis, ac hortis pulcherrimis excultæ ſunt. In nonnullis etiam oppida quædam & coloniæ veruſtæ Aquileienſium, Vicentinorum, Opiterginorum. Concordienſium. Aeſtinorum, Altinatum, aliorumque vicinorum populorum, qui Hunniacis temporibus ſæviente per Italiam Attila, in hæc æſtuaria veluti in loca tuta commigrarunt. Apparet à fronte littus incurvum inſtar arcus, per xxxv. circiter millia pelagus Hadriaticum excludens, & beneficio naturæ ſtagnis præſtructam ad tutelam urbis atque tot inſularum contra fluctus, & furibundi maris violentiam oſtiis quinis tamen exiguis interruptum eſt, quæ parvis navigiis ac aquis marinis viam ac aditum in ſtagna præbent. Viſuntur portus profundiſſimi, Clodianus ac Medoacus, caſtellis & propugnaculis ita muniti, ut claſſes ingentes cum volunt excludant facilè. Pateſcunt ultra pelagus à ſiniſtris *Carnorum* Alpes, & *Iſtria* promontoria, à dextris *Apennini*, antè juga *Galliæ Ciſalpinæ* plana fructifera. *Euganeique*, colles nobiliſſimi, cum Atheſis & Eridani oſtiis, denique à tergo rurſus, Noricorum ac Rhetorum Alpes nivoſæ.

Caput.

Hujus turris fundamenta jacta fuerunt anno 888. quæ cùm tota ferè incendio conflagraſſet, reſtituta fuit.

fuit, & ad faſtigium uſque inaurata, ubi anno 1517. poſitus fuit ligneus Angelus, deaurato ære incruſtatus, eo geſtu, ut populum manu benedicere videatur, qui in ferreo cardine ſpirantibus ventis circumvolvitur. Hæc turris undique CLXII. pedes dilatatur, altitudine uſque ad prima tabulata eſt pedum CLXIV. hinc ad Angelum, pedum CLII. à campanis verò ad ipſum Angelum columnis & leonibus marmoreis, & pulcherrimis menianis exornata eſt, & ſcalas habet adſcenſu facillimas. Prope turrim contra Palatii fores porticula eſt affabrè & antiquo artificio facta, operis Corinthiaci, emblematis & hieroglyphicis multis ornata, quò, cùm Comitia magna habentur, conveniunt Procuratores.

Schott.

Mox videas celeberrimum *D. Marci* forum, ſumtuoſis ædificiis undique clauſum, à fronte mirabili illa baſilica *D. Marci*, & è regione *D. Oeminiani* æde marmorea; latera exornant magnificæ palatiorum ſtructuræ cum ſplendidis porticibus, & mercatorum artificumque variis tabernis. Videas ibi diverſiſſimos hominum amictus, audias varias linguas in tanto multiplicium nationum concurſu; uti *orbis, non urbis* eſſe forum quiſpiam non ineptè deceret. Itaque Germano cuidam Poetæ attonito elegantes iſtos verſus extrudit ejus fori admiratio.

Si placeat varios hominum cognoſcere cultus,
Area longa patet ſancto contermina Marco,
Celſus ubi Adriacas Venetus leo deſpicit undas.
Hic circum gentes cunctis è partibus orbis,
Æthiopas, Turcos, Sclavos, Arabeſque Syroſque;
Invenieſque Cypri, Creta, Macedumque colonos.
Innumeroſque alios varia regione profectos.
Sapè etiam nec viſa priùs, nec cognita cernes.
Quaſi cuncta velim tenui deſcribere verſu,
Hic omnes citiùs nautas, celereſque phaſelos,
Et ſimul Adriaci piſces numerabo profundi.

In capite fori, quod littus maris ſpectat monſtrantur

tur ex ſolido marmore Phrygio binæ columnæ peringentes, è mari venientibus nautis à longè conſpicuæ; in quarum una, *D. Marci* Venetorum, alati nempe leonis, inſignia inaurata viſuntur: in altera, *D. Theodori* ſtatua inaurata poſita eſt. In ipſo intercolumnio de noxiis condemnatis ſupplicia ſumuntur. Allatas ſimul tres ejuſdem magnitudinis fuerunt onerariis navibus è Græcia, *Sebaſtiano Ciano* Duce, ante annos quadringentos, earumque unam vi ponderis, dum è navibus extraherentur in terram, ruptis architectorum inſtrumentis, in aquas decidiſſe, & in fundo adhuc cerni poſſe tradunt: alias duas ad caput fori Marciani, ubi nunc conſpiciuntur, modicò intervallo erectas fuiſſe ingenio *Nicolai Berattorti* Longobardi architecti, validis rudentibus novis è ſublimi demiſſis, & aqua madefactis. Qui dum ſeſe contraherent, & pondus vi ſua ſenſim ſublevarent; alios ſiccos breviore ſemper ſpatio ſubjectos, & aquis item irrigatos fuiſſe, eoque modo paucis diebus opus continuando moles illas ipſum erexiſſe dicunt. Addunt, non aliud architectum induſtriæ præmium poſtulaſſe à Republica, quam ut aleatoribus in eo intercolumnio ludendi impunè libertas ſemper eſſet. An verum ſit, ignoro; fama in medio, & fides penes Lectorem libera maneat, hoc conſtat quidem, ſcholam nebulonum aleatoriam ſub iis columnis aſſiduam & frequentem videri.

Caput.

Platea hæc quamvis una ſit, quatuor tamen eſſe videntur. Una mare verſus, juxta Palatium: Secunda inter Palatium & Bibliothecam, quæ à columnis ad horologium eſt longitudine pedum D. Tertia, à D. Marci ad D. Geminiani, & à dextro latere ædificia magnificentiſſima habet, viſendæ ſymmetriæ, tribus contignationibus, columnis ſtructilibus & ſolidis fulcientibus, ex Iſtriano marmore. Quarta à templi latere uſque ad Canonicorum ædes pedes CCCC. LXX. extenditur in longitudinem, in latitudinem verò

cxx. Ab alia parte ædificia latissima, architecturâ mirabili surgere incipiunt. E regione D. Marci vexilla tria, in tribus altissimis pinnis alligata conspiciuntur, quæ in basibus æreis imaginibus cælatis infixa sunt, hieroglyphicum libertatis. Secunda platea incipit à columnis quas diximus, & ad horologii portam, quâ ex mercimoniorum mercato in plateam itur, terminatur. Porta crustis marmoris pretiosissimi operta. Horologium Zodiacum cum signis cælestibus auratis, & solem & lunam singulis mensibus ipsa signa ingredientes, & statuas æreas, omnia Mathematica ratione & arte compositа habet. Ab una parte Palatium, ab alia Ærarium est vivo lapide, lateribus ferroque ita ædificatum, ut ne tantillum quidem ligni admixtum sit. Tum signati auri carcer totus ex marmore, cui Bibliotheca, quæ initium habuit à *Petrarcha*, qui Senatum Bibliothecæ suæ heredem fecit, & à *Bessarione* postea Nicæno. *Alexandro* & *Grimano* Cardd. id genus liberalitatis æmulantibus aucta fuerat, adjuncta. Hæc tria loca ab ædificio pulcherrimo (quod ad turrim producitur) celantur, cujus frontispicium tot columnas, tænias, acroteria, podia, projecturas, Atlantes & Caryatides habet, eoque ordine & artificio dispositas, ut hoc in genere nihil sit ei in Europa comparandum. Hoc xvi. arcubus plasticè elaboratis, singulis columnis pedes octo distantibus invisitur. Superiùs fenestræ xvi. sunt quaternis utrimque columnis, quibus imminent orbes item xvi. In corona ædificii eminentissima xxv. statuæ ad justam hominis magnitudinem erectæ sunt, erigenturque aliæ v. Hæc omnia structura Dorica & Jonica, ad antiquorum normam facta elegantissimè. Sed nihil æquè movet oculos atque delectat, ac angulus ille plateam versus, qui longè superat omnem antiquorum Doricam ædificandi inventionem. Atque idem opus ad D. Geminiani indeque ad turrim horarum perducetur. Silentio prætereo multa Ærarii, Procuratiæ, & Bibliothe-

thecæ memoratu digna, Breviarium enim mihi propositum est scribere, non Historiam. Dicam tamen plateam hanc totam, licet lateribus stratam adeò superbam esse, ut Petrarcha in quarto suarum Seniliu m, epistola quarta, ita scribat : *Viergue*, inquit, *ludus in platea illa, aut nescio an terrarum orbis parem habeat.*

Schott.

Navigio proficisci licet *Muranum*, ad videndum officinas vitriarias. Quæ insula distat ab urbe passus plus minus mille. Eam verò tradunt Altinates & Opiterginos Hunnicis temporibus primùm occupasse; nunc autem urbis in formam exculta est, civili populo frequens, atque templis pluribus ædificiorumque splendore nitens, hortorum denique cultissimorum amœnitate urbi cuivis neutiquam cedit.

In *D. Petri* Martyris cœnobio Prædicatorum luculenter ædificato, ejus templi picturas elegantes, bibliothecam præclaram, voluminibus multis refertam perlustra: atque etiam hortos sumptuosos Nobilium Venetorum artificiosis fontium scaturiginibus elaboratos, & excellentium rarorumque fructuum plantis variis plenos.

Intra deinde insignium vitriariorum tabernas, ubi videas qua ratione candentem materiam è fornacibus depromptam, ferreis fistulis adhærentem, artifices vel uno vel altero flatu in calices, pateras, aut in quam velint poculi formam magnitudinemve mira dexteritate confestim reducant. Varietate profectò, tum artificio, ac materia exquisita, exuperant hæc Muranensia quàm longissime cetera totius orbis vasa vitrea : atque imitantur tam claritate perspicua, quàm splendore crystallum naturale, ut meritò *crystallina* vocentur. Artifices etiam indies ornamenta nova, rationesque ad antiquitatis imitationem variè figurandi præstantiores excogitant, colores quoscumque mirabili industria reddunt, auro, argento, exlatura, signis ac gemmis exornant; &

qua candentem intingendo materiam pocula faciunt, quæ prorsus ex tenerrima glacie sua sponte concreta videntur, & quæ in æstu algorem intuentibus excitant. Et tincturæ quidem genere imitantur veterum hæmatina, myrrhina, obsidiana, hyacinthina, ac saphirina vasa potoria non tantum, sed & escaria omnis generis capacissima. Quæ quidem historiarum encausticis tam eleganter adornant, uti Plinium ipsum, si reviviscens ea videret, obstupefacerent; meritoque is judicaret, aureorum argenteorumque pretia atque usum, nisi fragilia essent, hæc diminuere posse,

Transeas hinc in insulam *D. Georgii* quingentis ab urbe passibus è regione *D. Marci* positam, ut videas sumptuosissimum ejus loci Monasterium, templo marmoreo, elegantissimaque ædificiorum structura celebre: atque ædis sacræ tabulas, statuas, donaria ampliſſima, sepulchra Ducum ac Principum; item cœnobii longissimas porticus, atria, cœnacula, cubicula, bibliothecam instructam, nec non hortos excultos & admodum spatiosos perlustres.

Caput.

In insula quæ *Zuecca* dicitur, viridaria multa omni deliciarum genere plena sunt posita, & sacræ ædes, quibus (imo forsan iis omnibus quæ urbem decorant) præcellit sacro nomini *Redemptoris* nostri dicata. Palladii structura, & summa ædificandi peritia erecta, ut Reipubl. Venetæ majestas & pium votum ibi ad plenum conspiciatur.

Schatt.

Navalia in primis spectanda, *Arsenalem* nunc vocant locum, quasi *artem navalem*, quòd arte naves ibi struantur. Insula est urbis angulo contigua versus Orientem, & Adriatici maris portus amplitudine duorum milliarium in circuitu fossis ac muris undique validis munita, & cum opportunis ad custodiam turribus. Divisa est per regiones suas atque artificum operariorumque diversas tabernas atque

que officinas opportunis quaſque locis diſpoſitas complectitur. Quadringentorum hominum labore continuo naves, machinas, atque inſtrumenta omnis generis bellica perpetuò ædificari affirmant; quorum ſtipendia in hebdomadas ſingulas ad mille ducentos aureos æſtimantur.

Monſtratur in fabrum tignariorum ampliſſima regione, quo pacto materia ad claſſem navelque præparetur adapteturque, aduſtione ſpondas & coſtas incurvent, malos, antennas, ramos ac tonſas ut levigent; quomodo fiant trochliæ, pontes, antliæ corbitæ, machinarum bellicarum rotæ, ceteraque navalia inſtrumenta, quæ in diverſis locis ſingulatim fabricabantur. In Vulcaniis fabrûm ferrariorum officinis videas formari giganteas tormentorum bellicorum moles, graves æneas fiſtulas & prælongas, tubos vaſtos, atque immanes globos ferreos; cudi ponderoſas anchoras, item harpagones, falces, catenas, corvos, bellicoſque navales apparatus varios. In *Tana*, quæ reſtionum aut caloſtrophorum eſt magna regio, immenſas rudentum & camelorum ſpiras admireris; perluſtres, ut protoni, peſmata, & hyperæ intorqueantur, aliaque velorum antennarumque retinacula. Per armamentaria diverſa telorum omnis generis plena, quibus inſtrui vel naumachia poſſet, oſtentantur inſignia à Turcis atque piratis capta, & hoſtium ſpolia manubiæque inſignes ad Naupactum navali prœlio captæ, anno Chriſtianorum 1571. Tranſitur deinde in *velariorum*, vel ut Græcè potiùs dicam, *hiſtiorrhaphorum* domum, ubi tabulatis in pluribus cernuntur mulierum ac puellarum aliquot centuriæ, aſſiduo labore vela conſuentium vel reſarcientium. In Navalis ipſius meditullio multæ porticus milliariæ & peramplæ ex tabulatis extructæ ſunt, ſub quibus roſtratæ ac longæ naves circiter ducentæ, præter minora navigia infinita, ſtantes in hermatibus ſive pontibus, ſervantur à pluviarum, ac tempeſtatum injuriis, ex aquis dumtaxat ſubductæ, & ad om-

nem occasionem navigationis paratæ. Inter has ostenduntur prætoriæ quinqueremus, aliæque triremes laceræ, ac globis ferreis trajectæ, singulari victoria navali ad Naupactum captæ; nec non Imperatoriæ *And. Veneri* qui in eo prælio cecidit. Conspicitur & thalamegus inaurata, sculpturis picturisque insignibus exornata Ducis Veneti, quam *Bucentaurum* propter magnitudinem nominant: hæc festivis dumtaxat diebus evehitur, ac inprimis Dominicæ *Ascensionis* solemni die; quando magna cum pompa splendidoque Procerum comitatu ex urbe ad Adriatici maris præcipuum portum proficiscitur, ubi certis cum ceremoniis Thetidi sponsaliorum arrham annulo aureo mari injecto, solvit. At verò miteris nuper refectos magnis impensis muros ac turres aliaque vicina ædificia, quæ sub exortum postremi belli Turcici, fraude, ut plures suspicantur, hostili, conjecto in sulphurei pulveris tormentarii dolia in turribus condita incendio, conflagrarant.

Caput.

Cùm Navalia ista perlustrarentur ab *Alphonso* Vasti Marchione, sui temporis militiæ Principe, & Italici honoris ac ingenii gloria, admirans dixit ea fore octavum orbis miraculum.

Venetiis opulentissima sunt Xenodochia XVII & alia insignia, divitiis & nobilium marmorum raritate conspicua Divorum templa, quorum LXVII. Parœciæ jure gaudent, XXVI. à Sanctimonialibus, & LIV. à Regularibus hominibus decorantur famulatu XVIII. Confratriæ magnæ VI. & ipsarum mirabilis est locus, quo conveniunt *D. Rocho* adscripti homines. In his Sanctorum corpora L. organa CXLIII. videntur. Hæ sacræ ædes magnificæ admodum instructæ, ingentes urbis opes testantur, & eandem non minùs, quàm raræ & pretiosæ gemmæ Regiam coronam auream decorant, *Dominicanorum* Monasterium ædificatur, structura pulchrum, ubi templum marmoreis statuis, excellentibusque picturis orna-

ornatiſſimum, gemellis Divis *Joanni* & *Paulo* dicatum, quod ſubſequitur Eccleſia *S. Zachariæ*. Magnæ domus, & aliæ valdè conſpicuæ ſpectandæ ſunt, itemque illuſtrium civium ſtatuæ equeſtres & pedeſtres publico ſumptu poſitæ diverſis in locis, eorum videlicet, qui vel domi prudenter, vel militiæ fortiter cum poteſtate Rempubl. adminiſtrarunt, & ſunt marmoreæ CLIV. æneæ XXIII. Inter has eſt celebris illa coloſſea equeſtris inaurata *Bartholomei Coleonii* militari gloria pernobilis, ac Imperatoris ſui temporis primi, quam Veneti publica impenſa, meritorum virtutis, ac fidei ſingularis ergo, pro æde *DD. Joannis* & *Pauli* poſuerunt. Decorantur Venetiæ tribunalibus LVI. portis æneis X. horologiis publicis XXVII. atriis, quæ *Curtis* dicuntur, CLXXIV. plateis LIII. turribus pro campanis Eccleſiarum CXIV. equis æneis X. puteis pro uſu communi CLV. hortis mire conſitis CLXXXV. Palatia CXLI. eminet Venetiis, &c. digna hoc nomine, quare quæ alia Italiæ urbs illi non eſt inferior? Domus negotiatoria Germanorum DXII. pedum ambitus, faciebus artificioſè depictis, duas porticus alteram alteri innitentem, & cubicula ad habitandum non incommoda CC. habet Statuę, picturæ clariſſimorum pictorum, monimenta antiquitatis, quibus abundant Venetiæ, numero comprehendi non poſſunt. Eadem fructuum, olerum, & piſcium, quorum genera CC. omnibus anni temporibus uberrimas: Piſcatio urbi propria, ſed nec aucupio in lacunis aquatilium volucrum caret. Pontes vivo lapide ſunt illi CCCCL. cymbarum circiter octo millia, canales multi, quorum primus, quem *magnum* vocant, longus pedes MCCC. & latus XL. ad *Rivum altum* ponte illo omnium pulcherrimo tantummodo trajicitur, in quem LXXX & plura ſcutatorum millia impenſa fuere. Ad ejus faſtigium tribus ſcalis elegantiſſimis aſcenditur, & harum media gradibus LXVI. quælibet verò aliarum CXLV. teritur. Ultima deſcriptione cenſæ fuerunt animæ 190714 quod eſt

centum nonaginta millia, ſeptingentæ, & quatuordecim, quæ ſuo victui quotidie tribuunt farinæ ſextarios 1892. qui ſunt annuatim 690580. videlicet ſexcenta nonaginta millia quingenti, & octuaginta. Sex plena milliaria ambitus huius civitatis complectitur.

Et ne multorum næniis prudens homo decipiatur; putans à piſcatoribus Venetias ſuam agnoſcere originem, audiat quid Caſſiodorus Senator & Theodorici Oſtrogothorum Regis à Secretis ipſis Venetis ſcribat: *Vos qui numeroſa navigia in ejus confinio poſſidetis, & Venetiæ plena Nobilibus*, Quæ cum anno 495. acciderint, qui fiunt civitatis ab ortu 80. vel 90. liquidò cognoſcitur, tam brevi temporis intervallo non potuiſſe Venetos tantam nobilitatem penes Regem Italiæ potentiſſimum conſequi, & navigia numerosè ſtemmatibus fuiſſent anteà ornati.

IN VENETIARUM URBEM

JACOBUS SANNAZARIUS.

Viderat Hadriacis VENETAM *Neptunus in undis*
Stare urbem, & toto ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpejas quantumvis Juppiter, arceis
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tiberi præfers, urbem aſpice utramque:
Illam homines dicas, hanc poſuiſſe deos.

DE VENETORUM SIGNIS

Idem.

Romanas, Aquilæ poſt quam liquere cohortes,
Magnanimus turmas ducit in arma leo:

De hexaſticho illo Epigrammate in Sannazarii Vita refert Joh. Bapt. Criſpus, auditum à ſe ex Ald. Manutio Pauli F. à Senatu P Q. Veneto, pro ſingulis verſibus ſingulos centenos aureos, honoris gratia, do-

no,

no accepiſſe : majore ſanè liberalitate quàm ab Alexandro Magno affectus Cherilus-Poeta minimè malus, qui, teſte Flacco, pro bonis verſibus.

Rettulit acceptos regale numiſma Philippos:

Nam & pro malis colaphos abſtuliſſe ajunt, ſi antiquis ejuſdem Horatii interpretibus fides habenda. Majore adhæc uſus beneficentia, quàm M. Antonius Caracalla Rom Imp. qui Oppiano ſuaviſſimo Poetæ pro ſingulis verſibus, ſive ferarum naturam, ſive piſcium, in Κυνηγετικοῖς καὶ Ἁλιευτικοῖς deſcriberet, ſingulos donavit aureos. Tales ſi Mæcenates noſtra ferrent ſæcula, non deeſſent, ut ille canit, Marones. Ceterùm *Venetam* urbem idem Syncerus lib. III. Elegia I. ad Fridericum Ferdinandi Regis F. ſic prædicat:

Quis rurſus VENETÆ *miracula proferat urbis,*
Una inſtar, magni quæ ſimul orbis habet;
Una Italum regina, altæ pulcherrima ROMÆ
Æmula, quæ terris, quæ dominaris aquis,
Tu tibi vel Reges cives facis, ô decus, ô lux
Auſonia, per quam libera turba ſumus,
Per quam Barbaries nobis non imperat, & Sol
Exoriens noſtro clariùs orbe micat.

ITER VENETIIS PATAVIUM EUGANEOS, LOMBARDIAM.

Schott.

AD *Meduaci* fluminis oſtium proficiſcere, obſtructum olim à Venetis, ne fluvius ibidem ſtagnis illabens, ejus lacunas & euripos oppleret, ſuaque alluvione ſenſim terreſtrem acceſſum ad urbem faceret, *Leucæ officinam* nunc appellant locum, ubi navigia mercibus onuſta rotarum volubili machina ex aquis ſublata per aggerem hinc inde transferuntur, vel è ſtagnis in fluvii foſſa, vel ex fluvio in ipſa ſtagna.

Viginti paſſuum millibus proficiſceris *Patavium*, flumine ipſo pacatè ad mare influente navigato,

vel itinere pedibus confecto. & arva feracia & ampla prospicies, imò & Palatia Regibus ipsis idonea jugis vici formam exhibentia. In itinere occurret in primis *Oriaci* id est *Oralaci*, cùm lacunæ eousque pervenirent, *Doli* & *Strata* viculi, & hominum tursum & deorsum incedentium magnus numerus, habebisque ad lævam *Gambararia* villam, quæ terminus est Ducatus (ut ajunt) Venetiarum urbis. & quotquot in Italia extant villarum personis numerosior.

PATAVIUM.

PATAVIUM civitas ponitur in magna planicie, ab Oriente habens mare distans milliaribus triginta, ab Austro & Aquilone planiciem amplam, ab Occasu colles *Euganeos*. Ejus circuitus constat milliaribus septem, & habet formam quasi orbicularem, triplices muros, atque foveas, immisso Meduaco flumine, profundas & navigabiles. Muris cingentibus & propugnaculis Veneti inexpugnabilem reddiderunt. Vetustissimam Italiæ urbem magis certum est *Antenorem* Troja profugum condidisse, quam ut indigeat testimoniis, & à *Pado* flumine *Patavium* esse vocatum. Quod Reipubl. Rom. semper amicè adhæserit difficillimisque temporibus pecunia & armis juverit, credendum est; quare Romani pro sua gratitudine & erga socios fide, Patavinos in Magistratuum Romanorum electione suffragia dare voluerunt. Romanorum tempore equites 500. armare poterat, & posteà in suos hostes XII. millia militum congregavit Romano declinante Imperio *Attila* *Patavium* diruit, quod à *Narsete* restauratum, à *Longobardis* evertitur, & sub *Barbarossa* Imp. incenditur. Tamen sub *Carolo Magno* & ejus successoribus incrementa suscepit, & sua libertate frui cœpit. *Carrarienses*, *Bassani* oriundi, illius dominati sunt, quousque *Ezzelinus* tyrannus eos fugavit, sub quo Patavini omnium crudelitatum atrocia passi fuerunt, & hodie in vicinia *S. Augustini* turris ostenditur, in qua de-

detinebantur inclusi, torquebantur, & occidebantur, ita quod una die Veronæ civium horum XII. millia impiè trucidari mandavit. A *Marsilio* item *Carraria* subjicitur, cujus filii ac nepotes centeno sæculo in ea dominantur, cui post Veneti se præficiunt ann. 1402. Propter singularem amœnitatem opportunitatemque loci, ex Martiale & Catullo probare possumus, *Euganeos colles* jam olim Musarum sedem esse creditos, & *Constantinus Palæologus*, teste Rhodigino, dicere solebat, nisi sciret à sanctissimis viris affirmari, in Oriente Paradisum esse, arbitrari se non alibi eum reperiri quàm in persuavi Patavina amœnitate; tanta est omnibus salubris hujus cæli clementia, *Meduacis* duobus in unum coeuntibus irrigatur, alterum nos *Bacchiglionem* vocamus, alterum *Brintam* seu *Brentam* appellant Hæc igitur (ille enim statim atq; fluere cæpit, nomen amittit) variis anfractibus excepta, urbem ita opportunè adjuit, ut commodius nil excogitari queat; ut sileamus interim, ejusdem aquas alicubi in mœnium & propugnaculorum urbanorum fossam derivari. Omnium rerum summa copia dives est, unde proverbio dicitur: *Bologna grassa, ma Padoa lapassa, è Venetia la guasta.* Frumentum vero ager producit candidissimum Italiæ, & vinum, quod Plinius inter nobilia celebrat. Videbis septem portas, lapideos pontes, fora spatiola quinque, & magnam ædificiorum pulchritudinem, præsertim publicorum, quibus in Italia nulla similia esse tenemus. Sunt tamen nova, quæcumque in ea nunc extant, sive publica, sive privata Prætoriumque, quo nullum in orbe pulchrius esse tenemus, cum esset casu crematum, speciosiùs Veneti construxerunt anno 1420. quod annis 200. & amplius anteà perduravit. Id est plumbo tectum, nullis columnis tignisve suffultum, latum pedes LXXXVI. longum CCLVI. In eo digna sunt quæ spectentur, loculus *T. Livii* ossium, parieti qui Occidentem spectat inclusus, sua ad vivum imagine, & his verbis conspicuus:

VE
T. LIVIUS
LIVIÆ. T. F.
QUARTA EL.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI.
SIBI ET SUIS
OMNIBUS.

Cui etiam additur insigne monumentum ibidem erectum cum titulo & imagine alteri civi elegantis ingenii *Sperono Speronio*. Portis insident viri quatuor, *Titus Livius*, *Jul. Paulus Albertus* ex Augustiniana familia Eremitarum, & *Petrus Apponus*. Prætorio lustrato, visendum superest Gymnasium omnium disciplinarum, ubi quadratum peristylium duas porticus ambulatorias excipit contignatione alteram ab altera distinctas. Est scientiarum celeberrimum emporium *Patavina Academia*, quæ semper viros in omni ingenuarum artium genere claros & celebres fovit, auxitque, ac nobilium auditorum frequentia semper abundavit, non modo Italorum, sed etiam, exterarum gentium, & remotissimarum nationum, & ad Scholasticam disciplinam edocendum excellentiores viri magno proposito præmio advocantur, Amphitheatrum etiam ligneum anatomicum, scholæ complures atque amplissimæ perspiciēdæ, & Collegia novem ad pauperiores studiosos alendos. Saltus urbis & ædificiorum structura id efficiunt, ut omnium horarum civitas dici possit : porticuum enim series per omnes ferè vias protensa, hiemis injurias propulsat, æstatem verò minùs quàm alibi fervidam experiuntur ii, qui perjucundas illius ambulationes norunt. Spectabunt curiosi post Ecclesiam Cathedralē *Petrachæ* domum & *Rhamusiam*, & *Bassianorum* (quam vulgus valsò *Livii* nuncupat) ubi antiquæ inscriptiones Græcæ & Latinæ, & celeberrimum illud (uti appellant) *Triclinium Patavinum Mar-*

Marci Mantuæ Bonavidii, in cujus cavedio marmoreus Hercules coloſſeus *Barthol*, *Ammanati* manu expreſſus. Subſequuntur ædes *Fuſcarorum* (*l'Arena*) ubi præter inſignem & propè Regiam ſtructuram, & viridariorum amœnitatem, admiranda ſunt antiqui Theatri veſtigia, fornices, & muri è quadrato ſaxo compacti. Nobile eſt Præſulis Palatium, at nobiliſſimæ ſunt ædes *Vicentii Sonicæ* Cathedralis Eccleſiæ Canonici, quarum antro nihil eſt apud nos elegantius, cujus ſuperficies muſco, tophis pumicibus, ſcabris lapidibus, coralliis conveſtitur, & ſigillis æreis marmoreiſque diſtinguitur, è quibus plerumque ſalientes aquæ latentibus fiſtulis prorumpunt; ex his icunculæ duæ aquarum ſcaturigines exprimunt. Antri parietes quaternis exornantur ſpeculis, in quibus introſpicientis imago pulchrè variatur. Adde pavimentum marmoreum, quod tubulis viſum pænè effugientibus ſtillas in altum ejaculatur, quas & in ipſo domus aditu canales quidam occulti efficiunt.

Veram Chriſti doctrinam alacriter amplexi ſunt Patavini, *Proſdocimo* D. Petri diſcipulo eis prædicante, & *Vitalianum* urbis Principem convertente, *S. Sophiæ* Eccleſiam ædificante *Henricus IV.* Imperat. Cathedralem Eccleſiam ædificavit, quæ inter primas Italiæ tunc habebatur, quam modò nobiliori ſtructura conſpicimus. Sacerdotes primarii, quî *Canonici* dicuntur, opulentiſſimis reditibus fruuntur, ut etiam illorum aliqui aureorum millia habeant.

Hic cadavera ſunt *Henrici IV.* Patavii Regis & *Bertæ* ſuæ conjugis ac Reginæ, de quibus legitur:

Præſulis & Cleri præſenti prædia fano,
Donavit Regina iacens hoc marmore Berta,
Henrici Regis Patavi celeberrima Quarti
Conjunx, tam grandi dono memoranda per ævum.

Caiethani Thienii ſummi Philoſophi oſſa parieti inclusa ſunt, & *S. Danielis* in tumba marmorea ſubtus chorum venerantur. Sacra ædificia univerſa templum *D. Antonio Vlyſſipponenſi* ſacrum anteit, plum-

plumbeis teſtudinatiſque fornicibus tectum. In ea inſpiciendum eſt Sacellum ipſius *D. Antonii*, in quo columnæ, ſtylobatæ, epiſtylia elegantiſsima è Lunenſi marmore fabrefacta, novem intercolumnia itidem marmorea, præclarorum artificum manu expreſsis aliquot ejus Sancti miraculis complectuntur. Ad aram ſanctiviri gradibus aliquot adſcenditur, quæ ſigna ærea ſeptem oſtentat. Sacellum operit elaboratiſſima teſtudo. Aram maximam, in quam decem aureorum millia impenſa ſunt, includit chorus ſedilibus ſectili ligno depictis. Candelabrum aureum optimè elaboratum, & ara ipſa marmorea, opere & materia præſtans, in extimo chori pariete incluſæ ſunt æreæ tabulæ duodecim inſignes. Sacrarium inſtruunt Sanctorum plures Reliquiæ, vaſis argenteis incluſæ, veſtimenta ſacra aurea, argentea, cruces ex argento x. ſigna Sanctorum argentea XVI. calices L. vala tria elegantiſſima, quibus ſacratiſſimum Domini noſtri Corpus pro tempore continetur, candelabra argentea gemmeaque, lychni, thuribula, ſittellæ, & aſpergilla pro aqua luſtrali, ſigna votiva legitimæ ſtaturæ LIV. argentea omnia. Inter hæc eminet navis omnibus inſtructa armamentis, & Pataviæ urbis forma archetypa, in cujus medio ſurgit Prætorium ductili & fuſili opere diligentiſſimè expreſſum. Si qui pictura capiuntur, habent illuſtris *Giotti* manum propoſitam in ædicula *D. Felicis* Summi Pontificis, ubi ejus corpus adſervatur, quia neſcio an perfectius quidpiam, temporum inſpecta conditione, reperiri poſſit. Apparet *Fulgoſii* & *Trombetia* ſepulchrum. In hujus templi cœmeterio ſpectanda occurrit equeſtris ex ære ſtatua *Gattamelatæ* Veneti exercitus Imper. à Senatu Veneto excitata, *Donati Flor.* opus, & in periſtylio *Riarii* Patriarchæ Alexand. & *Franc. Robortellii*. Proximum eſt huic *D. Juſtinæ* templum, quo proficiſci ne pigeat, ut abſolutiſſimum opus ſedulo perluſtretur, illuſtri mole, è quadrato ſaxo, ingenioſiſ-

ſimum

simum choro nuceo, utriusque Testamenti mysteriis figurato, ac *SS. Matthæi* Apost. *Lucæ* Evangelistæ, *trium Innocentium*, *Prosdocimi* & *Justinæ*, & aliorum quinque Martyrum ornato, præter innumeras 80. Reliquias, quæ in crypta ibi visuntur, cum lapide in quo ii plectebantur capite. *Junonis* olim *fanum* eo loci fuisse, in quo rostra navium spoliaque Græcorum, victoria navali pacta & fixa ab Æmilio Cons. è Salentinis expulsorum, & *T. Livii* ossa inventa extitisse docti asserunt. Visendum itidem Monachorum *S. Benedicti* ibidem commorantium amplissimum cœnobium, omnibus aliis Cœnobitarum locis coæquandum ædificiis, situ, religione, ac reditibus, habet enim mille passus in circuitu, aureos quasi centies mille in proventu, & gaudet initio reformationis Benedictinorum apud Italos. Peramplа est Ecclesia *Prædicatorum* titulo *S. Augustini*, ubi ossa *Jacobi Carrarii* urbis Patroni visuntur, & quiescit *Thomas Peregrinus* Dominicanus Metaphysicus acutissimus; *Eremitarum Augustinianorum*, ubi *Marcio Mantuæ Benavidii* monumentum insigne, & *Andreæ Mantegnæ* Patavini pictoris eximii, cujus cenographicæ præsertim ædificiorum delineationes dignæ sunt quæ spectentur, *S. Francisci*, in qua *Barth. Cavalcantis*, *Cagnoli I. C.* & *Longolii* ossa reponuntur: cui Longolio Bembus P.

Te juvenem rapuere Deæ fatalia nentes
Stamina, cum scirent moriturum tempore nullo
Longoli, tibi si canos senumque dedissent,

Apud Capucinos sepelitur *Franc. Card. Commendinus.*

Illustre reddunt: *Patavium* suis sacris corporibus *S. Leolinus*, *Daniel*, *Lucas*, *Antonius*, *Peregrinis*, *Jordanis*, *Helena*, *Beatrix*, & *Eustochius*. Sex *Mendicantium* Instituta, cœnobia præclara inhabitant, divinam & humanam sophiam suos magno numero docentes. In porticu ducente ad *S. Franciscum*, occurrit sepulchrum lapideum, quatuor columnis erectum

ctum,& quaſi concameratum,habens in medio.

Inclytus Antenor patriam vox niſa quietem
Tranſtulit huc Henetum Dardanidumque fugas,
Expulit Euganeos, Patavinam condidit urbem,
Quem tenet hic humili marmore caſa domus.

Alit *Patavium* civium capita octo & triginta millia, quorum multæ ſunt familiæ nobilitate fulgentes.

Plures priſcis temporibus nativitate ſua urbem hanc decorarunt, ut *T. Livius*, *Aſconius Pedianus* Orator, *Aruntius Stella*, *Valerius Flaccus* & *Valuſius* Poetæ, *Paulus*, qui Alexandro Severo Imperatori à Conſiliis fuit; *Petrus Apponus* d. Conciliator. *Franc. Zabarella* Cardin. & mille alii. Hiſce verò annis ſibi patriam agnoſcunt, indieſque venerantur præclariſſima ingenia, quorum ingens eſt numerus. Mulieres inſuper Patavinæ, tantæ caſtitatis ſeveritatiſque fuerunt, ut ea in proverbium abierit, quò pertinet illud Martialis:

Tu quoque nequitias noſtri luſuſque libelli
Uda puella leges, ſis Patavina licet.

Templis *SS. Antonii* & *Juſtinæ* interjectus eſt hortus in Medicorum gratiam, rarioribus herbis conſitus, cujus leges legas in marmoream tabulam ſupra portam inciſas.

TRIUMVIRI LITERARII.

I. PORTAM HANC DECVMANAM NE PVLSATO, ANTE DIEM MARCI EVANGELISTÆ ANTE HORAM XXII.

II. PER DECVMANAM INGRESSVS, EXTRA DECVMANAM NE DECLINATO.

III. IN VIRIDARIO SCAPVM NE CONFRINGITO, NEVE FLOREM DECERPITO, NE SEMEN, FRVCTVMVE SVSTOLLITO, RADICEM NE EFFODITO.

IV. STIRPEM PVSILLAM SVCCRESCENTEMQVE ATTRECTATO, NEVE AREOLAM CONCVLCATO, TRANSILITOVE.

V. VIRIDARII INJVRIA NON AFFICIVNTOR.

VI.NI-

VI. NIHIL INVITO PRÆFECTO ATTENTATO VII. QUI SECUS FAXIT, ÆRE, CARCERE, EXILIO, MULTATOR.

Haud longè *Patavio*, *Lacunas* & *Metamauci* portum versus *Castellum Plebi saccium* est cui *Pulverarius* pagus ferè contiguus, ubi gallinarum gallorumque gallinaceorum genus adeo corporis vasti, ut grues videantur, quodque miraculi est instar, degenerant si alio traducas. Ad Meridiem *Lacunæ* dilatantur, in quo sinu antiqua & parva urbs *Adria* sedere videtur. In Patavinis inter Aquilonem & Eurum *Campi S. Petri Castellum* adjacet, unde hujus nominis familia, quæ *Ezzelino* tyranno restitit, oriunda. Inter *Patavium* & *Bassanum Citadella* oppidum ferè medium ad Aquilonem. Ad Occasum *Vicetia* urbs, & *colles Euganei* siti sunt, voce Græca quasi nobiles & generosi vocati, deliciis enim exubarant usquequaque, nec, Appennini aut aliarum Alpium pars, quod vix aliis contingit. Ceterùm, ab *Euganeis*, qui primi illos incoluerunt, nomen sortiti sunt. Quinto à *Patavio* lapide *Aponum* propter balnea celebratissima frequentatur, cujus ad sinistram *Præja* Monachorum Cassinensium Abbatia opulentissima, in magna & amœna planicie. Supraque paulò in *Rua* montis corona Eremitæ magnifica sanctitatis fama ipsi Deo operam dant. Quibus in locis pulcherrimis *B. Mariæ Virginis Montis Ortoni* templum, miraculis nobilitatum, Palatiaque innumerabilia. Inter Occasum & Meridiem alveus est *A teste* Patavium navigabilis. Inter *Patavium* & *A teste*, *montis Silicis* oppidum admodum nobile & antiquum, collibus undique septum, cui rudera arcis olim munitissimæ imminent. Hic optimarum ad Theriacæ compositionē viperarū magnus venatus. Sinistrorsum in collis clivo *Arquatum Francisci Petrarchæ* litterato labore vicum decantatissimū invenies, ubi statim in principio pro templi foribus, ejus sepulchrum quatuor columnis è rubro marmore sustentatum est oculis obvium.

In

In editiore vici parte ejuſdem ſatis lautæ ædes, cum abaco & ſella inſignis opificii. Ad hæc bibliotheca cum impolitis quibuſdam ſedilibus, cumque murilegæ oſſibus ita compactis, ut ſpirare videatur. Nuſquam cælum clementius quàm in his collibus nuſquam vina ſuaviora. Secundo ab *Arquato* lapide, ſuperbum & verè Regium *Obiciorum* Palatium; quod *Catajum* vocant, in colliculo exædificatum ſeſe oſtendit, cui numquam ad aucupandum volucres, aut ad venandum feræ deeſſe poſſunt. In planicie quà labitur flumen, vicum, quem *Bataleam* dicunt, invenies; hinc ad ſeptimum milliarium *A teſte* oppidam antiquiſſimum, à quo *Eſtenſes* Principes duxerunt originem, quorum Palatium in Prædicatorum cœnobium noſtro tempore mutatum eſt. Multique ex illa nobiliſſima familia in *D. Franciſci* Eccleſia ſepulti. Oppidum rerum omnium copia, primiſque vini generoſiſſimi abundans. Civium ad decem millia proventus publicus ad aureorum millia 18. Hic montem *Vendæ* conſcendes, in cujus cacumine univerſam *Romandiolam*, *Forum Julii*, *Venetiarum maritima*, utriuſque Marchiæ, *Anconæ* ſcilicet ac *Tarviſii*, *Iſtriam*, montes *Dalmatiæ* & *Croatiæ*, & multas *Lombardiæ* civitates clariſſimè perluſtrabis, & à Patribus Oliveranis benignè in eo excipieris. Illinc etiam Abbatiam *Carcerum* ditiſſimam Patrum Camaldulenſium tria millia paſſuum interſunt. Confice decem milliarium iter, & *Mantuanum* oppidum, nobilitate & divitiis cum *A teſte* contendens, in cujus agro cannabis proventus incredibilis, videbis, à quo *Lemniacum* oppidum munitiſſimum, & *Atheſi* interfluente pulcherrimum, civiumque quatuor millibus populatiſſimum, cæli gravitate minus ſalubre, octo milliaribus abeſt. Haud procul oppidiculum ſitum eſt *Sanguinetum*, in ipſis ferè Imperii Veneti finibus, unde aquæ multæ ſcaturiunt. Inde via lata & recta 18. milliariis *Mantuam* itur.

Si ad meridiem *Patavio* egredieris per portam

S. Cru-

S. Crucis Ferrarium versus, *Rhodigium* urbis titulo insignitum à Principe, *Patavio* 25. millibus passuum abest, *Ferraria* 18. via communi, ex *Adria* urbis olim primariæ ruinis ædificatum. *Conselvum* attamen primum invenies, deinde *Anguillariam*, ubi *Athesis* trajicitur. Alluitur *Rhodigium* à placidissimo Athesis cornu, propius Lacunis Adriæ distat, ambitus passuum supra mille, & civium nobilium decem ferè millibus florentissimum. Clarorum virorum ingeniis numquam non claruit, inter quos qui è vita discesserunt, connumerantur Cardin. *Roverella*, *Brussonius* Poeta Laureatus. *Cælius*, & *Riccobonus*; ex vivis *Joannes Bonifacius I. C.* in universo scientiarum orbe versatissimus, antiquæ probitatis vir, comis, urbanus, in cujus modesto vultu animi candor, & nescio quid sanctitatis apparet, luculentissimæ illius Tarvisinæ Historiæ, & libri de Furtis auctor. *Joannes Thomas Minadous* Medicinæ Patavii publice Professor, Historiæque Persicæ scriptor. *Hieronymus Fracchetta* rerum Politicarum itidem scriptor. In *D. Francisci* ædibus *Antonii Riccoboni*, doctissimi *Ludovici Richeris*, & *Cælii* doctissimi cineres servantur, cujus imaginem ad vivum expressam in ædium illius frontispicio videbis, iconemque *Virginis Deiparæ*, quam *Auxiliatricem* vocant, tot edentem miracula. Hic Episcopus Adriæ sedem statuit, quam urbem Senator Venetus titulo prætoris Præfectique totius Peninsulæ, (qui titulus æquat dignitatem prætoris Bergomatis, Tarvisinique) regit, Forenses & Jusdicentes peritos secum habens militumque Vice-Ductorem, seu quem vocant *Vice-Collateralem*. Arce antiquissima, turri pulchetrima, & muris, fossis, turribus, Palatiis, & publica platea ornatum conspicies *Rhodigium*, ab Equitibus, Doctoribus, & Nobilibus viris inhabitatum. *Lendonariæ Abbatiæ*, multisque aliis præstantibus locis & villis præest; feracissimis agris & magna planicie abundat, quo fit, ipsum merito à cunctis *Venetum horreum* nuncupari.

Hujus

Hujus urbis loca & fines cùm à *Pado*, *Athaſi*, *Tartaro*, & *Caſtagnaro* fluminibus alluantur & circumdentur, *Peninſula Rhodigina*, & ab Italis *Poleſino di Rovigo* dicuntur, Quod nomen *Poleſino* ſi mediis ſyllabis immutatis *Poſileno* dices, ea magnam fore inſulam ſignificabis.

Verſus Occidentem itinere 10. millium paſſuum veneratur Corpus *S. Bellini* martyris, Præſulis Patavini, qui ſuis precibus adjuvat morſos à canibus rabidis ſuntque *Lendinaria* & *Abbatia*, terræ non infimæ ac opimæ. Via, quæ *Roſatorum* dicitur, canalis *Caſtagnarii* torrentis, deinde *Padus* tranſmeatur prope vicum *Francolini*, & 5. milliaribus confectis *Ferrariam* pervenies

VICETIA, ſeu VICENTIA.

PRISCIS temporibus 24. & trecentos annos ante Chriſti Salvatoris adventum, *Vicetia* in Venetia 40. mill. paſſuum intervallo à mari diſtans, in radicibus *Berici* montis, qui inter *Euganeos colles* numeratur. Meridiem contra ab *Euganeis* condita fuit, ab *Henetis* habitata, & à *Gallis Senonibus Brenno* Duce laxata & amplificata. Cum ſuburbiis quatuor milliaria occupat, & eſt ſcorpioni ſimilis, longitudine multò amplior quàm latitudine, ab Ortu ſe incurvans, ſinu lunato duo brachia pandit, alterum ſiniſtra, qua *Patavium* itur; alterum dextra quà ad montem aſcenditur; media inde urbe ſe quaſi in ventrem colligit, & Occaſum verſus ſe attendans, extra portam arcis alterius ad ædem *Felicianam* ſe uſque inflectendo, in caudam deſinit, montis & planiciei ita particeps, ut mons planiciei impedimento non ſit, neque planicies montis oblectamento omnino careat. Quòd ſi montis pars mœnibus cingeretur, non ſolùm *Alviani*, *Franciſci Mariæ* Metaurenſium Ducis, & *Julii Savorniani*, ſed omnium ferè ſententia, operibus munitionibuſque adhibitis aliarum quas habent Veneti urbs tutiſſima & pulcherrima redderetur. Duplici murorum corona qua cingitur, pluri-

buſ-

busque arcibus olim munitissima erat, sed in præsens diversa muniendarum urbium ratione, non satis firma habetur. Octo stant portæ per ambitum, ut quæ interioris ambitus fuere prætereamus. Interluitur duobus satis amplis fluminibus *Meduaco inferiore*, seu *Bacchilione*, & *Eretena* ingentem molarum numerum versantibus. Patavii que urbe pervagata in mare illabentibus, magna civium commoditate in importandis & exportandis mercibus & frugibus super quibus pontes sublicii & lapidei septem calcantur, inter quos eximiæ structuræ unus, & priscæ antiquitatis duo conspiciuntur. Dividitur in XV. regiones, in multa compita & complures vicos. Macella publica quatuor, sex itidem sunt urbi fora, annonæ, olitorum, boarium, piscarium, Curiæ Episcopalis, & Nobilium verè magnificum, in quo domus Prætoria sita est plumbo tecta, porticu, scalis, statuis ornata, sine aliquo fulcimento columnarum tignorumve suffulta, turris sua gracilitate & proceritate nobilis, columna marmorea; ædes publicæ ad mutuandam pecuniam pauperibus erectæ cum Sacello, & Divum Tutelarium signis non parvam foro majestatem addunt. Palatia multa adeò sumptuosa, quæ vel magnorum Principum hospitia non indigna esse possint, ut illud Comitis *Leonardi Valmaranæ*, in quo *Mariæ* Imp. *Maximiliani* II. uxor, *Rudolphi* II. mater & *Caroli* V. filia diversata est; licet capaciora non desint, quæ amplitudine atque magnificentia quasi regia videntur, quo facie tota civitas undequaque conspicienda venit. Olim inter *Bergicum* suburbium & *Eretenum* flumen, prope domum Nobilium familiæ *Gualdæ* Theatrum habuit Vicetia, in quo *Pipino* Gallorum & *Desiderio* Longobardorum Regibus publici ludi facti sunt. Nec procul Palatium stetit Imperiale, ubi Imp *Honorius* tulit legem Dudum, C. De contr. empt. Domus Episcopi tantæ dignitati par est sua elegantia. Turres multæ. Xenodochia opulenta numero XI. Sacrarum Virginum

cœnobia XII. Cucullatorum Sacerdotum XVII. Presbyterorum reformatorum tria. Paroeciæ XV. Oratoria VI. Mulierum reformatarum loca II. Pietatis Mons centum scutatorum millium sortem & eo amplius habet. Terges ad ædem majorem fornice grandi, & SS. Martyrum *Carpophori* & *Leontii* corporibus venerandam, & XII. mill. aureis annuatim donatam.

In Patrum *Dominicanorum* Conventu sacram Coronæ Salvatoris nostri *Spinam*, quæ in pulcherrimo servatur Sanctuario, ostendendam tibi curabis. Hanc *D. Ludovicus* Francorum Rex anno 1259. Lutetiæ dono dedit *F. Bartholomæo ex Bregnatiis* insignis pietatis viro, Vicetiæ Episcopo, & D. Dominici sectatori, anno qui postero eam Vicetiam unà cum Pluviali purpureo auratis variegatum gallis, quod anteà ipsius Regis amictus fuerant, deportavit.

Rem quidem jucundam auditu Patres ipsi Dominicani tibi narrabunt; ubi scilicet culinæ focus est, fuisse olim hæreticorum cathedram Arianorum, quos ipse, quem suprà diximus, sanctus Episcopus urbe exegit locumque suis Dominicanis Sacerdotibus dedit ad habitandum, divinoque Numine factum est, ut ubi ignis hæresis pravarumque anteà ardebat opinionum, ibi ignis persecutores hæreticorum nutriens deinceps aleretur. Est hoc cœnobium elegans, religiosum, vereque in urbe primarium, in quo est Musæum nostrum, curarum & cogitationum, vel cultus Dei causſa, vel hominum utilitatis, vel officii tuendi conscium à me susceptarum; in quo XX. amplius opera, vel ad divinam Scripturam, vel ad Scholasticam Theologiam, vel ad Inquisitionis officium, vel ad Latinam linguam & Italicam, vel ad Historiam pertinētia à me composita invenies, quorum pleriſque adhuc in litura jacentibus extremam manum non imposuimus. Speramus autem nos brevi in lucem edituros *Palatium incantationum*, *Librum de Jure statûs Ecclesiastici*, *Beata Catharina Senen-*

sis

sis vitam & Additionem, & Paræneſim in Marii N. Zolii Theſaurum Ciceronianum. Quapropter amici mei cum inſigne, quo mea in litteris ſtudia, in S. Inquiſitionis officio erga vel Religionem meam obſequium, & in cæleſtium contemplatione ſollicitudinem hieroglyphicè inſinuare adhortarentur. Lentiſcum arborem ſeligendam putarunt, (hæc enim arbor perpetuo viret, terque in anno fructus profert, iiſque ſemper gravata conſpicitur) Addiderunt pro anima, *Triplici ſolita grandeſcere fœtu*: quæ verba Cicero ipſe in Lib. de Divinat. ex vetuſto poeta uſurpavit, dicens:

Lentiſcus ſolita, &c.

Extat *Vicetiæ* Theatrum nobiliſſimum ab Academicis Olympicis jam dim ædificatum, in cujus XIV. gradibus & orcheſtra, ſpectatorum plus tria millia commodè ſedent. Quod cum vix ad tectum perveniſſet, & adhuc imperfecta & impolita eſſent omnia, id eſt, nec gradibus, nec columnis, nec ſtatuis, nec ædificiis ad fabulam agendam inſtructum eſſet, in eo exceptus eſt *Gulielmus Gonzaga* Dux Mantuæ, vir non tam dignitate quam ingenii excellentia conſpicuus, ibique laudatus eſt pereleganti Oratione ab *Antonio Maria Angelello* Academico, ſummis Oratoribus ætatis noſtræ anteponendo. Moſcovitarum etiam Legati quidam, qui per hanc urbem Roma profecti iter habent, ad hoc Theatrum viſendum & contemplandum ducti ſunt, ibique & muſica & convivio honorati. Non multo pòſt Japonenſium adoleſcentes quidam ex Regia ſtirpe oriundi, comitante *Antonio Poſſevino*, viro doctrinâ ſummis viris comparando, & prudentiâ Vlyſſi illi à Poetis & Hiſtoricis celebrato anteferendo. hoc Theatrum videre voluerunt, ubi *Livius Patellus* vir nobiliſſimus inter Vicetinos Academicos, acerrimique judicii, in litteris & in Poetica facultate excellens, Orationem luculentam habuit, in qua Japonenſes ipſos maximis affecit laudibus. In eodem excipiuntur quotidie

die Cardinales, Principes. & urbis Rectores, orationesque habentur ab Academicis, recitanturque carmina cum magno hominum concursu. In illo acta est anno 1585. *Oedipus Sophoclis* sub perillustri Comite *Leonardo Valmarana* Academiæ Principe. Ad quam spectandam magna ex finitimis urbibus multitudo confluxit. Venetorum maximè, Patavinorum, & Veronensium Ex quo factum est, ut Academici ipsi ter ipsam agere coacti sint, cum maxima omnium admiratione apparatus & melodiæ, quæ omnium famam & expectationem vicerunt. Omitto elegantiam & sumptum vestium, quibus eo tempore Academici usi sunt: nam non privati alicujus urbis cives, sed tot Principes spectatorum oculis judicati sunt. Quare qui spectaturi ibi sedebant, nunc scenæ aspectum statuis, columnis, & tot luminibus instructum, ut ex nocte dies factus putaretur, laudabant, nunc actores peritissimos admirabantur, nunc musicen ad cœlum tollebant, nunc Academicos ipsos per gradus. per scenam, & per orchestram, ubi mulieres sedebant, cum ingenti voluptate intuebantur: & ut verè dicam, sex illis aut septem diebus Vicetia non privata urbs, & subdita, sed alicujus Regis aut Imperatoris sedes mihi visa est.

In fronte Scenæ talis est inscriptio:

OLYMPICORUM ACADEMIA THEATRUM HOC A FUNDAMENTIS EREXIT, ANNO M. D. LXXXIV
ANDREA PALLADIO ARCHITECTO.

In atrio magno & elegantissimo sunt Academicorum insignia, quæ vulgo *Impresse* dicuntur, & supra tria ostia hujusmodi inscriptiones:

OLYMPICIS EXCITAMENTO.
CIVIBUS OBLECTAMENTO,
PATRIÆ ORNAMENTO.

Vicetia aëris temperie, aquarum salubritate, terræ fertilitate nulli postferenda civitas, Lanariorum so-

cieta-

cietate magna fruitur. Bombyces unicè hoc saluberrimo cœlo gaudentes immensos thesauros elargiuntur serici, quia solùm trimestri tempore nascuntur, moriuntur, reviviscunt, & in alia re nulla laboriosiùs ingenioſiùsve ipsa versatur, cùm in volvendo, devolvendo, retorquendo centum millia librarum ejus pretiosi staminis, & mille aliis in modis, sexcenti defatigantur artifices. Unde in hac negotiatione si minus præstant Vicetini, saltem ceteras Italiæ urbes æquare videntur. His ductus *Paulus* III. Pont. Max cùm Generale Concilium orbi Christiano indicere vellet, Vicetiam elegit, uti rerum quarumcumque encyclopediam, & cuilibet nationi homogeneam.

Prosdocimo, Patavino Episcopo fidem Christi prædicante, Apostolorum Principe *Petro* adhuc vivente, recipit fidei lumen *Vicetia*, quam cum suis vicis refertam fuisse civibus Romanis multa indicant; sub Romano etiam vixisse Imperio, inde conspicitur; quòd Cicero ipse libro 2. Epist. dicit, *Vicetini mè, & Brutum præcipuè colunt*: quique Brutos Cæsaris interfectores patronos habuerunt. Interdum libera suos ipsa populos moderata est, ut circumpositæ aliæ civitates, quæ cum Veronensibus confœderata & Mediolanensibus, *Barbarussam* Imp. bello presserunt, Italiaque repulerunt *Henrico* Imp. *Friderici* filio, cum ceteris præsidio affuerunt in Italiam profecto; Mediolanensibus auxilio fuerunt, & *Cassano Turriano* adversus Vicecomites. *Canam Scaligerum* Veronæ Dominum reducem fecerunt; prælium commiserunt in urbe ipsa adversus aggressores Patavinos, quos & fugarunt Vicetini. Urbem vastavit ipsam cum aliis *Attila* Hunnorum Rex potentissimus, unde plurimi ad Venetas confugerunt insulas, insidentesque progenuerunt incolæ ipsi Venetos nobiles *Grimanos*, *Aymos*, *Gradonicos*; in eamque barbare se gesserunt *Berengarii*, *Vindelici*, *Scaligeri*, & *insubriæ Reguli*. Quo factum est, ut *Vicetini*, quî vicissitudinem rerum passi,

excidio toties depopulationique fuere obnoxii urbem toties eversam, genus hominum alioqui fortissimum videtur. Ceterùm, anno à Virgineo partu 1404. conspirare cum XIII. Helvetiorum pagis, à quibus vehementer sollicitabantur, recusarunt, & ultrò Reipubl. Venetæ se dediderunt, sub qua longa pace cuncta refovente quiescunt. Hominum in urbe millia triginta hæc nobis scribentibus censa sunt. Uberrimæ multitudinis ingenia, instituta, mores, ritus, potentiam, splendorem domi forisque haud commemoro. Nobiles familias habet CC. quibus M.DC. in censu esse fama est. Ex Sacerdotiis scutatorum CXXV. millia in singulos annos exiguntur. Annua nummum aureorum VIII. ex proventu publico huic sunt. Principi solvit vectigalia quotan. LXXX. mill. sine ullo Reipubl. onere, vel militum, vel equitum.

Tria numerantur collegia, *Physicorum, Jurisconsultorum, Tabellionum.* Ex more Consilio LXXX. virorum, gubernator quod ter in anno cogitur, ut Magistratus servosq; publicos sortiantur. Decem viri ex Patriciis quos *Deputatos* appellant, rebus publicis curandis præsunt. Consules XII. à quibus non est appellatio, pro mortis processibus formandis, causisque omnibus capitalibus judicandis creantur, quod nulli alii non liberæ civitati in Italia conceditur. Præfecturis XI. quas *Vicariatus* vocant, potitur Vicetia, quoad Jus dicendum Primates mittuntur. Multi in hac urbe sunt Judices oppidani, præcipuus autem unus, ad quem non solum à Pedaneis Judicibus, verùm etiam (qua dignitate carent reliquiæ in continenti omnes urbes Venetorum) à Prætoris Vicario litigantes provocare solent.

Prætorem, Præfectum, & Camerarium, tres Nobiles Venetos pro Repub. agnoscit, illisque obsequitur inviolata fide. Multi fuerunt *Vicetini* morum sanctimonia imitandi: qui nunc vultui Dei assistunt in cœlis. *Felix* & *Fortunatus* fratres *Leontius* & *Carpo-*

pho-

thorus pro Christo martyres, *Bartholomæus* Episc. qui Spinam Sacram dono habuit: *Joannes* Prædicatorius, super quem visus est Spiritus sanctus in columbæ specie dum populo concionaretur; hic dissidentes Lombardiæ civitates conciliavit, Sedis Apostolicæ Legatus, *Paulus Almericus* Dominicanus, & plerique alii. Vicetiæ nati sunt, indicesque oriuntur Rom. Ecclesiæ Prælati, ex quibus exstant *Garzaderus* pro Summ. Pont. apud Germanos Principes Nuntius Cherſi & Ossuri Episcopi *Marzarius* S. Severini, *Saracenus* Monienſis *Velius* Lerini Præsules, quibus annumerandus est *D. Gaetanus Thienuus* unus ex Institutoribus *Patrum Theatin rum.* Literis præstantiores extitetunt *Rhemius Palæmon* Grammaticus illustris, & sui temporis primi nominis in urbe Roma. *Omnibonus* Rhetor celeberrimus sui sæculi, *Gallus* Poëta Aug. tempore, *Antonius* & *Bugamantes Lusci, Cajetanus* & *Ferrantes Thiennai,* quorum alter Philosophia, & alter Legibus in Gymnasio Patavino eminentissimè claruit; *Leonardus Portius,* qui pondera & mensuras Romanas adhuc incognitas aperuit in lucem; *Joannes Georgius Trissinus,* de quo alibi, *Hieronymus Gualdus,* literis præstans humanioribus; *Fracanxanus, Montius,* & *Massaria,* Medici; *Julius Barlaranus* J. C. & *Promtuarii omnium scientiarum* auctor; *Bellius* in cælandis gemmis & crystallo peritissimus, *Georgius Caput blancus* annulum construxit digito portatilem, cum horologio mirandæ tenuitatis, horas quascumque pulsantem & indicantem. Naviculam insuper constituit opere pegmatico vel automatico, super mensam per se pergentem, cum muliere ornata lyram pulsante, nautis remos agentibus, catulo in prora baubante. *Palladius* in architectura primarius nostri temporis numquam priscis inferior. Moderni restant aliqui, ætate sequenti ingenio & litteris commendandi, qui magnam coronam Jurisconsultorum & Physicorum, & Poëtarum contexunt. Non inficior, quidem, Vicetinos ad ar-

ma propenſos fore, Mavortiſque aſſeclas; animum enim geſtant viribus audacem, ut cum lacte videantur ſecuritatem combibere, qua periculum neque futurum expectant, neque præſens horreſcunt. Præcipue in re bellica floruerunt *Ant. Cecinna* Vitellii Imp. Legatus; *Peredæus* & *Vettaris* Duces Longobard. *Joan. Traverſius. Joan. Clericatus*, *Leonardus Triſſinus*, *Ludovicus* & *Octavius Thiennai Petrus Franciſcus* & *Hippolytus Porti*, hic *Ducem Saxoniæ* Prælio ſuperatum & captum *Carolo* V. Imp. victori præſentavit. His coronidem impoſuit *Joannes Thiennius*, olim Brutiorum Pro Rex, & Neapolis Regum ac Inſubriæ Ducum Legatus Conſiliarius, & Regulus. E vivis nunc illuſtres habentur alii inclyti nominis, & militiam præclarè perſecuti *Alphonſus*, & *Aloyſius* fratres *Porti*, gravis & equeſtris armaturæ ductores, qui conſtanti animo pace belloque Reip. Venetæ inſerviunt.

Equites inſuper, Comites, & Marchiones urbem ſuam amplificare contendunt.

Extra portam *Veronam* ducentem, ad dexteram viridarium & hortus eſt *Leonardi Valmaranæ* Comitis, cujus animi decor & magnificentia, quamvis mille aliis in rebus clariſſimè fulgeat. Principibus Italiæ nihilominùs charus *Rudolphi* II. Imp. *Philippi* III. Regis Catholici, & Archiducum Auſtriacorum intimus, illud ſumptu regio plantari juſſit, ornatum vivariis, topiariis, labyrintho arboribus omnigenis præſertim cedris, malis Maſſilicis, & aliis centum fragrantibus, parietibus induris mali Punici foliis, ædibus planicie, colle, ac ſumma rerum quæ oblectare poſſunt amœnitate. Quamobrem jure merito in ſumma corona ſcribi voluit:

SI TE. INGREDIENTEM. GRAVIORES FORTE
HVC VSQVE. INSECVTÆ, SVNT. CVRÆ
EAS. VELINT. NOLINT. PROCVL.
NVNC

NVNC. VT. ABEANT. FACITO
HILARITATI. NAMQVE. ET. GENIO
PARS. HÆC. POTISS. DICATA. EST

Dum fragrantia & aſpectu fructuum recreari incipies. hiſce verbis admoneris:

CEDROS. HOSCE. QVI. DEMPSERIT
FLORESVE. CARPSERIT
IS. SACRILEGVS. ESTO
VERTVMNOQVE. ET, POMONÆ
QVEIS. SVNT. SACRI
POENAS. LVITO

Utque pro comperto habeas. Comitem ipſum urbanitate ſua (quæ magna eſt) pectora metiri ingredientium. ſupra oſtium exterius inciſa ponuntur.

CIVIS. AMICE. ADVENA.
QVI. LOCI. AMOENITATE, CVPIS. OBLECTARIER
SECVRVS. HVC. INGREDERE
TEQVE. LARGITER. RECREA
NVLLVS. INTVS. CANIS. NVLLVS. DRACO
NVLLVS. FALCE. MINACI. DEVS
OMNIA. SED. TVTA. BENIGNEQVE EXPOSITA
SIC. VOLVIT. COMES. LEONARDVS.
VALMARANA. HORTORVM. DOMINVS.
MODESTIAM. QVOD. TVAM. ET. CONTINENTIAM. CVSTODEM. FORE. FIDAT.
OPPORTVNVM. ANNO MDXCII.

Ibi propè eſt ſuburbium, & templum *SS. Felicis & Fortunati* Martyrum, civiumque Vicetinorum. antiqua Monachorum *D. Benedicti* Abbatia, ubi ſacrarium pulcherrimis marmoreis Græcè concinnatis incruſtatum mirabiliter oblectat oculos. Ad ſiniſtram pratum latiſſimum, qui *Campus Martius* vocatur, flumine cinctum habet. In hoc juvenes in arenam deſcendebant, ut vario exercitatio-

num genere corpora indurarent, flumina tranare assuescerent, & in quo quotannis nundinæ fiunt & campestria belli simulacra spectantur. In *theatro* scenici edebantur ludi, quod nimia demum vetustate corruit, ejus tamen vestigia ad hodiernam diem apparent.

Per portam *Berici montis* egrediens ad Meridiem, habebis in conspectu amœnissimos colles, & statim in principio ipsorum ascensus, *Jacobus Bragadenus* urbis Præfectus arcum ex marmore superbissimum extruxit, cui *Franc. Bernardinus Saracenus* Vicetinus civis ornatissimus, longissimas pulcherrimasq; scalas ex eodem marmore adstruxit. Via reliqua ad templum usque lapidibus strata. Utrumque sanè opus luculentum & augustum, quodque elegantia & sumptu, quidquid est in Italia admirandum, exæquare videatur. Horum operum duobus solidis lapidibus, altero ad arcus; altero ad scalarum summitatem, litteris in hanc sententiam excisis, memoria posteris prodita est:

DEIPARÆ VIRGINI BERICÆ
MONTIS
IACOBVS BRAGADENO AMBROS F. PRÆP.
RELIGIONIS, ET VRBIS AMANTISS. D.
M. D. XCV.
FRANCISCVS BERNARDINVS
SARACENVS
SCALAS. FECIT. EX. STIPE
PVBLICA. PRIVATIM. Q.
COLLATA
ET. VIAM. RELIQVAM
AD. MARIÆ. TEMPLVM. VSQ.
SILICE. PROMOVIT.
CIↃ. IↃC.
HOSPES. SI. PROPERAS.
PAVLVLVM. SISTITO
VRBIS. COLLIVM. FLVMINVM

AGRO-

AGRORVM, ALPIVM ASPECTV
LABOREM, LENITO
ABI, . PERGE . TIVS
DEI, MATREM. VIRGINEM
SALVTATO
STRATÆ. VIÆ. COMMODVM.
IIS PRECIBVS. REPENDITO

Si montem paulò plùs paſſuum millibus adſcenderis, Iconem *B. Mariæ Virginis* multa edentem miracula offendes, cujus inferiùs ad ſiniſtram, Palatium ſe extollit ſphærica formâ (nam idcircò *Rotonda* Italica lingua appellatur) tanta élegantia & tam ſumptuoſe extructum, ut ſatis appareat Comitem *Odoricum Capram*; ſplendidiſſimum atque ornatiſſimum virum, quodque caput eſt, religioſiſſimum, illius eſſe dominum; ibique intelligas quanto polleat ingenio *Alexander Magantia* pictor, & quod penitiora ſedulò tenet ſuæ artis & penicilli. Superiùs conventus eſt hominum laicorum, qui rebus mundanis neglectis, rerum cœleſtium amore & cupiditate ſeſe in eam ſolitudinem abdiderunt; & tam ſapienter excogitatis inſtitutis & legibus in ſervitutem Deo ſe tradiderunt, ut ne monumentum quidem temporis illis ſit vacuum ab exercitationibus religioſis. Omnia habent communia, & vitæ innocentia memoriam renovant SS. Patrum, qui in Ægypti deſertis tanta ſanctitatis fama floruerunt; eoque magis, quòd nullum aliud memoratur in Italia noſtra hac ætate inter laicos tantæ pietatis exemplum.

Extra portam *S. Luciæ*, qua ad Orientem pergimus, ubi nunc *PP. Camaldulenſium* habetur domus, habuerunt antiqui Vicetini Gymnaſium publicum, & omnibus apertum. In ſuburbio *S. Bartholomæi* fruimur Palatio *Academia* vocitato, quia *Parthenius* multarum ſcientiarum homo diu literas ibi docuit, eruditvitque tamquam in Luceo juvenes nobiles Vicetinos maxime, ac Venetos. Hoc fuit à *Joanne Georgio Triſſino* Vitruvii Regulis extructum viridario &

picturis ornatum eo tempore, quo Romæ insudabat, ut apud Italos antiquorum ædificandi modus reviviscceret. *Andreas* (qui posteà *Palladius*) primipili juvenis, in eo lapicidam se gerens, solertis ingenii vires indicabat, quibus à Trissino perspectis Romam perducitur, fovetur, & *Palladii* cognomine vocatur. Ibi *Pompejus Trissinus* egregiè cordatus, doctrina multa & acri judicio insignis facit, ut ad vivum effigiaram admirari valeãs ipsius *Joan. Georgii* avi sui majestatem; quodque multa de vitiis, virtutibus, ac scientiis nobi i penicillo tibi exhibeatur, ut merito *Joan. Georgium* suo sæculo omniscium extitisse, Oratorem. Poëtam, trilinguem, Politicum, Principibus & doctis quibusque gratum.

Et ut finis demum his imponatur, magnum pietatis opus addo, quod in Italia nullibi reperiri scio, præterquam Vicetiæ. Sub *D. Hieronymo* tutelari sunt laici plerique mortificationi & aliis piis exercitiis assidui, in domibus propriis viventes & liberi, quorum XII qualibet anni hebdomada omnes infirmos, puerperas, egenos Vicetiæ vicatim viritimque semel invisunt, verbis solantur & cibis, &, ut Christianæ religionis Sacramenta recipiant, incumbunt. Nullus est mercator, civis, aut Nobilis, quem ipsi non rogent; nullum aperitur ostium, ante cujus fores non sistant eleemosynam flagitantes; & hæc assidua cura LXX. homines ad summum amore Dei afficit. Unde nemo Vicetinorum, cùm infirmitate oneratur, debet necessariorum desperatione occupari. Hæc sunt quæ intra urbem & suburbia.

AGER VICETINUS.

VIA quæ *Patavium* ducit, Palatium post tria passuum milliaria tenet, dictum *Capitia*, Principe dignum, omni excellentia constructum, olim ab *Alidosiis*, nunc vero à Nobili *Brugadeno* possessum. Et aliis tribus milliaribus confectis occurrit ad dexte-

ram

ram in monticulo *Monſgandia*, olim *Scaligeris* in deliciis, nunc Nobilibus *Contarenis*. Ex altera verò parte viæ in planitie ſpectandum eſt Palatium alteriùs Nobilis *Contareni*, quod omni ex parte ſuperbum, amplum, & magnificum, ita quòd nihil, in eo apparet non Regia ſtructura dignum, tanta fulget dignitate, pulchritudine rerum & copia. Sive ad dextram ſive ad ſiniſtram, oculos flectens, nobilia ſempet ædificia, *colles Euganeos*, nemora, & planitiem opimam videbis.

Egrediens *Vicetia* per portam quæ ſpectat ad Orientem *Camiſſanum*, in quo Vicarius unus pro XXXVIII. locis pro urbe reſidet; hinc *Cittadellam* nobile oppidum ad decimum quintum ab urbe lapidem invenies; paulòque propius montes *Caſtrum francum* & *Baſſanum*, municipia ſuo jure ſuiſque legibus utentia, olim tamen Vicetinæ ditionis. In hoc itinere paſſim planities eſt fertiliſſima, *Maroſtica* in radicibus Alpium *Baſſano* millia paſſuum tria, *Vicetia* verò XIV. abeſt. Juxta montium clivum *Bragantia* adjacet, vicus magnus, & vini bonitate nobilis. In ipſis montium jugis, ſunt ſeptem Pagi illi opulentiſſimi, qui *ſeptem Communia* dicuntur, à Venetis, ob fidelem bello Germanico operam Reip præſtitam, immunitate donati, fortitudine inſignes.

Si Vicetia à Septemtrione diſcedes, decimoquinto milliario ad *Thienem* vicum omnibus florentiſſimum pervenies, cui præeſt Vicarius Juſdicens locis XXI. unde ne abito, non viſo Palatio illo *Portorum Comitum* magnificentiſſimo, hortis, fontibus, labyrintho, topiariis, aliiſque totius Italiæ pulcherrimis & amœniſſimis rebus. Supra millium paſſuum tria eſt *Fluenus* viculus. Hinc in *Suſmanum* montem tribus millibus paſſuum amplius in cacumen elatum patet aſcenſus, non minùs nobilium ſtirpium varietate, quibus paſſim abundant, quam priſca Religione, qua antiquitus fuit: ubi idoli cujuſdam templo

B. Prosdocimus Patavienſis Epiſcopus templum *B. Mariæ* clarum miraculis exædificavit.

Ulteriùs procedendo, territorii confinia in faucibus montium reperiuntur, fluviique duo *Aſticus* & *Poſena* troctarum ſcitiſſimi, licet parvarum, ſaporis abundantiſſimi. Retrò, & per montis *Sumani* radices iter faciens, ad *Scledum*, parvæ urbis ſpeciem habentem, te conferes, ubi magni ex mercimoniis faciundis quæſtus, præſertimque ex pannis contractioribus primæ notæ, & vellere nobili. Supra quinque miſſia in eo vivunt homines, induſtrii, nobilitate vigentes, & acumine ſpirituum, idcirco viros illuſtres aluit alitque. Trans mons eſt, in quo pagus *Trectus* nomine pulcherrimo proſpectu, aquiſque tam mollibus, ut manus mihi lavanti oleum videretur. Superiùs *Novegna* mons occurrit, caſeo, qui illic premitur mirifici ſaporis decantatiſſimus. Retrorſum à Scledo Vicetiam verſus, *Maladum* vicus urbanus obvius tibi erit, quorum locorum ab Occidente latera fertilibus & amœnis collibus clauduntur fructuum & vini optimi ſupra modum ſuo tempore ornatis. Scledi Vicarius præſidet villis quindecim, & Maladi VI. forenſi judicio quilibet ſuum tribuens. Ab eadem parte Vicetiæ *Veronenſes*, ad quos per campos patentes itur, proximos habet. Non longè à Vicetia *Ulmis* locus, ubi *Maximil.* I. Imper. exercitus anno 1516. fuſus fugatuſque fuit, tibi monſtrabitur. Ultra quem millia paſſuum tria in dextra viæ parte *Monticulus* pagus eſt, in longitudinem ſtadiorum octo porrectus. Vicarioque regitur qui VI. locis præpoſitus eſt. Haud procul hinc octavo à Vicetia milliario *Cornetum* pagum videbis: inde in ſuperiori planicie *Valdaneum* frequentem vicum, lanificio deditum, cujus Præfecto loca XIV. parent. Nec ſilentio involvendum *Io. Baptiſtam Valdaneum* Vicetinum civem arborem pyri unici cujuſdam generis habere, generoſiſſimis dulciſſimiſque pomis fertilem cui ſimilis in tota Italia, longa & diligenti inquiſitio-

tio-

tione non eſt inventa. Superiùs eſt *Recubarium*, de quo inferiùs erit ſermo, & via ad *Vallem Arſam*, & ad *Germanos*. Revertenti tibi in *Monticulum*, ad monteſque ſiniſtrorſum ſubeunti mill. III. *Arxlani* vicus frequentiſſimus eſt, vulgò *Arcignanum*, &, ut Epitaphia à Romanorum temporibus uſque fidem faciunt, antiquiſſimus occurrit, ubi lanarum mercatura magna & copioſa. Hic locus anno 1260. ſub Imperio *Comitum Eganorum* civium Vicetinorum fuit. Prope Arcignanum *Clampus* eſt vicus, cujus mentionem faciemus iterùm: à dextera ejus in montibus *S. Joannem Illarionis*, *S. Giovanni della Rogna* pagum invenies, ubi tellus feraciſſima, pyra dicta *Gerzagnuoli* ſuaviſſimi inter ſuaviora guſtui.

Deſcendens, & in viam regiam rediens; ad *Montebellum* vicum non longè eadem via ad fines Veronenſes pervenies, villarum ſex caput.

Extra eamdem portam *S. Felicis* ſtadiis quadraginta confectis, ad ſiniſtram flectendo Meridiem verſus *Brendularum* Caſtelli veſtigia cernes, ubi Vicarius locorum decem reſidet, & decimoquinto à Vicetia lapide *Leonicum* oppidum in planicie, omnibus rebus, & pane præſertim candido locuples & refertum, in quo civium trium millium habetur numerus. Patria fuit *Nicolai Leoniceni* præclari Phyſici omnimodarum literarum gnari, Græcè præſertim linguæ inſtructiſſimi. Ferrariæ docuit, & apud Prædicatorios ſepelitur, ea civitate donatus. Quatuor ſunt loca *Leonico* ſubjecta, & Nobilis Venetus præeſt eorum civilibus cauſſis, & ad certam uſq; ſummam, ultra quam Vicetiæ de jure reſpondetur. Ultra quinque milliaria in locis maximè frumentariis, maximamque cannabis vim, & navali Veneto utilitatem ferentibus, *Colonia* oppidum nobiliſſimum, ſingulari quadam civium humanitate præditum, duodecim pagorum caput, ſitum eſt. Alit perſonas ſupra tria millia, quæ inter cives Contratæ Judecæ Venetiarum annumerantur. Hinc ſtadia XVI. *Patritius Vene-*

ius de gente *Quirina* villam, quam perpetuo paries ambitu amplectitur, ubi persica & pyra tantæ magnitudinis oriuntur, ut stupori & admirationi hominibus sint. Apud *Coloniam* ingredieris viam qua Montannum & Mantuam abitur.

Habet *Vicetiæ* ab Australi parte continuos colles, quos lingua Italica *Rivieram* vocant, multarum rerum feraces, amœnissimam quidem oram, cujus *Babaranus* vicus caput est Præfectura XI. pagorum. Eodem tractu *Aurelianum*, decem pagorum Vicarium habet; *Noventa*, *Mossanum*; his in locis omnium rerum, sed præcipuè frumentariæ ubertima sunt, & *Vicetinus* ager *Patavino* & *Atestino* terminatur.

Inter *Leonicum* & *Barbaranum* quinto à *Vicetia* lapide *Custoza* sita est, pagus hoc tempore, superioribus sæculis castellum munitum *Custodia* appellatum, quòd in eo fontes custodiebantur. Ibi specus est, potentissimum naturæ opus, humanaque industriæ portentosius redditum: est enim antrum immane, quod impositum excavat montem, quo hiatus non satis amplus si tantæ moli comparetur, non sine die deducit, ulteriùs autem progredienti, transitus est per tenebras: ubi verò ad mediam perventum est inanitatem, tanta inest obscuritas, ut propter hanc, & propter inextricabiles itinerum ambages, varioſque cursus ac recursus, ni fida essent lumina, quæ sæpiùs extincta è venis silicis excussa petuntur, incassum gradum revocare iubeuntes niterentur. Mille & ampliùs vastis fulcitur, columnis, in quibus effigia opis humanæ apparent, quasque ne sæcula quidem demoliri possint; tectum fornicum instar concameratum, cubicula, & furni malleis scalpelliſque fabrilibus in saxo inciſi sunt. Superioribus namque temporibus, cùm regio universa bello arderet, ingens hominum vis sæva barbarorum rabie effugienda huc confluxit, spesque sua frustrata non est. In hoc perennes fontium scaturigines, quæ immergun-

tur

tur in saxa vertentes emanant; pisces tamen, quod miraculum auget, alunt, & salubres potui haustus non negant. Habet columnas quadratas circiter mille, concinnatas à lapidicidis cùm lapides excidebant, quibus antiquitus Patavii & Vicetiæ domos extruebant; apparentque adhuc signa rotarum, ingentiaque saxa circumcisa, ut avellerentur, memorabiliaque alia. Hujus forma est quasi pyramidalis, & longitudo septem millium passuum esse perhibetur. cum à *Custodia*, quinto ab urbe lapide, ubi incipit, *Brendulas* usque, in quas desinit. in recta linea in erjacens spatium dimetiatur tot millium passuum intervallum esse constiterit. Inferiùs in pago cavernæ quædam sunt, quibus venti, qui ex penetralibus montis oriuntur, tamquam ductibus ad ædes & cubicula ipsa perducantur, & ut libet, ex quibusdam hiatibus emittuntur, & obicibus comprimuntur; quod unicum est in Italia. Ego cùm canicularibus diebus æstus vitandi causa illuc me contulissem, apud *Trentos* omni humanitate & magnificentia præditos, ipsorum ventorum emissione ita refrigeratus sum, ut in brumam repentè incidisse mihi viderer.

Hominum in territorio millia centum & triginta hoc anno vivere compertum est, qui indies urbem frequentantes & sua inter se commercia exercentes efficiunt ut in ea commodius vivatur quàm usquam alibi. In hoc agro oppida florentissima, pagi populosi, viri frequentes, villæ in oppidorum modum ædificatæ, quæ omnia numero sunt CCXXII. Quatuordecim flumina, partim magna, parva partim, per agrum Vicetinum fluent, in quorum ripis molæ, ferræ pistrina chartacea, machinæque aliæ multæ. Adhæc ex montibus torrentes IX. descendunt. Lacus ipse ager tenet V. in quibus aquis omnibus murenarum fluviatilium, troctarum, ranarum, thymalorum, mugilum, pisciumque aliorum copiosa piscatio: laudatissimæ sunt troctæ albæ & rubeæ, astici

astici & pusnæ, cancrique vivarii. Una piscatio aliarum rerum copiæ respondere non videtur; suppeditat tamen ad incolarum victum. Carnium propter montana pascua sapidissimarum eadem ubertas, venatio, & aucupium ad satietatem usque: sunt damæ, capreæ, apri, perdices, coturni præcipui saporis aves. Est & in agro Vicetino attragen avis carnis lautissimæ, & in montibus *Recubarii*, supraque *Furnos* montanus gallus tribus in pectore pulpis, qui alibi nusquam, Sermariam præter, invenitur. Territorium hoc leguminum frumentorumque potissimum, quibus candidissimus conficitur panis, fertilissimum est, præsertim in locis Meridiano soli expositis inter quos *Noventa* & *Polsana* primas sibi partes jure vendicare videntur. Recenseri non possunt varii greges, opima armamenta, quibus semper lactis, butyri, novorum fœtuum copia habetur, & casei; potissimum casei montis Novegnæ inter omnes æstimati: quibus etiam pretiosa lanarum vellera abundant *Arcis-lani*, maximè *Clampi*, *Scledii*, *Valdamei*, ubi panni, latiores primæ notæ perpetuò texuntur. Apes, bombyces, aliasque villaticas pastiones calamo assequi non possumus; sicuti nec fortia taurorum colla jugis jungantur, quot superbi equorum pulli domantur.

Hinc pinguis olei liquoris, pomorumque omnium minus est proventus, ut proverbio jure dicatur, Vicetiam hortum esse ac viridarium Venetæ urbis. Quod vero ad vinum attinet; etiam in proverbium cessit, ut vinum Vicetinum generosissimum, scilicet Italiæ citra Lyrim significantes, dicamus. Quodque mirum dicas, in magna vini copia, magna etiam ejus est pro ingenio terrarum varietas. Optimum omne, & stomacho conducibile, lene, acutum, austerum, jucundioris tamen saporis, quod in *Leoniceno* monticulo, in *Ignachi*, *Trissini*, *Barbarani*, *Braganiæ*, vicinorumque locorum collibus oritur. His dotibus præditus est Vicetinus ager, qui insuper, calidis irrigatur fontibus, unde agris facile reparetur, & in *Mussano*

habet

habet ſulphurea balnea, ejuſdem vis ad ſanitatem reſtituendam, quam in *Aponenſibus*, eſſe experiuntur homines, *Caldararia* quæ in agro Veronenſi non amplius xx. millia paſſuum abſunt. Medicas fundit herbas, ſuccos edit, liquores alit, ſapores elargitur. Habent *Recubarii* montes Tridentum verſus argenti fodinas, & molarum lapides. Præter metalla varia diverſorum lapidum, pretioſique marmoris genera, ſulphur, calcanthum, ac tot alias terrarum diverſitates parium, quarum candidiſſima eſt ea, quæ aqua diluta. & donec conſidat repoſita in paſtillos digeritur, ac ſolibus ſiccata per regiones varias, præcipuè ad patinarum albaria, quæ lacteo colore commendantur, interpolanda circumfertur. In *Valdanes* marmorum Carrarienſibus ſimilium, in *Clampo Iſtrianis*, in *Subitio* petræ candidæ, & ad ſcalpendum molles exſcinduntur. In *Sumano Trefticque* monte argenti quoque & hydragyri venæ, æris, ferri, & plumbi metalla fodiuntur.

Non deſunt poſtremò huic urbi fertiles campi, qui fœcundi ſternuntur; tepidi colles, qui vitiferi conſurgunt; gelidi montes, qui herboſi attolluntur; valles opacæ, fontes irrigui, lacus uberes, amnes; fluentes, ſaltus patentes, ſilvæ feraces, nemora umbroſa, quibus copioſa lignorum ſtrues igni colligitur, miræque proceritatis arbores, omnifariam ædificiorum uſui nobiliſſima materies, ceduntur. Hinc felix illa *Barbarani* ora, hinc *Subalpinorũ* jugis amœnitas, hinc ceterorum fortunata regio, longè lateque patet novi aliquid ſemper parturiens, quo libentius vita ſuſtenetur, & deliciis æquè atque alimentis ſerviens noſtris, benigna in humanos uſus elargitur. In his incertum Liber pater an alma Ceres meliùs colatur, Palladi ibi & Pomonæ ſuus quoque eſt honos, ut citra hyperbolem dici poſſit, hoc uno in loco humanæ voluptatis certamen reperiri. Territorii Vicetini latitudo eſt millium paſſuum xxv. & ab Orientis parte *Biſſanenſibus* & *Patavinis*, ab Occidentis *Veronenſibus*

ter-

terminatur: longitudo verò est ad passuum millia LXX Quo ad *Atestinos* & *Montanienses* procedit, ab Aquilonari parte montes altissimos Italiam à Germania dividentes terminos habet. sicut ab Australi *colles Euganeos*, & ab Orientali plaga patet in planiciem.

VERONA.

VERONA urbs Italiæ clarissima ab *Heruscis* originem habuit, unaque ex duodecim fuit, quæ eis Appenninum illorum parueiunt imperio, quibus, pulsis à Gallis Cenomanis ampliatur & augetur. Nomē à *Vera* familia inter Hetruscos nobilissima fortita est. Collibus proxima, qui spectant ad Meridiem ferè in planicie, forma quadrata, exigua tantùm, parte se coarctans; sita est. Passuum millia septem ambitu complectitur, fine pro oppidis, quæ undique amplius passuum millibus extenduntur. *Octavii* Aug tempore longè major Verona fuit, quod propterea nonnulli affirmant, quod in ea militum scribebantur quinquaginta millia. Quod minimè miror, cùm videam Cornelium Tacitum *Hostiliam* quæ ab ea XXX milliaribus est ejus suburbium appellare, quare quis dubitet illam hominum habuisse cc. millia? Idcirco Martialis vocat eam *grandem*, *amplissimam* Strabo. Est naturæ & situs opportunitate satis munita, arte verò planè efficitur munitissima.

Schott.

Videbis novas munitionum urbis structuras, quibus Veneti maximis operibus & sumptibus, continuoque studio, pro sæculi hujus ambitione contendunt urbem illam inexpugnabilem reddere, immanes aggeres, spississimos muros, turres ac propugnacula tormentis bellicis armata, fossas profundas atque latas, quas *Athesis* intromissus redimplet.

Capug.

Arcem habet in planicie prope flumen, in monte vero

Tab. 88.

SOCIÉTÉ
SCIENTIFIQUE
ET ARTISTIQUE

vero duas, alteram *S. Felicis*, alteram *S. Angeli* recentiorem, urbi quæ imminent, totique planitiei, ad omnem vim hostium sustinendam instructissimæ. Fortis aditur quinque non tantum artificio & operibus admodum munitis, sed etiam sculpturis, statuis, & marmoreis columnis ornatis. Intus multa sunt, miram, quę arguunt magnificentiam & antiquitatem. Nam & vestigia maxima Theatri sub arce *S. Petri* cum integra scenæ porta in colle cernuntur, & Naumachiæ, quæ fuisse dicitur, ubi nunc Patrum Dominicanorum horti.

Schol.

Perges etiam ad forum boarium, & videbis vetustissimam & è quadrato saxo perampliſſimam *Amphitheatri* molem, quam *Arenam* cives appellant, cujus exterior paries quatuor zonis pulcherrimis cinctus, totidem columnarum, arcuum, ac feneſtrarum ordinibus, quadruplici opere. Dorico videlicet, Jonico, Corinthio, & compoſito, in admirandam extollebatur altitudinem: quemadmodum ex dicti parietis quatuor arcuum parte colligi poteſt, quæ ſola reliqua manet adhuc erecta. Totum enim exteriorem Amphitheatri circulum barbari poſterioris ſæculi, ſublatis ad alia ædificia marmoribus, uſque ad fundamenta ſunt demoliti; atque tantæ majeſtatis opus non ſecùs ac formoſam, adornatam, ac longè conſpicuam Spartam quandam diſcerpta pulcherrima veſte turpiter admodum denudarunt. Ex reliquiis tamen, veluti ex unguibus leo, totius ſtructuræ magnitudo facilè cognoſcitur, & quanta ejus ars ac pulchritudo fuerit. Ordinem enim unumquemque parietis exterioris LXXII. portas, vel arcus, totidemque columnas habuiſſe, docet ipſa circularis proportio, & architectica dimenſio. Tertium autem operis Corinthiaci CXLIV. ſtatuis coloſſeis inter arcus & columnas redimitum fuiſſe, loculi & veſtigia demonſtrant.

Introductus in porticus triplices interiores concamera-

meratas totam machinam circumambientes, vehementer admiraberis viarum ac graduum labyrinthos se invicem occurrentium undequaque; quibus populus scandere in porticus superiores, & in ipsa caveæ interioris sedilia, vel descendere & exire sine turbæ obviantis impedimento quàm commodissimè poterat. Ingressus arenam mediam, gaudebis videre planiciem ovata specie extensam in longum decempedas XXXIX. in latum verò decempedas XXII. cum dimidia, circumseptam undique sedilium ordinibus quadraginta duobus, gradatim declivis tecti in modum supra porticus interiores ascendentibus in altum; quæ tantæ sunt capacitatis, ut supra viginti tria hominum millia per circuitum in iis commodè sedere potuerint. Spoliata quidem jam olim fuit à barbaris interior hæc amphitheatri cavea marmoreis suis subsellis: sed nunc Equester ordo nobilitasque Veronensis eandem suis impensis restauravit, marmoribusque vestituit; quæ vestivis quibusdam diebus populo venationes, ludos equestres, ac pedestria certamina publicè in eadem arena, majorum more, solet edere. Quis autem hujus tam egregiæ & immensæ machinæ fuerit auctor, apud veteres Auctores mentionem nullam invenimus. *Torellus Saraina* Veronensis, doctissimus viri Augusti Cæsaris auspiciis tam *Amphitheatrum* quàm *Theatrum* Veronæ conditum esse, variis conjecturis & argumentis probare conatur. Constat enim, teste Suetonio, Augustum plurimas per Italiam colonias vel deduxisse, vel operibus ac vectigalibus publicis plurifariam instruxisse. Suffragantur insuper, ut Torellus affirmat, quædam Chronica; in quibus legitur, *Amphitheatrum* quam *Arenam* vulgò vocant, anno quadragesimo secundo Augusti extructum fuisse. Adstipulatur item *Cyriacus Antonianus*, qui in *Itinerario Illyrici* plures urbium antiquitates collegit, scribens existimari *Veronæ* constructum *Labyrinthum* (sic enim appellat *Amphitheatrum*) quod *Arena* nunc dicitur,

anno

anno Imperii *Octaviani*, Augusti trigesimo nono. Cæterùm de tanti operis auctore cuilibet sui sit judicium. Moles ac magnificentia insignis ejus ædificii, nec non artificium & architecturæ perfectio, nobis facilè persuadent, non rudi & impolito, sed Romani nominis æternitatem florentissimo sæculo Imperii, cujus potentiam repræsentat, tantam machinam excitatam fuisse.

Caput.

Haud procul gladiatores in ludo, in arte armorum ludicra, à lanistis ad spectacula posteà edenda exercebantur; nec non triumphalis arcus monumenta, *Mario* Cimbris in campis Veronensibus devictis, honoris ergo erecti apparent, frontispiciique fori magna ex parte antiqua & optima architectura. Hic *Æmilia via*, quæ Ariminum, Placentiam, Veronam, & Aquilejam ducebat, fuisse perhibetur, in qua arcus marmoreus Jano, cujus etiam templum colle vestigia aliqua, dicatus, exigua parte cedens ærati multisque hieroglyphicis, ornatus conspicitur. Erant in via Æmilia quadrivia marmorea multa, quorum, tria extant adhuc, ex quibus unum à *Vitruvio* exædificatum, veram perfectamque architecturæ normam hominibus monstrare videtur. Habet *Verona* Thermarum ruinas mirandas, cameris vermiculatis indicia templorum. Palatiorum, aquæductorum columnarum ex marmore Pario & Africano, basium, episthyliorum, statuarum, inscriptionum, antiqua ædificia multa, numismata argentea, aurea, ærea, urnas, vasa, sepulchra, signa verendæ antiquitatis. Nam & incendiis, quibus ab Attila Hunnorum Rege fœdata est, viginti pedes quibusdam in locis illius vetus pavimentum obrutum fuit, multaque signa nobilitatis. Palatiis publicis & privatis sumptuosissimis ornatur, inter quæ Prætorium primarium forma tetragona & spatiosa. In hac est aula adeò magna, ut Palatii speciem habeat, ad publicas res tractandas. Conciliumque cogendum civitatis. In ejus tecto in ultima

ma coronide *Cornelii Nepotis*, *Æmilii Marci* veterum Poëtarum, *Plinii* Hiſtorici & *Vitruvii* architecti ſtatuæ marmoreæ ſub dio collocatæ ſunt. Apud hæc *Hieronymi Fracaſtorii* ſtatua in ſatis eminenti arcu poſita conſpicitur. Hi omnes Veronenſes.

Duo ipſa Prætidum Palatia in primis laudantur *Canoſſorum*, deinde *Bevilaquarum*, *Mezarorum*, *Muſtorum*, *Meglorum*, *Lazaſorum*, *Rodulphorum Veritatum*, & *Morandorum*. Æs Campanum publicum in pulcherrima ac altiſſima turri pulſatur. Forum mercatorum eſt frequentiſſimum. Vicus, ubi pannis recenter textis lana carduis inducitur, & ubi à fullonibus ab immunditiis repurgantur. Locum aptiſſimum ac ſpatioſiſſimum, antiquo nomine *Martium Campum* appellatum, ad luſtrandos & exercendos milites habet Fora, quò ad mercatum conſtitur, multa; alia quò nobilitas, alia quo mercatores conveniunt. In primario mercatorum fons eſt nobiliſſimus, ſtatua marmorea antiqua Veronam repræſentante, ad cujus pedes Regium diadema jacet. Atheſis, *fluvius amœnus* à Virgilio vocatus, ex Tridentinis Alpibus defluens, planiciemque à collibus dividens, adſpectum habet pulcherrimum, maximeque admirabilem, placido ac flexuoſo agmine; hic totam irrigat urbem, duobus ad altiora loca rivulis ductis. Veronam ex Germania & Venetiis hoc flumine variæ merces convehuntur. Piſtrina in urbe & extrà multa, aliaque ad hominum uſus ædificia accommodata. Quatuor tranſitur pontibus miro artificio confectis, quorum qui in Arce eſt, arcubus duobus antiquitate & elegantia operis admirandi eſt auctus, ubi ſitus ad aſpectum præclarus, nec Europam pontem alium magis affabrè aut magnificenter extructum habere putamus. Annonæ copia ſupra quam cuiquam credibile eſt Fructus omnes ſapidiſſimi, inprimiſque fici Bardolinenſes. Benaci carpionibus, ſardiniis, aliiſque optimis piſcibus veſcitur, carnibus verò propter aprica & odorifera paſcua, ſapo-

tis

ris ſcitiſſimi, Vinum in collibus provenit generoſiſſimum. Cœlum clemens & purum, fortaſſeque nimium tenue. Lanæ ſericique mercatura hac in urbe adeò viget, ut inde ad hominum ferè vivant xx. millia. Hetruſci, Euganei, Henneti, Galli, Romanique, quorum fœderata, iure Latii ſuffragiorum Comitiorumque Romæ fruebatur, Veronæ dominati ſunt. In eam coloniam deducta nulla, ſed in Publicia colonia ſcripta fuit multiſque Magiſtratibus Veronenſes Romæ functi ſunt. Quatuor viri in ea urbis amplitudinem arguebant: qui enim in hoc erant Magiſtratu, ut Conſules Romani, merum & mixtum habebant imperium, à civitateque una cum ceteris Magiſtratibus creabantur. Quorum ad hanc diem non obſcura veſtigia ſervantur, cum Conſules, Sapientes, Conſilium Dudodecim virum, Quinquaginta virum, & Centum, viginti-virum, & Præfectum Domus negotiatoriæ habeat. Labente Romano Imperio, Barbaros aliquot & tyrannos paſſa eſt, quibus ab Oſtrogothis pulſis, iiſque à Longobardis, qui annos cc. in eam Imperium habuerunt, ad Caroli Magni ſucceſſores. Pipinum ſcilicet. Berengarium, & alios qui in ea Imperii ſedem (quod priùs fecerat Alboinus primus Rex Longobardorum) collocarunt. Imperium ejus tranſlatum eſt.

Regnante Othone I. libera iterùm facta eſt, ſeditionibuſque exortis *Ezzelini* tyrannide, Scaligerorum civium ſuorum, qui annos cc. in ea dominati ſunt, aliorumque oppreſſi, ultrò Venetis, mira juſtitiæ fama in Italia regnantibus, ſe ſubjecit. Ab *Eutropio* à Principe Apoſtolorum miſſo dogmata Chriſti accepit Epiſcopos xxxvi. in Sanctorum numerum relatos habuit, inter quos magni nominis eſt *S. Zeno* Veronæ Protector, cui Pipinus, Magni Caroli filius, Templum duodecim auri libris annuis auctum dicavit. Summum Templum magnum, auguſtum, multo auro & argento opulentum, Collegium Canonicorum, quibus divinarum humana-

narumque rerum etiam nonnullarum est conceſſa poteſtas, nobiliſſimum habet. Templum *S. Anaſtaſia*, ubi Fratrum Prædicatorum domicilium, pulchritudinis eſt inſignis, quam multum auget *Joan. Freqeſii* Genuenſium Ducis ſtatuis marmoreis, & ejus imagine conſpicuum Sacellum. Longum eſſet ſingula Templa, Oratoria, Societates religionis ergo, Collegia, Cœnobia, Hoſpitales domos proſequi, quibus urbis propenſa ad pietatem voluntas apparet. Cùm optimis Epiſcopis nunquam non floruit, tum hoc tempore *Auguſtino Valerio* integerrimo atque innocentiſſimo, Cardinalique Ampliſſimo; in quo, & Ambroſii, & Auguſtini, quique ſanctorum Patrum ſanctitate & doctrina claruerunt, ad vitam revocati ſpirare videntur. Nec ſilentio prætereundum, *Joannem Matthæum Gilertum* multarum Eccleſiarum ad formam meliorem redigendarum auctorem fuiſſe, (cujus alumnus fuit *Nicolaus Hormanetus*, à quo *Carolus Borromæus* tot ſanctorum virorum Doctor & inſtitutor Cardinalitiique Collegii ſidus micantiſſimum, præclarè ad pietatem fuit eruditus, Eccleſiamque Veronenſem poſt Gibertum, ante Tridentinum Concilium inſtitutis, quibus nunc omnes utuntur, reſtitutam fuiſſe. Venerationi eſt Veronenſibus Lucius III. Pont. Max. qui Veronæ Conciliū indicturus profectus, ibi mortuus & in primario templo ſepultus; ibique in illius locum Urbanus III. ſuffectus. Eſt Verona populi multitudine adeò referta ut LXX millia habitatores habeat, illuſtriatiſſimaſque, & magni nominis familias, viros virtute bellica inſignes Equites, exercituum Imperatores, equitum cataphractorum Magiſtros, Duces Tribunoſque militum innumerabiles, Conſules Romæ multos; Imperatores, à Tito Flavio Veronenſi oriundos, tres, *Veſpaſianum* ſcilicet, *Titum*, & *Dominianum*. Viros præterea ſanctos & beatos non paucos, inter quos *S. Petrus Martyr* Ordinis Prædicatorum Mediolani ſepultus, veneratione colitur domuſque in qua natus

eſt,

est, in D. Stephani vico adhuc invisitur. Habent ingenia Veronensia, & urbis illius genius, magnam ad litteras propensionem; quare multi in omni genere doctrinæ præstantes ex ea tamquam ex equo Trojano, singulis sæculis prodierunt, Prælati doctissimi, Senatores Romani prudentissimi, omnium scientiarum in primariis orbis Gymnasiis publicè Professores, Excellentissimi *Rotæ* (ut vocant) Auditores, Poëtæ, Grammatici, Medici, Jurisconsulti, Philosophi, quot vix aliis urbibus contigerunt. Quot autem ad omnem excellentiam præstantia hac tempestate in ea floreant ac vigeant ingenia, enumerare non est consilium. Sciendum tamen, quinque illos de re litteraria optimè meritos viros, qui in Palatii publici superficie statuas habent, Veronenses esse, infinitumque litteratorum virorum, qui è vita migrarunt, præclaræ urbis recenseri posse catalogum. Nec defuerunt Veronæ mulieres, quæ non sola Græcarum & Latinarum literarum, sed omnium maximarum scientiarum cognitione cum viris de gloria certarent. Ex quibus, quis est tam remotus orbis terrarum angulus, ad quem *Isottæ Nogarolæ* nomen non pervaserit? At, ne longum faciam, est Verona situs opportunitate, agri fertilitate, clementia cœli, antiquitate, nobilitate, pulchritudine, munitione, artibus, negotiationibus, litteris, armis, ædificiis antiquis & recentioribus, iisque omnibus quæ perfectam urbem constituere & reddere possunt, quæque ad civium quoque pertinent felicitatem, mirabilis, planè cunctis (pace aliarum dixerim) superior. Nec mirum est, Imperatores antiquos multos loci rebus adductos, plures menses in ea commoratos, ut legere est in Codicibus Theodosiano & Justiniano; *Albinum*que primum Longobardorum Regem, & Italiæ Reges ipsos, *Pipinum* Caroli Magni, *Berengarium*, & alios sibi eam domicilium delegisse. Et ne huic urbi dignitatis aliquid desit, etiam præstat illustri *Philarmonicorum* Academia, litteris & virorum ingenio clara;

clara;& alterius verè Nobilis *Bivilaquei*, apud quem vocibus & instrumentis iucundè pluries in mense æmulantur Sirenarum concentus. Jure ergo dixit *Cotta* elegantis ingenii nostri temporis Vates;

Verona qui te viderit,
Et non amarit protinus
Amore perditissimo,
Is, credo, seipsum non amat,
Caretque amandi sensibus,
Et odit omnes Gratias.

AGER VERONENSIS.

AGRI Veronensis latitudo hoc tempore octoginta ferè passuum millia occupat, à finibus scilicet *Torboli* agri Tridentini castelli, Meridiem versus ad *Polinesum Rhodiginam* usque. Ab Orientali verò parte, id est à finibus Vicentinorum, usque ad Brixienses, qui sunt ad Aquilonem, passuum millia circiter quadraginta sex Longitudinem, quà ad orientem solem vergit & ad Septemtrionem, & pertinet ad Vicetinos. xv milliariorum habet. A Meridie Patavinos ad trigesimum milliare finitimos habet planicie fertilissimos. Ab Occasu Aquilonarii passuum mil. lib. xxv ferè montuosus est. A Meridie Orientali se longè lateque expandens fertilissimus est, & mille passibus triginta Ferrarienses. Mantuanos verò duodecim attingit Amplectitur hæc ora amplos & fertiles agros, editissimos montes, amœnos colles, densissimas silvas, & nemora, in quibus omnibus limpidissimarum aquarum scaturigines; flumina minora novem, & regale flumen, quod inde habet originem, & totam ferè regionem alluit Nusquam frumenti & vini uberior proventus. Rhætico certè vino constat *Augustum* delectatum, unius verò Veronensibus Imperatorem *Tibeatum*. Olei pomorumque suavissimorum magna copia. Notandum in primis, hoc esse proprium pomis Veronensibus, ut ferant ætatem præter cetera, nihilque aut de pulchritudine

aut

aut de ſuavitate amittant ſeneſcentia. Avium præterea, agnorum, hœdorum, vitulorum, ingens copia, & calei propter montana campeſtriaque paſcua ſaluberrima, præſtantiſſimi: cannabis item, lini, diſcolorum lapidum, in quibus mirabilia quædam vi & influxu impreſſa cernuntur. Pagi pulcherrimis Palatiis ornantur, ubi & multa turrium rudera: nec mirum, cùm Veronæ turres amplius LXX. cernerentur. Tandem ne longum faciam, nihil eſt in agro Veronenſi, quod à te deſiderari poſſe videatur.

Agrum Veronenſium intra Orientem & Septentrionem verſus viſurus, per *portam* egredere *Epiſcopalem*, ad lævamque flectito. Occurrent primò colles fructiferi, habitantibuſque frequentes, rudera antiqui oppidi, agrique patentes millia ferè paſſuum tria, in quorum initio vicus eſt *S. Michaelis*, & in ejus parte ultima *Deiparæ Virginis* Templum magnificè extructum, & miraculis nobilitatum. Ulterius vicum *S. Martini* chartariis officinis opulentum invenies, quinto à Verona lapide, ſuperiuſque Templum (*Divi Jacobi* appellant) inchoatum conſpicies. Inde ad dexteram *Calderiam* balneis, & ad mulierum depellendam ſterilitatem, & ad renes refrigerandos apprimè utilibus nobilem. Domitium protulit, quem ideò *Calderinum* vocabant, acri quem flagrantique ingenio ad gloriam anhelantem Roma excepit & extulit. Eo in loco fama eſt fuiſſe oppidum magnum, antiquum & nobile, prope quod vincit adhuc injuriam temporis Templum *Junonis*, nunc *S. Matthiæ* Apoſtolo dicatum. E conſpectu ſeſe extollit in colle caſtellum *Suave* à Scaligeris conditum, amœniſſimo ſitu. Inferiùs eſt *Monsfortis* Epiſcoporum Veronenſium deliciæ; unde pauliſper deſcendens, fines invenies, ſicut ab alia parte eſt *S. Bonifacius* fertilis vicus. Hic agri Veronenſis finis eſt. A ſiniſtra parte continui montes & colles multis milliaribus, quos homines incolunt. A dextra in latos campos expanditur,

Pars quæ ad Auſtrum ſpectat, initium capit à *Porta nova*, & *Leonicum*, *Colonia*, deinde *Patavium* extenditur, quo in tractu, agrorum ſumma quadam excepta feracitate, egregium nihil. Offendes poſteà *Lemnacum*, *Sanguinetum*, viamque quà Mantuam itur; quibus in locis naſcitur flumen *Tartarus*, *Polyneſium* *Rodiginam* alluens, valleſque multæ iacent. Occidentali cornu, Mantuam verſus XVII. millibus paſſuum, Verona abeſt *Inſula Scalæ*, quæ rebus omnibus affluens, ſpeciem non parvæ urbis habet.

Schott.

Ad occidentem ſolem videas incultos & lapidoſos Veronenſium campos, qui ante Veronam in collibus poſitam millia paſſuum viginti patent, & celebres ſunt maximis ſummorum Ducum aliquot victoriis aut cladibus. Referunt enim, *Sabinum Julianum*, Imperium invadentem, à Carino Cæſare in iiſdem campis victum & occiſum fuiſſe; atque *Odovacrum* Herulorum & Turcilingorum Regem, qui Auguſtulo depulſo Italiæ Regnum per vim occupaverat, & aliquot per annos eam tyrannide oppreſſerat, à *Theoderico* Oſtrogothorum Rege triduano prœlio debellatum fuiſſe; cæſum item poſteà *Lambertum* Guidonis Spoletani Regis filium cum quatuordecim Hungarorum millibus à *Berengario*, nec multos poſt annos ab *Hugone* Arelatenſi. *Arnoldum* Bavariæ Ducem cum paratiſſimo Germanorum exercitu, quem Veronenſes primi Regem Italiæ contra *Hugonem* appellatum ſpecie triumphantis intra mœnia receperant. Devictum in iiſdem campis etiam à *Rudolpho* Burgundo *Berengarium* alterum, Italiæque Regno privatum. Avorum denique patrumque memoria magnis ſæpè prœliis in illo camporum tractu de Italiæ Principatu fortuna varia certatum fuiſſe. Ceterum quod *Blondus* ſcribit C. Marium Cimbros ac Teutones in Italiam irrumpentes ibidem ultimo prœlio deleviſſe, incertum & obſcurum eſt, cùm varient mirum in modum auctores in ejus tam

tam famosi prœlii loco describendo.

Caput.

Inde per patentes locos, perque viam declivem iter habens in *Villam francam* & *Sanctum Zenum* incides, opulentos vicos, ultra quos Mantuanorum confinia. Quod si in eadem planicie ad Meridiem te verteris, pagos ignobiles multos prætereiens, recta *Pischeriam* oppidum munitissimum, sed gravi insalubrique cœlo, quod Veronâ XIV. mill. passuum distat, ibis. Est oppidum in prima *Benaci* ripa situm, qui ex media terra scaturiens *Mincium* flumen, quo Mantua irrigatur, effundit; hinc ad *Rivoltellam* pagum juxta à læva lacum v. mill. passuum spatio, viæ nusquam non incommodissimus est. Ultra millia passuum duo. *Desentianum*, & agri Veronensis termini sunt. Ad Boream in Occidentalem colles habet Verona, meridianum solem excipientes forma theatrali, & à Borealibus flaminibus silentes vineis consitos, magnificis palatiis, deliciisque hortorum adeò exornatos, ut illorum aspectus, sive longinquus sive vicinus, mirabiliter exhilaret animos. Hic Comitum *Justorum* horti deliciis omnes alios longè superare videntur. Interiùs *P. Actis Paltena* Vallis, quam homines incolunt, fertilitate laudatur. Tractum montium per planiciem sequens latitudinem agrorum, *Athesim* ex Tridentinis montibus defluentem, pulcherrimaque in fluminis ripa ædificia intueberis. Procul à Verona decem milliaribus montes molli acclivitate incipies ascendere, *Pollicellam*que Vallem nobilissimam, *Fervinensem* appellatam habere in conspectu, quæ multos continet pagos, castellaque multa, ex quibus sibi pulcherrimum facit theatrum. Hic fauces magnorum montium Tridentinorum incipiunt. Sed tacendum non est, in *Pollicella* valle ex marmoreis papillis scalpello ductis perpetuas stillare aquas, quibus si lactantis mulieris papillas laverint, humorem lacteum casu liquo exsiccatum revocari. Rursus Veronam revertens altera

Atheſis ripa, cum planiciem prætereris, in *Montisbaldi* radices incides, & inferiùs juxta flumen in caſtella multa, & pagos longo terrarum tractu. Ab altera Atheſis ripa planicies extenditur *Piſcheriam* uſque, ubi colles, in dextra *Benaci* ripa jacentes, initium habent. Ibi ſitum eſt *Bardolinum*, de cujus ſapidiſſimis ficis Solimannum Imp. Turcarum cum captivis Chriſtianis ſæpè loqui ſolitum accepimus. Inde *Gardum* offendes, unde *Benaco* nomen indium, ſuperiuſque caſtella alia. Hic ſit tibi miraculo, ad hæc loca aſpera & montuoſa triremes navaliaque alia Venetos convectaſſe, ut in Benaco cum Philippo Vicecomite Inſubrium Duce prœlium committerent. Infrà *Monsbaldus*, herbis ingenita virtute præſtantibus, æriſque fodinis clariſſimus, ſeſe circuitu xxx. paſſuum millium extollit, merito totius Italiæ montibus præferendus.

BENACUS, ET EJUS ORA.

Capug.

UBI nunc eſt Tuſculanum, Benacus erat oppidum, unde lacus Benacus dictus, quem *Garda* à *Garda* oppido Itali appellant. Benacus à Piſcheria, quæ eſt ad Meridiem expoſita, ad *Ripam* uſque, quæ ad Septemtrionem xxxv. paſſuum millibus longitudinem terram interſecat. In latitudinem vero à *Salodio* ad Occidentem ſito, & *Garda* aut *Lagiſio* ad Orientem xiv. paulò amplius. Adeò procelloſus eſt, ut montium inſtar undas extollat maximumque periculum quibuſdam anni temporibus navigantibus intenter. Hujus rei cauſſa montibus undique eum ſepientibus ventoſque intercludentibus adſcribitur. Hinc Virgilius.

Fluctibus, & fremitu aſſurgens Benace marino.

In hoc lacu nobilium piſcium magna vis troctarum inprimis & carpionum, quos dicunt aurum paſcere nec alibi quàm in *Lacu porta* apud Soram in Brutiis inveniri. Anguillarum præterea, de quibus Plinius plura

plura ſcripſit. Incipit, ut diximus, Lacus à *Piſcheria*. In ripa, quæ ad Veronenſes pertinet, magna habet oliveta & oppida, quæ ſupra memorata ſunt; angulumque facit, ubi *Garda* eſt, ad Occidentem vergens. A *Peſcheria* verò ad octavum milliare, faſtigiata terra ita in illius undas excurrit, ut duobus millibus paſſuum ipſum lacum dividere videatur. In hac terra *Sirmio* eſt, antiqua Poëtæ *Catulli* patria, nunc exiguum oppidum, ſed deliciis abundans. Eadem via quarto milliari *Rivoltella* vicus eſt, neque procul eo *Deſentianum* frequentiſſimum illius oræ emporium, ubi cauponæ rebus omnibus inſtructiſſimæ, inprimiſque *Gardæ* fructibus præſtantiſſimis. Quod ſi alia lacus ripa iter feceris, multa pulcherrima oppida invenies, & ad Occidentem in illo angulo *Saloda* oppidum nobile & dives. Haud longè *Pratum famis*, ubi Epiſcopus Tridenti, Veronæ, & Brixiæ, [illegible] dextræ jungere poſſunt. A *Saloda* ad hunc locum omnia amœna, fructifera, conſita olivis, ficis, malis Maſſilicis, citreis, aliiſque fertilibus arboribus, eaque cœli clementia, quod ad Orientem & Meridiem expoſita, altiſſimis intercedentibus montibus Boreæ flamina non excipiunt, ut totius Italiæ pulcherrima eſſe videantur. Quot in hac *Benaci* ora alantur perſonæ, vide in calce deſcriptionis Vallium infra.

BRIXIA.

Caput.

BRIXIAM *Deſentiano* XX. paſſuum millia interſunt, via directa, licet non omnino plana. Eſt aliquorum ſententia, *Brixiam* dictam à *Britein*, quod Gallorum Senonum, ejus urbis inſtauratorum, lingua *gaudentes arbores*, quaſi pomorum onere gaudere videantur, ſignificat.

Schol.

T. Livius, aliique magni Auctores tradunt, *Brixiam*

Regum Romanorum tempore à Gallis Cenomanis esse conditam, quam posteà Romani, Transpadana Gallia in potestatem redacta, suæ ditionis item fecerunt. Constat ex Livio, fidem populo Romano constantissimè quondam præstitisse, atque præcipuè difficillimis Hannibalici belli temporibus Coloniam Romanorum factam esse volunt bello sociali confecto, cùm Veronam & alias trans Padum urbes *Cn. Pompejus Strabo* Pompeji Magni pater colonias deduceret. Nec diu posteà C. Cæsaris auspiciis simul cum aliis Transpadanis jus Romanæ civitatis accepit, atque sub Imperatoribus Romanis deinde, quamdiu Imperium in Italia stetit, admodum floruisse constat. Testimonio sunt antiquitatis monumenta varia, quæ adhuc in eadem urbe, vicinoque territorio passim reperiuntur, nimirum pulcherrimæ marmorum inscriptiones, statuæ, statuarumque tituli, atque illustrium hominum epitaphia plurima, ex quibus urbis illius amplitudo prisca facilè cognosci potest.

Cæpug.

Jacet in planicie ad radices collis, longa magis quam lata, ambitu passuum millium trium. In pauco tamen corpore ædificiis plena & habitantibus. Intus tota multa, in quibus, quod est magnum, porticibus ac Prætorio superbo conspicuum eminet, Officinæ rerum diversarum, præcipuè ægidum, arcuum perforatorum cultellorum, fulctorum igniariorum, totiusque artificii ferratii optima temperatura; vestium præterea linearum subtilissimarum, unde maximus civitati redit quæstus. Torrente *Garza* irrigatur etiam fontibus multis, quibus aquæ sunt ab aquæductu per *Desiderium* Longobardorum Regem constructo. Turrium unam nomine *Palladam* habet, in qua civitatis campanæ pulsantur. Palatium pro urbis negotiis omnino perlustrandum est, nova & pulchra architectura splendens; ut etiam excellentia, & prisca antiquitate polleat. Portas quinque, arcemque in colle vivo de lapide inexpugnabilem.

Tro-

Propter diſſenſiones, varias paſſa eſt calamitates, ne (me hercle) miror eam XXVIII. annorum ſpatio, ſub *Ludovico* III. & *Othone* Imperatoribus, ſepties dominium mutaſſe: eſt enim urbs armorum ſtudiis deditiſſima, nec ſine horrore illius Annales legi poſſunt, in quibus ruinas, ædes, proſcriptiones, exilia, direptiones, incendia, devaſtationes, Syllanis, Marianis, & Triumviralibus ſimillimas videas, Imperio Veneto paret, & quieta floret.

Chriſtiana eſſe cœpit anno C. XIX. à puerpera Virgine, prædicante *S. Appollinare* Epiſcopo Ravennate, Templa multa ſunt in ea primi nominis, ut *S. Afræ*, *D. Petri Oliverii*. Patres *Dominicani* magna frequentia hac in urbe, & ipſi laxè & magnificè habitant, cœnobio pulcherrimo, religioſiſſimo, Eccleſiaque pluribus inſigni, choro maximè. Majus templum venerandum eſt, cujus Præſul titulo Ducis, Marchionis, & Comitis appellatur, multis redditibus optimus. Venerantur in eo Brixienſes Crucem, quam dicunt *Oro ſiamma*, quamque multi affirmare non dubitant, eam eſſe Conſtantino Imperatori oſtenſam in aëre ipſo, dum certamen inire ſtudebat contra Maxentium. Cœleſtem habet colorem rubeſcentem attamen.

Omnino conſpicienda eſt ſacra ædes *D. Juliæ* Martyri dicata à Papienſi Rege *Deſiderio*, anno D. CC. LIII cui adjunxit Monaſterium, divitiis, aureis ornamentis, Sanctorum corporibus decoratum. Et tanta excellentia præſtitit, quod *Anſilperga* ſoror, & *Hermingarda* filia ejus Regis, & *Hermigranda* uxor, & *Giaff* filia Lotharii I. Imper. & *Angilberga*, Caroli II. Imper. ſoror, & *Berta* Berengarii, qui Imperium uſurpavit, filia, ac infinitæ propè aliæ Regio ſanguine procreatæ, in eo ſuos annos agere in Dei famulatu ſub *D. Benedicti* norma voluerint.

Habet Brixia homines ad quadraginta millia, inter quos armis & litteris domi foriſque claræ familiæ numerantur titulis, honoribus, & ſtemmatibus

præclariſſimæ. Cives Brixiani multi Sancti extitere, ex quibus nominare placet Sanctos *Jovitam* & *Fauſtinum* Martyres, quorum adhuc in mœnibus Veronam verſus martyrii veſtigia cernuntur; & triginta ſuos Præſules in cœlis agnoſcit ſanctos hæc civitas. Magna ditione pollet, & ampliſſimo agro ita ut Epiſcopum Brixienſem credamus curam gerere animarum ſeptingentarum vel octingentarum millium.

Rebus omnibus eſt affluens, & ſolertis ingenii populo, unde poſt Mediolanum totius Galliæ Cisalpinæ facilè eſt princeps, & meritò Scaliger ſcribere potuit:

Schott.

Quæ pingues ſcatebras ſpecula deſpectat ab alta
Poſtulat Imperii Brixia magna vices.
Cultum hilare eſt, frons læta urbi, gens neſcia fraudis.
Atque modum ingenerat divitis uber agri.
Si regeret patrias animis concordibus erat,
Tunc poterat dominis ipſa jubere ſuis.

AGER BRIXIENSIS.

Capug.

AGER Brixienſis in latitudinem centum millibus paſſuum extenditur à *Moſo*, quod paſſuum quindecim millibus abeſt à *Mantua*, ad *Vallis Camonicæ* initium excurrens; in latitudinem verò, quinquaginta millia, à *Linione* Benaci vico, ad *Urceos novos*. Frumenti, olei, vini, pomorum, lini, nulli cedet feracitate: introrſum colles, montes, valles, vicos, oppida nobilia, nec infrequentia amplectitur; in eo ſolitudo nuſquam, habens loca CCCCL. Ad Orientem, quà *Veronam* itur, à dextra ſitum *Ghedium*, *Manerbium*, *Calviſanum*, *Calcinatum*; à ſiniſtra, quà mons extollitur, *Bidizolum*, *Padengum*, & ripa lacus: eodem tractu *Lonatus*, vicus non ignobilis, in collis jugo quintodecimo à Brixia lapide ſitus eſt.

Ad

Ad Meridiem quà ad Cremonenſes pertinet & Mantuanos, *Virola* & *Aſula* oppidum munitum & clarum. Si porta *ſancti Nazarii* egrederis, ad Occidentem à dextra *Triviatum*, à ſiniſtra *Quintianum* oppidum non incelebre proſpicies, in ipſaque via viginti à Brixia millibus paſſuum *Urcei novi* abſunt, caſtellum ſanè elegans & munitiſſimum, anno Chriſti M.C.XXXIV. conditum, ubi linearum veſtium præcipua laus. Haud procul *Ollio* flumine Imperium Venetûm terminatur. Per portam *D. Joannis* inter ſolis occaſum & Aquilonem, torrente *Mella* aquis perpetuò fluentibus trajecto, ad *Cocajum* vicum opulentum pervenies, dextrorſum verò ad radices montis *Rovadum* oppidum copioſiſſimum Hic in conſpectu habebis regionem quamdam florentem rebus omnibus, oppidis frequentiſſimam, quam, quòd olim Francis in deliciis fuit, *Franciam curtam* appellant. Sed objicitur *Ollius* fluvius oppido *Palatiolo*, pulcherrimo ornatus ponte, ubi *Bergomenſis ager* aditur inter editiſſimos montes, ad Septemtrionem Bergomum verſus pertinentes.

DE VALLIBUS AGRI BRIXIENSIS.

Caput.

HAbet urbs hæc præclariſſima intra montes, qui ſunt poſt ejus dorſum, Valles tres. Harum prima eſt *Vallis Camonica*, quæ ad Occidentem jacet, reliquis duabus magis ad Septemtrionem vergit, & ad milliarium L. longitudinem extenditur, multis undique montibus vallata, inter quos non mediocris ſpatii planicies: non tamen ſemper æquè diffunditur: per quam *Olli* fluminis limpidæ, piſcibuſque, & præſertim troctis abundantes undæ deferuntur: quod flumen, poſt irrigatam Vallem, in *Iſeum* lacum, cui caput eſt, infertur, unde eodem etiam nomine egreditur. Vallis itaque non hoc tantum flumine, ſed multis etiam quibus irrigatur rivis, ubique

peramœna eſt, atque frumentorum ſatis ferax eſt, atque etiam multis in ipſius locis, alendis vitibus aptis, vina exprimuntur, alioſque multos producit fructus. Sunt in hac Valle ferrifodinæ, è quibus eductum ferrum, multis in locis in varias ſubducitur figuras, imò verò igne ita perficitur, ut æs, tandem ex illo conficiatur. Terra hujus Vallis primaria *Brennum* appellatur. Vallis hæc in eminentiori ſua parte in dua quaſi brachia diſpartitur, quorum altero *Tiroli* ditionem reſpiciente alio, ſeſe, cum *Valla Telina* conjungitur.

Altera, quæ proximum deſcriptæ obtinet locum, *Vallis Tropia* dicitur, quoniam ſeſe recipit urbem verſus. ideò ſex ab illa paſſuum millibus initium ducit, & verſus Septemtrionem protrahitur ad milliaria circiter xx. Montibus undequaque circumdatur, & *Mella* fluvius per eam excurrit, qui in ea exoriens, multos quidem alit pilces, ſed troctam præſertim. Hæc multis in locis eſt auguſta, & illius proxima pars urbibus omnium optima eſt atque pulcherrima, à qua decem millibus paſſuum *Cardo Cardone* abeſt, terra quæ urbanitate ſatis polliens, celebris eſt eximio ſclopetorum artificio, quorum magna vis ibi fabricatur. Oppido Vallis altiſſimo, cui nomen eſt *Collis*, multæ ſunt ferrigineæ cavernæ, ac quidem ex optimis earum quæ in tota Valle inveniuntur, qua de cauſſa multa conſpiciuntur ædificia variis in locis, ubi diverſe ferrum elaboratur.

Cum hac poſtrema, Vallis ex longitudine adjacet conjuncta, *Sabii* nominata, cujus longitudo xx. milliariis præfinitur, & *Bagarini* terræ fines attingit quæ partim per ſe, partim verò cum Valle prædicta regimen habet. Parva hic æris copia conficitur, & duæ ferri adſunt officinæ.

Ex lacu *Idri* egrediens amnis Cheſius, *Chieſo*, decem milliaribus, maximo habitantium commodo Vallem irrigat; non ſolum enim ædificiis aquam ſubminiſtrat, verum piſces continet, in quibus tymuli &

li & tructæ primum obtinent locum.

Cumque Vallis tota plures varioſque ſinus complectatur, ideò multis in locis, vitibus ac arboribus fructiferis plantata, utilis ac pulchra cernitur cultura; non enim permultis caret rivis, quorum aquis ædificia juvantur.

Duabus in hiſce Vallibus homines reguntur Venetum Reipublicæ ſubjecti, ſumme cordati, belligeri & ad arma pertractanda aptiſſimi.

Anno M.D. LXXIX. cenſæ fuerunt urbis & ſuburbiorum animæ, & repertæ ſunt 31403. in Valle *Camonicæ* 40275. in Valle *Tropiæ*, 16355. in Valle *Sabii*, 15431. in ora *Benaci* & *Saledii*, 44564. in *Aſulæ* & ejus agro. 7638. in aliis verò terris, 142324. quæ omnes numerum faciunt 300081. Tamen pro comperto habemus, in toto Brixienſi agro nunc vivere animas ſeptingenta vel octoginta millia, in urbe quadraginta millia.

ITER PRIMUM ET BREVIUS BRIXIA MEDIOLANUM.

PER portam *S. Joannis* Mediolanum iturus egrediens, *Cocacium* reperies, & inde agro Brixiano, ſi ad ſiniſtram flexeris, *Pontoi*, id eſt *Pontem Oltii* fluminis, qui ejus oppidi muros alluit, *Martinengum* non ignobile caſtrum, *Trivilium* clari nominis, & *Caſſanum*, *Actiolini* Patavinorum tyranni, portenti humani generis, clade nobilitatum. Hic ſiniſtrorſum arva ſunt, quæ *Giara d'Adda* vocantur ab Italis, in quibus Ludovicus XII. Galliæ Rex Venetos una acie cruentiſſima debellavit, anno M.D. IX. Ibi propè ſtat *Caravatum* illuſtre oppidum, prope quod etiam Mediolanenſes vectores exſtiterunt de Venetis ipſis. Dextrorſum ſtant loca, de quibus in Itinere tertio ex *Brixia Bergemum* ſcribemus. Caſſani cum fueris *Abduam* trajicies, & decem millibus paſſuum peractis *Caſſinam albam* cauponam accedes, & poſt totidem paſſus Mediolani quieſces. Hujus itineris ex

Brixia Mediolanum usque, passuum millia sunt quinquaginta.

ITER SECUNDUM ET LONGIUS, BRIXIA MEDIOLANUM.

ALtera quadam via augustiore, sed longiore, Mediolanum aditur, si Brixia per portam *S. Nazarii* egressus, ad *Urceos novos* te contuleris, itinere milliarium xx. ubi *Ollium* fluvium transiens *Soncinum*que, opulentum oppidum & frequentissimum ingressus, si tempus erit hibernum, panem dulcium amygdalarum tibi apponi jusseris. Non alibi pulchriores ex orichalco fiunt lucernæ: populus verò adeò ad humanitatem propensus, ut nihil suprà. Marchionatus titulo viget, & Mediolanensi ditioni subest. Soncini *Actiolinus* Patavinorum tyrannus, ex Saxonico sanguine Italicæ stirpi ad horribilem sæculi pestem insertus, cùm ei verutum scorpione adactum in imo crure pedem transfixisset, ab exercitu Guelphorum immissum, septuagenarius mori voluit. Pertinaci enim obdurantis animi decreto, vulneri fascias & cuncta vitæ alimenta repudiavit, ut execrabilem animam exhalaret.

CREMA.

MIlliaribus quinque ulteriùs, *Romanengus* vicus est, inde aliis quinque *Cremam*, quæ *Serio* flumine ab Oriente alluitur, accreditur. Olim primas habuit inter castella omnis Italiæ, nunc urbs est, ac dignitate Pontificia ornata. Ab Imperatoribus Suevis ædificata in planicie, & operibus munitionibusque egregiè sepia. Frequentia civium, ædificiorum magnificentia, ubertate agrorum, & omnium rerum copia felicissima est. Veneto Imperio paret, alitque circiter animas una cum suo agro 30000. & cum Prætorem Nobilem Venetum habeat, Jus dicit locis

I. Dealbant mulieres Cremenses filum seu ac-

ciam

ciam pro consuetis pannis, & in contexendo telas assiduæ vivunt. Hinc flumine *Serio* transmisso *Laudem Pompejum* pervenitur post milliaria x. *Marignanum* inde, seu *Melignanum*, postremoque *Mediolanum*; quo itinere passuum sexaginta millia teres.

ITER TERTIUM EX BRIXIA, BERGOMUM ET MEDIOLANUM.

BRIXIA relicta per portam *S. Joannis Mella* fluvius transmeatur. *Cocajus* posteà invisitur, & *Palazolum*, de quibus suprà, ubi *Ollio* flumine trajecto ponte, *Malpaga* vicus tibi erit obviam. Eum condidit peramœno in situ *Bartholomæus Coleo* Bergomas, in ejus arce cùm vixisset annos LXXVI. excessit è vita, & Bergomi sepelitur. Huic suorum exercituum Imperatori Veneta Respublica statuam equestrem æneam ad templum *SS. Joannis* & *Pauli* Venetiis cum marmorea basi erexit, sed nequaquam integra *Verocchii* artificis felicitate fabrefactam.

Organi à læva, & *Basella* Monasterii Prædicatorum arvis longè lateque patentibus relictis, torrenteque *Serio* nobili ponte superato, *Bergomum* acceditur, confectis Brixia milliaribus triginta.

BERGOMUM

BERGOMI civitas antiquitate multa gaudet, cùm ejus originem multi se ignorare fateantur. *Orobiorum* tamen extitisse gentis affirmant; quod nomen si Græcè interpreteris, homines in montibus degentes insinuat. Qui Hebraici & Græci sermonis mysteria tenent, *Bergomum* dici volunt, quasi inundatorum fuerit clypeata civitas, vel Gallorum Regia urbs quæ à Græcis *Archipolis*, à recentioribus autem Latinis tum *Princeps* cum *Ducalis* appellari solet. Igitur Bergomum priscis diebus Regalem veterum Gallorum Urbem extitisse, nomen ipsum manifestissime docet. Ab *Hetruscis* verò aut à *Cenomanis*, vel potius à *Cyrno* Ligurum Rege ante Domini nostri

ortum annis CI. exſtructum conſpicitur in latere montis, ab Oriente ac Meridie magnam planiciem, à Septemtrione & Occidente colles monteſque. Valdè munitur à Venetis, muris, turribus, aliiſque machinis, quibus ad reſiſtendum inimicis potentiſſima evaſit. Parvi eſt ambitus, cùm in edito collis habeatur; quamvis ſuburbia duo ampliſſima, & omni rerum copia referta, ædificiorum & Nobilium multitudine plena. In horum altero nundinæ quotannis celebrantur in Feſto S. Apoſtoli *Bartholomæi*, in quibus mercatura maxima rerum quarumcumque ſit pluribus diebus, cùm ad eas ex omni loco Italiæ, Germaniæ, Rhætorum, & Helveticorum turmatim homines confluant. Puriſſimus aër, fructus optimi ſaporis, vina delicata, oleum dulce, ſunt Bergomi, & homines maximè induſtrii, & acuti ingenii ſupra quàm dici poteſt, ad artes, ad ſcientias, & ad mercaturam aptiſſimi; ita ut proverbium ſit Italis, *Bergamo ſottile*. Quà vergit ad naſcentem & cadentem ſolem, ſepitur Bergomum fertilibus & amœnis collibus; cinnamomo ſaccaro confecto, pannis tenuioribus, ſtragulis & peripetaſmatibus abundat, & D. Bartholomæi feriis celeberrimis nundinis frequentatur. Claros homines produxit.

Horum, magni eſt nominis *Albericus Roſates* Juriſconſ. *Ambroſius Calepinus*, quorum monimenta apud omnes extant. *Damianus* unus ex Converſis Prædicatoriis in ceroſtroto faciendo ex lignis conciſis apprimé ſingularis. *Paganus* ex eodem Sodalitio pro Chriſti fide ab hæreticis occiſus, & plerique ex *Foroſta* familia Legum periti. Silentio involvo Cardinales, Prælatos, & multos alios Bergomates immortalitate donatos, inter quos maximè fulget *Bartholomæus Colleonius*, de quo inferiùs dicetur.

Primus ſacræ Religionis fundator in civitate Bergomenſi fuit Chriſti diſcipulus *S. Barnabas*, qui an. ſalutis noſtræ XLV. ad eam acceſſit, comitatus *Anathalone* Græco, & *Cajo* Romano, Epiſcopum in

ea

ea reliquit *Narvum* civem Bergomensem, qui lustris sex munere suo fidelissimè functus in cœlum conscendit. *Alexander* Thebæorum legionis primus signifer *Maximiniani* Imp. tempore, Bergomi pro Christo moritur; moriuntur & alii viri ac mulieres, à quibus Christianâ Religio propagatur. Ecclesiæ ædificantur & idololatriâ rejectâ, cultus Dei augetur. A multis excellenti sanctitate prædiis gubernata fuit Ecclesia Bergomensis, in qua tumulantur Sanctorum corpora xxv. ut præteream ea quæ in Abbatia *Astinesi* condita venerantur Monachorum, & aliorum plurium.

Ecclesia sanctæ *Mariæ* iis est decorata picturis, organo, aureis argenteisque vasis, ornamentis ac reddtibus, quæ nobili templo convenire possunt. Videbis ad aram maximam ædis majoris marmoream effigiem *Bartholomæi Colleoni* & sepulchrum, quod sibi vivens statuit, ubi legatur: BARTHOLOMÆVS COLLEONVS DE ANDEGAVIA, VIRTVTE IMMORTALITATEM ADEPTVS, VSQVE ADEO IN RE MILITARI FVIT ILLVSTRIS, VT NON MODO TVNC VIVENTIVM GLORIAM LONGE EXCESSERIT, SED ETIAM POSTERIS SPEM EVM IMITANDI ADEMERIT: SÆPIVS ENIM ADVERSIS PRINCIPIBVS, SENATV ACCEPTO IMPERIO, TANDEM TOTIVS CHRISTIANORVM EXERCITVS SVB PAVLO II. PONTIF. MAXIMO, DELECTVS FVIT IMPERATOR: CVJVS ACIES, QVATVORDECIM ANNOS AB EJVS OBITV, SVB SOLO JAM DEFVNCTI IMPERATORIS TAMQVAM VIVI NOMINE MILITANTES, JVSSA CVJVSVIS ALIVS CONTEMPSERVNT.

OBIIT ANNO DOMINI M. CCCC. LXXV. QVARTO NONAS NOVEMBRIS.

In ædibus *D. Augustini* invise omnino *F. Ambrosii Calepini* tumulum, qui unus omnium feliciſſimè tentavit optima quæque linguæ Latinæ verba colligere.

gere, & è fertili probatorum Scriptorum agro meſſem facere, ut iam unius hujus Religioſi, quorumque Latina ſe lingua protulit, circumferatur. Sunt Bergomi, ac in ſuburbiis, ānimæ circiter viginti ſeptem millia, & civitatis veteris ambitus eſt milliarium quatuor, ad quam ex ſuburbiis ſcalis lapideis, & pleriſque gradibus aſcendes, civitates fere omnes Lombardiæ, flumina multa, planiciem ampliſſimam, montes, colles, Appenninum uſque contemplaturus.

In eminentiori colle ſupra civitatem locus inviſitur *Capella* vocitatus, cùm jamptidem *S. Dominicus* Patriarcha, cui ſum addictus, ibi ſeſe ac ſuos receperit Deo famulaturus. *Luchinus* verò Vicecomes Mediolani, & Bergomi Dominus, arcem fortiſſimam in eo conſtrui mandavit, quæ tamen diruta nunc omnino conſpicitur. Agnoverūnt quondam Bergomates pro ſuo Principe Romanum Imperium, dum felicitate pollebat, & eo declinante ab Attila diruitur. poſt quem Longobardi, deinde Reges Italiæ illud ſibi ſubjecerūnt. *Turriani* Vicecomites, *Scaligeri*, *Foreſti*, *Malateſtæ*, & *Galli*. Ultrò tandem in Venetūm poteſtate ſe dedidit, quorum auctoritate & præſidio tranquillè vivit, diuque vivet.

Si plura de hac civitate deſideras, in promptu habebis librum, titulo *Vineæ Bergomi.*

A Bergomo non multum abeſt flumen *Serius*, ſuum ortum agnoſcens in montibus, quod ſi torrentem nominaveris, non ab re loqueris. A parte Septemtrionis ſtant ſex Valles, hinc atque hinc montibus clauſæ, *Seriana* videlicet à *Serio* eam ſuis aquis ſecante, priſco tempore *Becunorum* loca appellata, & *Brēbana*, quam alluit amnis *Brembius*. Harum quælibet xxx. milliarium ſpatio ſe protendit. Vallis *ſancti Martini*, xv. & totidēm Vallis *Calapis* & *Cluſontes*. In his ac ceteris villæ, terræ, & loca ſupra cc. manent feracia, etſi montana; & in eis excellunt *Colepius* & *Luer Cluſontes* & *Vertua* lanificio nō incelebri, dila-

ACAD.
SCIENT. LIT.
BE. ART.
LUGD

NVM.

dilataturque ager hic Bergomensis. Pagi divitiis & nobilitate insignes, ab hoc latere milliarium circiter XXVIII.

Calepio perges *Leucum* inter castra spectandum, ubi lacus *Larius* suas aquas impartitur flumini *Abdua*, quod trajicies ponte. Ab Occasu tenet *Bergomum* Comensem urbem, *Modoetiam*, & *Brianinos* colles, ab Oriente *Brixiam*, à Meridie *Cremam*, & loca superius effigiata, & inter utrumque, itinere milliarium XXVII. Bergomo Mediolanum pervenies, à dextris habens amnem *Brembium* in *Abdua* se immiscentem, *Abduam* ipsum, apud quem est *Trezzius* pagus, & fortilitium à *Barnaba* Vicecomite ædificata, ubi flumen trajicies ponte, uno fornice tantum compacto, etsi miro artificio. A læva erunt loca quæ diximus. Confectis Bergomo duodecim milliaribus, *Abduam* prætergredieris cymba in viculo *Colonica*, & illico *Vaprius* pagus te offendet, & *Navilis* Mediolanum excurrens. *Fornacibus* tandem *Cascina*que villis à tergo relictis, itinere aliquot passuum, Mediolanum ingredieris.

MEDIOLANUM.

Capug.

MEDIOLANUM, urbs antiqua, præclara olim Imperii sedes, à tergo habet montes, qui Italiam à Septemtrionis Ortúsque partibus dividunt: in prospectu vero longè lateque jacet planicies, quæ c c. millia passuum, & eo amplius, ad *Catholicam* usque *terram* quæ inter *Ariminium Pisaurum*que sita est, protenditur. Hinc æquatus est campus, qui ad *Istriam*, illinc ad *Augustam Pratoriam* pertingit. *Athesi* ac *Ticino*, haud obscuris fluminibus instar orbis circumcluditur Quamvis angustus initio vicus parva habuerit incunabula, Gallus tamen *Bellevosus* illi magnitudinem addidit & gloriam. Hic murum latitudinis XXIV. pedum, altitudinis vero LXIV. centum triginta munitum turribus, atque sex portis stru-

ſtruendum curavit. Primùm ſolo exæquatum fuit à *Brenno*, qui *Camillo* & *M. Marcello* Coſſ. Capitolium cinxit obſidione. Eo temporis Senatus juſſu rurſum firmis mœnibus frequenterque turri cinctum eſt. Attila tamen pulcherrimam urbem ab ſtirpe delevit, omniaque ſuperba proſtravit ædificia. Deinde Archiepiſcopus *Euſebius* civitatem iterùm circumdedit mœnibus, ædiumque damna rependit dirutaſque reſtauravit domos. Centum vero poſt annis, à Virgineo partu D. LXXVII. immitis Gothorum furor illam funditus evertit, ac XXX. millia civium crudeli ſuſtulit clade. Præterea Mediolanum miſeriis coopertum ab *Eriberto* Regis Gallorum fratre, atque ab Imperatore *Ænobarbo* malè fuit exagitatum, ac ſal, hoſtilis teſtimonium vaſtitatis, ubi modò antiquum eſt viridarium, ſparſum fuiſſe, pro comperto habetur. Verum, ubi cum populo reconciliata fuit gratia, hæc civitas priſtinum adepta eſt decus, muris circumdatur, quattuor communi omnium uſui patentes cum aliis ſubſidiariis fiunt portæ. Tunc temporis, anno videlicet M. C. LXXVII. urbis circuitus 5936. erat paſſuum, cum tamen ſuburbia excluderentur. Nunc autem in unum coaluere corpus, uno circumſeptum muro, *Ferrantis Gonzagæ* beneficio, qui ibi Caroli V. gerebat vices. Ambit paſſuum millia decem, publicas habet portas totidem, quarum ſex primas retinent vaſtis cum foſſis. Hetruſci antiqua Mediolani fundamenta jacere, tamen in Inſubrium ditionem ceſſit. Pridem vicus erat, omnes enim viatim habitabant; at *Belloveſus* Gallus ea potitus regione, amplam in civitatem redegit. Qua ſurgente, ſilveſtris ſus ex ruinoſis egreſſa ædibus prima luce ſeſe quibuſdam obviam tulit. Hæc dimidiam corporis partem naturalibus coopertam pilis, alteram verò molli & alba contectam lana gerebat. Quam *Belloveſus* boni loco ominis duxit & urbem à ſe conſtructam ſuo idiomate ſignificans *Mediolanum* voluit appellari. Hanc rem illud præ ſe

fert

fert monimentum quod in marmore arcus communis mercatorum Palatii ob omnium oculos constitutum est. Id ante salutis annum, D. LXXXIII. annis contigisse memoriæ proditum est. Mediolano *Bellovesus*, ejusque nepotes, deinde *Brennus* Gallus, & alii præterea multi dominati sunt ad illud usque temporis, quo invicta Romanorum potentia illos subegit armis, & Mediolanum quoque ad Romanum devolutum est Imperium: à quo tamen descivit, quando Pœnus *Annibal* transvolavit Appenninum. Denuò, cùm illam Rempublicam potentia multis post se intervallis ceteras victas relinquere nationes animadverteret, Romano collum sub jugo mittere constituit, ac illi postea morem gessit Imperio. Ita Latinis Imperatoribus, & Græcis, deinde Gothis, Insubribus, Regibus Italiæ, Germanorumque Imperatoribus Mediolanenses obtemperarunt. Qui, *Conrado* II. imperante, multum sibi vendicarunt libertatis, ipsique sibi jura dare cœperunt. Hic Mediolanenses Reipublicæ more gerebant sese: quorum erat caput Archiepiscopus: conciliumque abaci sancti Ambrosii habebant. Dein factionum causâ sese ultro dedidere Turrianis, qui invidias & inimicitias regnandi studio exercebant cum Vicecomitibus, qui diu illis imperarunt. Post hos Sfortiatæ deinceps Galli; tandem Austriaca Domus, quæ nunc imperat, Mediolani jus accepit atq; ditionem. Mediolani situs cùm in sexto climate, quod cœli præ se fert benignitatem felix habetur, quamvis modo haud satis puro fruatur aëre.

Omnibus, quas humanæ possunt desiderare fauces, rebus abundat. Quidquid vis, quodcunque cupis, hic reperies; adeò ut proverbio ferant, *Solo in Milano si mangia*, nec in alia Europæ urbe tantam ædilium copiam, quantam in hac, inveniri mihi persuadeo. In aliis quidem civitatibus si una atque altera non desiderantur plateæ, quo res hujusmodi venales comportantur, centum Mediolani est invenire, qua-

quarum XXI. primæ ſunt: nam quodlibet quadrivium iis rebus, quæ victui conducunt humano refertum eſt. Habet vernaticum *Montisferrati* vinum, potenſque *Briantinum* merum. Huc, centrum cum ſit Inſubriæ, omnium ferè Provinciarum confluunt merces, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, ex Genuæ portu. Vaſtiſſimam habet planiciem, colles apricos, amœnos montes, commoda flumina, fœcundoſque lacus quæ illi omnia alimenta miniſtrant, nihil boni, nihil pulchri hæc ampliſſima & uberrima regio patitur exoptari. Hic magna eſt omnium opificum varietas ac multitudo, ſupra id quod cuiquam credibile eſt; ita ut vulgò dicatur: *Chi voleſſe raſſettare Italia revinarebbe Milano.* Nam omnes artifices huc atque illuc in Italiæ urbes & loca ſuas comportarent artes. Hic eſt innumerabilis pænè aurificum numerus, conflantium arma, textorum ſericatiorum, atque ab iis longè operoſiùs & elegantiùs, quàm à Venetis, mirifica arte res elaborantur. Ingentia, atque ea plurima videntur Palatia, quæ Regiam præ ſe ferunt magnificentiam inter quæ ſuperba *Thomæ marini* moles principem ſibi, uti luna inter minora ſidera, magnificentiæ: vendicat locum, & mirantes ac ſtupidos omnium oculos in ſe convertit. Inexpugnabilis Mediolani arx, & loci natura, & amplitudine, & elegantia, & munitione, & oppugnationis difficultate cunctas Europæ arces facile antecellit: hanc viva cingit aqua, foſſa triplex, patentes & arcanæ ſubſidiariæ ſunt viæ ſuperius, inferiùs, ubique & ampli & anguſti ſunt auxiliarii aditus. Maius arcis quadrum intra foſſam, ſecluſis turribus, quæ parva ferè caſtella poſſunt appellari, ducentos ambitus cubitos habet. At vero extra anteridem, poſthabitis forcipibus, mille ferè ac ſexcentos ambit cubitos.

Schott.

Hic regium portæ Joviæ caſtrum, quo in Europa nullum eſt fama celebrius, ob ejus magnitudinem, ope-

operum ac munimentorum amplitudinem. Juſtæ etenim urbis capacitate vicos, plateas, fora, Palatia, fabrûm, omniſque generis mechanicorum artificum tabernas operarias in ſe complectitur, nullius opis indigens externæ, ſed commeatu, annona, omniumque rerum copia, bello paceque neceſſariarum abundans. Effundit oppidorum inſtar undequaque vaſta propugnacula, circumambiunt foſſæ latiſſimæ profundis triplices & vivis amnibus perfluæ, & utrimque parietibus lateritiis evectæ. Muri craſſitudine ſtupendi fulciunt aggeres latiſſimos, & meatibus concameratis pervios. Equorum pinnis & feneſtellis, per caſtri totius & propugnaculorum circuitum exerunt ampla capita, tubi ænei ingentes, tormentorum bellicorum prægravia pondera, rotis ferratis impoſita qui, ſulphureo pulvere inflammati, globos ferreos pondo DCCCC. vel amplius evomere in hoſtem vel adverſam molem poſſunt, atque obſtacula quæque maximo cum fragore proſternere.

Videbis hic armamentarium capaciſſimum amplitudine, & armorum telorumque omnis generis ornatiſſimorum infinita copia refertum. Præterea fabrûm, ac mechanicarum artium varias officinas, quas longum eſſet numerare. Conſiderabis, ſi placet, portas, muros, aggeres, foſſas, caſtella, & propugnacula maxima ſtupendi operis, ſumptus ac artificii incomparabilis; percenſebis etiam ordine per propugnacula, muros & caſtella, diſpoſitas tormentorum bellicorum moles, tubos æneos, immanes λιθοβολίτιδας, atque πολιορκητὰς, ut epitheta Bellonæ propria hic cacodæmonum inſtrumentis attribuam.

Caput.

Si illuſtres cupit quis videre picturatas imagines, hic ſuæ poteſt ſatis cupiditati facere. Juxta arcem in *Mara vigliorum* via ſtat parietis facies, in qua, ſumma *Troſi Modoetienſis* arte & induſtria pictæ Ro-

manæ

manæ videntur Historiæ, eo figurarum genere, quod *terti pro spectus* pictores vocant: cujus excellentiam operis ac ferè divinitatem mortalium nemo attingere potest cum sit numeris omnibus undequaque absolutissimum. Mirabilius est, pictas illas imagines sine motu & sine spiritu existere, quam si spirarent ac moverentur, non habere vitam, quam habere majori spectantibus negotio suadentur. Hac in re non ars naturam, sed hæc artem videtur imitari. *Beatricem* veltus portam in propatulo est pictus *Latinorum* paries ita coloribus & ingenio à *Bramentino* elaboratus, ut jucundum attonitis prætereuntium oculis præbeat spectaculum. Ubi verò ad portam, quæ *Tosa* nuncupatur, perveneris, semianaglypham conspicies statuam, quam cuidam meretrici, quæ patriæ pepererat; libertatem, cives haud beneficii immemores erexere.

Mediolanum postquam *Bellovesus* fato concessit, Provinciarum semper caput extitit. Antiqui Imperatores huc delegabant Italiæ Comitem, qui erat Imperii Præfectus. Consularem habens auctoritatem, & ibi uti legionum Dux commorabatur, quò Transalpinorum furori ac eruptioni obicem poneret. Fredericus Imperator sibi Vicarium hic constituit. Multi insignes virtute viri, summique Principes diuturnos post labores Mediolanum tùm propter aëris temperiem, cùm propter magnam civium humanitatem, tum etiam propter rerum omnium copiam, sese contulerunt, tamquam in tutissimum Italiæ portum, ut non secùs atque in amœnissimo omnium deliciarum domicilio, graves curarum sarcinas illius in sinum deponerent atque animum publicis defessum negotiis recrearent.

Schott.

Est enim ager Mediolanensis tam cœli temperie, quàm soli fertilitate, & affluenti rerum copia ditissimus. Unde civitas ipsa populosa ob Alpium vicinitatem, & propriis fulta viribus, *Insubrium* caput semper

semper est habita. Et quamvis frequenter internecinis attrita bellis funditus urbs excisa, ad extremum etiam hostili aratro sulcata fuerit; floridior tamen usque resuscitata mox excrevit in altum, ut inter potentes urbes Italiæ numquam postrema fuisse videatur. Romani populo ante bellum Punicum secundum *M. Marcello* & *Cn. Scipione* Coss. Galliæ Transpadanæ partem, quam Boii ac Insubres tenebant, in potestatem redegerunt, Insubribus atque Transalpinis Germanis *M. Marcelli* Coss. ductu prœlio ad *Clastidium* superatis & occiso Rege *Virdumaro*. Qua victoria Mediolanum, Comum, Acerræ, pluresque urbes Transpadanæ in ditionem populi Romani tum concessere, Gallliaque Cisalpina tota mox Provinciæ formam accepit. Itaque Mediolanum deinceps sub Romanorum tutela florens haud mediocriter crevit, maximè Cæsarum Imppp. quorum auspiciis, qui urbis elegantia & opportunitate capti, quod nimirum Transalpinis Provinciis esset vicina, in quibus belli materia vix unquam deerat, ibi sedem figere, dilectus habere, ac legiones inde traducere trans Alpes solent. Constat *Trojanum* Mediolani Regiam ædificasse, qui locus adhuc nomen *Palatii* servat: moram sæpius traxisse *Hadrianum*, *Antoninos*, pluresque alios Imperatores, qui urbem ædificiis publicis exornarunt.

Capug.

Maximè verò optimum illum *Theodosium* & *Constantium* Cæsarem, ac *Placidam* ejus uxorem. Hos præcesserunt *Cajus* Cæsar. *Cn. Pompejus*, & *Maximianus Hercules*, qui ibi sese imperio abdicavit. Hic *Theodoricus* Gothorum Rex, & *Pipinus* Italiæ Rex vitam cum morte commutarunt. Ea propter multi aquæductus, ac quatuor communes effossæ fuerunt cloacæ, quas nostris adhuc temporibus videre est.

Inter *S. Salvatorem*, ac antiquum Viridarium superbum erat Palatium, Jovi dicatum, Imperatorum ergò;

ergò; Romanorum more, qui Romæ Capitolium eodem habeant loco. Ubi modo *Concio* est, erat olim *Arenarium*, in quo jussa Ducum audiebantur; ibique justitiæ locus erat. Erat *Theatrum* histrionum gratiâ. *Hippodromus*, aut *Circus maximus* stabat, ubi est *S. Maria Major*, quo in loco ad cursum agitabant equos, ac Martem exercebant, *D. Stephani* viridarium: olim duellorum causa fuit *Amphitheatrum S. Nazarii* templum ergastulum extitit, in quo cum immanibus certabatur feris, ibique alebantur. Quod nunc est pratum commune, tunc erat spectaculum, in quo juventus equos domabat, atque equis assuescebat Situm, quem modò Ecclesia tenet Cathedralis anteà occupabat *Compitum*, in quo pueriles agebant lusus. Ubi est *Caularium*, erat quondam pomarium refertum præclaris Architectonicæ artis monimentis, pulchris marmoribus, peregrinis plantis, variis fructibus, floribus suavè olentibus, & vitreis aquis. Ubi stat *D. Laurentii* templum, fuerunt, insignes *Maximiani Thermæ, Neronianæ, Nervianæ*, quæ Romanas artificio ante se ire haud quaquam permittebant. Tot inter res antiquas nihil te usque adeò detineat, quin.

Schott.

Pergas ad Armamentarium Palatii, ubi videbis arma multiplicia, pretio, artificio, & elegantia Principibus magnis quibusque digna; sunt enim non solùm auro, argento, coloribusque per encausticen exornata, sed etiam cœlatura, artificiosissima per fabricam elaborata.

Capug.

Et mirabile supra id quost dici potest, *Herculis* templum, sancto nunc dicatum *Laurentio*. Hoc Romani *Pantheonis* præ se fert imaginem, sed altitudine, latitudine, ac ædificii nobilitate antecellit, unum præter antixystum. Mediolanensis enim sexdecim albas habet columnas marmoreas duabus integratas partibus, Doricè elaboratas, sed jam consumptas ve-

vetuſtate. Hoc templum erexit *Maximianus*, qui *Herculeus* nuncupabatur. Haud procul à Templo *S. Georgii*, *Traiani* Imperatoris Regiam fuiſſe autumant. Mediolani rerum ſacrarum cauſſa *Archiflamen*, uti Romæ, morabatur : quapropter ſecundæ Romæ cognomen, ac inſignium loco nigram ſortitum eſt *Aquilam*. Florentiſſimum hic fuit ſtudium, in quo *P. Virgilius*, *Alcuinus*, *D. Auguſtinus*, *Hermolaus Barbarus*, *Merula*, *Franciſcus Philelphus*, *Cælius Rhodiginus* *Alexander VI.* & *Pius* IV. Pontifices Maximi, ingenti cum laude præclara ſua exercuerunt ingenia. Herculeus Maximianus urbem non amplius *Mediolanum*, at *Herculeum* voluit appellari : & ut omnes præterea Imperatores, antequam Italiæ vocarentur Reges, ſolemni hic apparatu ferream acciperent coronam conſtituit, quod à plurimis actum eſt Imperatoribus ; idque adhuc in more poſitum perſeverat. Sanctus Gregorius Papa Archiepiſcopum Mediolanēſem, ut ipſos Italiæ Reges coronaret, privilegio exornavit: ea tamen conditione, ut Romam auream à Summo Pontifice coronam acceptum irent. Hæc Regum coronandorum ſolemnitas in *S. Ambroſii* templo celebratur, & corona *Modoetiæ* ſervatur accurate. Mediolani civitas ſumma ſemper potentia floruit, quare ſæpius Romanis negotium faceſſit; frequenter cum Gothis aliiſque cum Barbaris certavit, bellum geſſit cum geminis Fredericis Imperatoribus I. & II. Novariæ, Bergomo, Papiæ, atque Cremonæ quondam acres intulit pugnas : Comum ſuſtulit, Laudam delevit, inſtauravit Dertonam, Genuam ex Maurorum ſervitute in libertatem vendicavit, atque ex cunctis his hoſtibus inſignes retulit victorias. Mediolanum tanti erat Inſubriæ, ut Cremona, Verona, & Placentia aliis cum civitatibus inierint conſilium, ut communibus impenſis ab *Ænobarbo* Imp. dirutum inſtaurarent. Omni ætate fuit populo frequens : anno ab humani generis reparatione M.CC.L. compertum eſt CL. millia civium

ibi fuiſſe, quorum triginta millia idonei militiæ habiti ſunt. Romanorum tempore erat dictum,

Qui miſeram citius cupiunt effundere vitam;
Mediolanum adeant, gens ea dura nimis.

Quapropter haud injuriâ Cicero in Philip. dicit, Galliam Ciſalpinam, & ideò Mediolanum florem Italiæ, Imperii præſidium, ac illius pacis ornamentum eſſe. Quæ profectò res ita ſe habet, hæc enim civitas circumcircà tot habet colonias quæ ipſam cingunt, quibus imperat, & quæ imperata faciunt. Mediolanenſes *S. Barnaba* beneficio fidei lumine illuſtrati fuere, cùm *D. Petrus* Antiochiæ morabatur, ſalutis anno XL. Hic prima fuit Eccleſia Inſubriæ, ac totius fortaſſis Italiæ: ibique ſuum diſcipulum *Anatolonem* Græcum Epiſcopum dereliquit. Cui annis prætereuntibus plures ſancti ſucceſſere Paſtores, inter quos ille famâ ſuper cetera notus *D. Ambroſius* effulſit. Hic ſanctorum Martyrum *Gervaſii* ac *Protaſii* corpora invenit, illiſque erexit templum, quod ſuo nomine hodie nuncupatur. Iſta primaria erat Eccleſia, in qua ſerpentis æneî à Moyſe conflati vera ſimilitudo conſpicitur, à *Theodoſio* Auguſto Mediolanum allata. In columna *D. Bernardi* cernes effigiem, qui hoc in templo multa patravit miracula, Deo ſacra tulit, atque conciones habuit. Hic ſepulchrum quoddam retinet corpora *Ludovici II.* Imperatoris, & *Pipini* Regis Italiæ ex Carolo Magno progeniti. *S. Ambroſii* corpus ſub altari in profundo jacet puteo quatuor ferreis ſubnixum catenis, & unus liber ab eo conſcriptus. Caroli Magni tempeſtate *Angelbertus*, Puſterlanus Archiepiſcopus, magnificentiſſimo altare cohoneſtavit pallio, aureis cum quadris viginti Sanctorum Angelorumque imaginibus inuſtis. Medius ſtat Salvator à morte reſurgens, qui diadema immenſi gemmis prétii rigens capite gerit.

Dextera atque læva altaris alia quatuor parva ſunt quadra, ſanctorum figuris penitus referta: in medio crux ſita eſt. Illa interſepimenta innumeris gemmis

mis magnisque margaritis sunt vermiculata. Posteriori in parte altera est crux argentea duorum cubitorum longitudine, latitudine autem unius ac dimidii, in qua XXXIII. anaglyptæ sunt figuræ miraculis claræ. Hoc opus in toto terrarum orbe unicum ea ætate viginti octies mille stetit aureis, nunc forent centum mille & eo amplius; cujus numquam satis celebratus sculptor *Volvinius* fertur. Hoc in templo Italiæ Reges ferrea donantur corona. Maio. i in janua staas *S. Ambrosius* Imperatori *Theodosio* templi ingressum inhibuit Nemo est usque adeò mentis inops, quin summa afficiatur admiratione, si magnificentissimum Cistercienssium Cœnobium, & illud præsertim superbum viderit peristylium. Ecclesia egredienti læva exile *S. Augustini* fanum sese offert, ubi ipse regenerationis perfusus lavacro in fidelium numero fuit relatus. Illam scias esse viam, in qua *D. Augustinus* & *S. Ambrosius*, dum ad *S. Gervasium*, propter Baptismatis beneficium gratias Deo solutum irent, *Te Deum Laudamus*, &c. Modulati sunt.

Schott.

D. Theclæ templum invise, sanctis Divorum Reliquiis multis augustum; in quod etiam S Ambrosius *clavum* Imperatoris Theodosii donarium reposuit, quem per sacrosancta Christi membra in crucis ligno Judæorum carnifices panxerant. Vix quippiam Mediolani antiquius hoc templo; quod à Christianis primum, Salvatori nostro & *D. Mariæ* Virgini matri ejus consecratum fuerat, posteà in *D Theclæ* commutatum. At multis ante propagatum Evangelium sæculis, *Minervæ Pantheon* amplissimum eodem in loco stetisse ajunt: deamque ibidem, ut *Polybius* etiam suffragatur, præcipua antiquitus religione cultam fuisse. Hinc plures opinantur nomen olim regioni atque urbi hoc templum dedisse, ut prisca Celtarum, ac nunc etiam Germanica *Magdeland* hoc est *Virginis regio* vel *terra* Mediolanum dicatur.

Qua quidem in ſententia fuiſſe comperimus Andream Alciatum Juriſconſultum, in omni diſciplinarum genere præcellentem virum, ſicut in Emblematis ipſe hoc Epigrammate teſtatur:

Quam Mediolanum ſacram dixere puellæ
Terram (nam vetus hoc Gallica lingua ſonat)
Culta Minerva fuit, nunc eſt, ubi nomine Thecla
Mutato, matris Virginis antè domus.

Capug.

Ad Eccleſiam *S. Nazarii*, arcem verſus, in porta Ticinenſi, fac videas lapidem rubeum, qui modò *ſanctus* vocitatur; ubi præclara divi Ambroſii trophæa, quæ de ſceleſtis duxit Arianis, videntur: uti in porta *Vici armorum* ipſius victrix cernitur ſtatua. Præterea adverſa tibi ſciſcitanti oſtendentur loca, *Maluſangulus*, *Terra amara* ad *S.* Thomam, & ad *S.* Victorem *porta portiana*, ubi quattuor annis in tenebris latuit, multoſque latens conſcripſit libros *B. Mariæ Scaligeræ* templum Regina *Barnabæ* Vicecomitis uxor ſtruendum curavit: quoniam verò à Veronenſibus Scaligeris trahebat originem, *ſanctam Mariam Scaligeram* appellari decrevit. Ibi ſuperioribus annis *Turianarum* ſtabant ædes. Ubi ad *S. Dionyſium* veneris, fac tibi ſuccurrat, priſcis temporibus pernicioſum ibi draconem fuiſſe, qui peſſimè affecerat urbem, hunc neci tradidit *Umbertus Anglerius*, qui dehinc *Vicecomes* nuncupatus fuit. Templum *D. Marci* viſere ne prætermittas: in eo quidquid perſpectiva poſſit ars, *Bomazzi* induſtriâ perpendes in delubro, Prophetarum, Angelorum, aliorum Sanctorum, atque Sibyllarum figuris conſpicuo. Altero in larario *Simon* ille *Magus*, cœlo deturbatus gravi caſu, ſpectantis animo haud levem incutit horrorem.

Nullatenus Mediolano decedas, ni te prius ad *S.* conatuleris *Nazarium*, ubi illuſtriſſimorum Ducum *Trivultiorum* ſublimia ſtant ſepulchra: maximè conſpicies ſumptuoſiſſimum *Jacobi* tumulum, de quo verè

verè poteſt dici, *Qui numquam quievit, hic quieſcit*: tantis fuit ſemper conflictatus curis., *Gaudentis* & *Cervii* multi à pictorum nominis. *D. Fidelis* Eccleſia cum pulchritudine, tum architectonica varietate, tum etiam ſingulari *Peregrini* inventione, ſine ſtupore videri nequit. Summa pariter digna eſt admiratione Eccleſia Monialium *S. Pauli* & *S. Barnabæ*, ubi Reformatorum *S. Pauli decollati* Fresbyterorum Religio ſumpſit originem. Pulcherrimum *Roſæ* templum mirificè te oblectavit, ubi Prædicatorum Patrum operâ, ſtudio ac diligentia illuſtres ſanctiſſima *Roſarii* Sodalitium ſummo habetur honore, ſumma colitur veneratione. Viridarii templi amplitudo, figurarum Vicecomitum cura in *S. Guttardo* pictarum elegantia, turriſque ſublimitas humanum animum in ſtuporem evehunt. Fanum *S. Euſtorgii* Epiſcopi ingentem ac magnificum alabaſtrino ex marmore habet tumulum, in quo ſacra *D. Petri Martyris* clauduntur oſſa, qui ex ornatiſſimo eſt [illegible]bro, raris *Giverchii* inſignito picturis, in quibus fugientes planicies ſeſe paulatim abſentare, atque in immenſos terrarum tractus abire, nec non declives altitudines quaſi deſcendere, ars mira facit videri Ditiſſimo in tabernaculo illius Sancti oſtenditur caput, ac ſepulchrum, in quo trium *Magorum* iacuerunt corpora, *S. Euſtorgii* Epiſcopi ſollicitudine huc ab ultimo Oriente delata anno CCC. XXX. quæ multo poſt tempore, anno ſcilicet M. C. LXII. cum *Barbaroſſa* Imperator urbem evertiſſet, ab *Rudolpho* Archiepiſcopo Agrippinam in Coloniam aſportata fuerunt. Ipſius *S. Euſtorgii* corpus ibi quieſcit cum innumeris Sanctorum Reliquiis, quoniam ſilveſtris olim erat locus, ibique multi ob Chriſti fidem morte afficiebantur. Nobilium Mediolanenſium cineribus plenus eſt locus: quos inter Magni *Matthæi* Vicecomitis, primi Mediolani Ducis, ac Turrianorum ſunt cineres, nec non *Georgii Merulæ* optimè de litteris meriti; cui, *Ludovico*

Duce imperante. Ducum more justa sunt facta, ac Epitaphium exaratum:

Vixi aliis inter spinas mundique procellas:
Nunc sedes cœlo Merula vivo mihi.

Super Cœnobii januam editum stat suggestum, ubi *D. Petrus Martyr* concionem ad populum haberet, quòd dimidium esset æstatis, & omnes nimio laborarent ardore, ut instar umbraculi nubes super auditores suos expanderet sinus, quò illos ab infesto solis defenderet æstu, impetravit. Fratrum Prædicatorum est Cœnobium, & antiquitate, & litterarum studiis, & morum honestate nobilissimum, quod multos virtute insignes protulit viros. Haud procul *S. Barnabæ* fōs emanat; ipse enim hic degebat, cumque alpestris foret locus, ibi baptizandi exercebat munus, atque Sacrum faciebat. Hujus fontis haustus sit tibi curæ: nam febres modis propulsat miris, atque omnem prorsus abstergit ægritudinem. Hæc tamen omnia *S. Laurentii* templum, olim *Herculi* dicatum, uti demonstratum est, magnificentia [illegible] se relinquit: quod anno M. LXXXV. ferè totum [illegible] præda fuit, aureorumque elegantia Emblematum fuit corrupta, plures statuæ, figurataque æra circa columnas magnum accepere detrimentum. Regium ne omittas videre delubrum *S. Aquilino* à *Placidia* Honorii Imperatoris sorore, uxoreque Constantii, dicatum, extrinsecus exornatum columnis, intus vero Porphyretica opera, aureaque Emblemata illi summum addunt decorem. Si *D. Stephani* viseris templum, scias ibi *Galeatium Mariam Sfortiam* Ducem pugionibus confossum fuisse. Si *S. Gettardum* adieris, ibi *Azonem* Vicecomitem urbis Dominum, ac *Joannem Mariam* secundum Ducem, manere memento. Si autem ad *S. Johannem in Concha* te contuleris *Barnabam* Vicecomitem, Mediolani Principem ibi jacere tibi suadeas velim. In *SS. Satyri* ac *Celsi* templis à *Ludovico Mauro* Duce extructis, propè divinum *Bramantis* Urbinatis Architecti, atque picto-

iis

ris ingenium ſuis ſeſe oſtentat operibus. In Eccleſia *B. Virginis* Dominæ noſtræ egregia inter ornamenta, ſub organo gemini ingentes ſtant Termini, cum capitibus, elegantibuſque pannis. In templi proſpectu ſunt ſtatuæ, ſingulari arte conſpicuæ. Qui ſingulas earum partes diligenter ſecum animo perpenderit, à nullo ſimiles effici poſſe, fateatur neceſſe eſt. In his *B. Virginis* cœlum aſcendentis excellit anaglyphum, *Annibalis Fontanæ* opus. *Aſtoldi* Florentini ſtatua ſecundum dignitatis occupat locum. In templo *Pacis*, *B. Virginis*, ipſiuſque patris *Joachimi*, ſummâ *Gaudentii* induſtria pictæ videntur hiſtoriæ, quæ ſpectantium animos maximo afficiunt gaudio.

Virgo manens juxta crucem, *Marco Uglone* auctore, veram ipſius doloris præ ſe fert imaginem *S. Franciſci* effigiem *D. Joannes Baptiſta* puer Chriſtum adorans condecorat, Inſignem Conceptionis Iconem *Vincius* perfectis exornavit luminibus. In S. Franciſci Eccleſia ſtat *Conceptionis* delubrum, ubi eſt divus *Joan. Baptiſta* puer, ſupra id quod dici poteſt elegantiſſimus, quem *Vincius* effinxit. *Zonales* ſanctorum *Petri* ac *Pauli* lararium illuſtravit; organi antes *Bramantinus* perfecit: hic eriam cruce depoſitum formavit Chriſtum, qui ſuper ſepulchri janua videtur. Omnino in vehementem ſtuporem eveharis, ſtuporem Apoſtolorum conſpiciens in cœna, à *Gaudentio* in Paſſionis Eccleſia collocata, cujus *Chriſtophorus Gibus* excellens pictor fertur auctor extitiſſe. Ut videas incumbe *Gratiarum* templum *Ludovici Sforciatis* juſſu erectum: inter venuſtiſſimas illius partes primam venuſtatis ſedem elegãtiſſima fornix ſibi vendicat, ibi Dominum omnium ſpinis coronatum offendes, excellens opus *Titiani*, dignum quod æternitate donetur. In delubri teſtudine, Angeli plaſticè formati à *Gaudentio*, in motu & in veſtimentis excellentiſſimè, conſpiciuntur. Et in alio loco *D. Pauli* ſcribentis & contemplantis imago ab eodem met *Gaudentio* picta viſitur, In hoc templo jacet

Beatrix Duciſſa, quam uſque adeò amore *Ludovicus* amplectebatur, ut illius poſt obitum, per annum non niſi ſtans veſci voluerit.

Hic ponere libet, quæ leguntur ſupra alteram portarum periſtylii ejus Cœnobii ingenioſa affabrè:

INFELIX PARTVS, AMISSA ANTE VITA QVAM IN LVCEM EDERER; INFELICIOR, QVOD MATRI MORIENS VITAM ADEMI, ET PARENTEM CONSORTE SVA ORBAVI, IN TAM ADVERSO FATO HOC SOLVM MIHI POTEST JVCVNDVM ESSE, QVOD DIVI PARENTES ME LVDOVICVS ET BEATRIX MEDIOLAN. DVCES GENVERE, M. CD. XCVII. TERTIO NON. JANVAR.

Joannes jacet *Simonetta*, Sfortiadum Scriptor rerum, ac *Julius Camillus* præclari vir ingenii, de quo in altera paraſtidarum exaratum eſt:

JVLIO CAMILLO, VIRO AD OMNIVM SCIENTIARVM SENSA MIRIFICE ERVENDA, ET AD SCIENTIAS IPSAS IN SVVM ORDINEM APTE CONSTITVENDAS NATVRA MIRE FADIO, QVI APVD DOMINICVM SAVLIVM, IDIBVS MAII M. D. XXXXIV. REPENTINO MORTVVS CONCIDIT.

DOMINICVS SAVLIVS AMICO DESIDERATISSIMO P.

In Sacrario aurea, argentea, & ſerica ſacra ſunt indumenta, multique rerum pretii hic magna vis eſt. Hic ſunt fratrum Prædicatorum ædes, tum ædificiorum mole, tum eruditorum optimorumque Patrum numero celebres, ac, quæ inter primas hujuſce Religionis habeantur, dignæ. In periſtyliorum capitibus magnus ille *Zenales* pinxit hiſtorias. At ſi illuſtriores ac mirabiliores, quæ in toto videantur terrarum orbe, picturas cernere æſtuas deſiderio, ut illi Patres in triclinium te ducãt efficet: illic enim Domini ſuis cum Apoſtolis cœna eſt, in qua vivos geſtus

gestus, ac veros animi passionum motus inspirantibus Apostolorum faciebus, ac in ceteris corporis partibus. *Leonardus Vincius* mira expressit arte: ita ut similitudinem ipsam videri veritatem, fateri oporteat.

Nec inficiari quis potest, hoc opus supra id quod credibile est, excellentissimum inter egregias & mirabiles omnium ætatum picturas recensendum fore. Ipsis in Apostolis admiratio, horror, dolor, suspicio, amor, ac hujuscemodi animi passiones, quibus tunc omnes erant affecti, liquidò cernuntur. Præsertim Judæ vultus, proditoris haud absimilis, animo conceptam præ se fert proditionem. Cumque ceteros Apostolos omnibus absolvisset numeris, Jacobo Majori, atque Minori, tantum decoris ac majestatis inussit, ut posteà Christum volens effingere, nunquam divinæ illius faciei, quamvis excellentissimus, extremam potuerit adhibere manum. Quapropter perficiendi spe destitutus, cùm nihil ei addere posset, consilii inops *Bernardum Zenalem* egregium pictorem convenit, qui super hoc consilium quærenti respondisse fertur: *Hic error is est, ut nemo præter Deum illi valeat succurrere, nam neque in tua neque in alterius situm est manu, majorem imagini conferre divinitatem, quàm tu utrique Jacobo contuliſti: ideò Christum sic incompletum relinque.* Leonardus Zenalis consilio morem gessit, uti hodie videre est, quamvis tempus edax illi multum picturæ detraxerit dignitatis, ita ut prisca ejus majestas modò visum fugiat.

In triclinii facie, ex naturæ sinu eductæ sunt effigies *Ludovici*, *Beatricis*, geminorumque filiorum, *Maximiliani* atque *Francisci*, qui Duces fuerunt. Haud procul hinc Patres Montis Olivetani, *S. Victoris* habent Monasterium nobilissimum, quod in Templo sanctum habet Georgium necem serpenti inferentem, cujus auctor *Raphael Urbinas* extitit. Octavum mundi miraculum est Cathedralis Mediolani Ecclesia ampliſſima, Beatæ dicata *Virgini*,

quam anno M. CCC. XXXVI. *Joannes Galeacius* Dux erigendam curavit, cujus longitudo, ab Ortu ad Occasum CC. L. latitudo verò C. XXX. cubitos protenditur; major testudo DCCC cubitorum altitudinem pertingit in medio quinque navium longitudinis trium. Quarum media, & geminæ collaterales L. cubitorum habent altitudinem; altera XL. cubitos habet sublimitatis, tertia autem XXX. Inter quatuor majores testudinis columnas, XXXI I. cubiti intercedunt.

Schott.

Ceterùm est basilica perauguſta, sumptus immensi, ac amplitudinis artificiique tanti, ut pauca prorsus quæ in orbe Christiano nunc exstant templa, huic conferri posse existimem, sive magnitudinem ac architecturam ædificii spectes, sive pretia materiarum æstimes.

Capug

Quinque habet portas ab Occasu Ortum versus, geminas Meridianas, alteram Septemtrionalem Primam & alteram navium illustris sustentat fenestra, tertiam alterum organorum. Columnæ eandem tenent descriptionem. Fenestræ, & arcus sive fornices in amygdali morem sunt structæ, licet ars varias effecerit.

Totum templum, vacuas præter fornicum partes, marmoreum est. Duo sunt Sacraria, in quibus videbis rara donaria Archiepiscoporum, Vicecomitum, ac Ducum vasa ac vestes ex auro & argento, gemmis ac margaritis pretiosissimis expolitas. Reliquias Divorum in perornatis ac inæstimabilibus cõditoriis positas. In duobus lateribus templi ingressus geminæ sunt erigendæ turres. Aquæductus, mirabilesque habet cuniculos. Superiores naves evadent plateæ, seorsum positæ. stratæ marmore, pyramides intercedent inferioribus, singulæ singulis innixæ columnis. Ferrei nexus ingentem præ se ferunt admirationem, quos mirantes Architecti Caroli V. obstu-

obſtupuerunt, qui à terra illos ſuſpiciendo, famâ minores ducebant; at verò, ubi aſcenderunt, incredibili ſunt affecti ſtupore, tum miram ob artem, cum ob ingens pondus, tum etiam ob tot ſtatuas marmoreas, ferreas, plumbeas, & ob inæſtimabiles ſumptus.

Schol.

Aſcendes denique in turris ornatiſſimæ molem altiſſimam, ut ex ejus ambitu inferiore contempleris urbis ſuburbiorum qui ſitum planum, regioniſque circumvicinæ ſpatium ac conditionem. Obſtupeſces pulchritudine ſitus & amplitudine, atque adeò Provinciam, non urbem te videre meritò putabis. Eſt enim Mediolanum (ut diximus) opportuno admodum loco inter fluviorum rivos poſitum, ut præter uberrimas quas habet agri vicini fruges, è Gallia Ciſalpina, & Alpibus etiam, rerum omnium copia, tam ad uſum quàm ad delicias, eò comportari facilè queat. Suburbia habet longa lataque, quorum nonnulla cum magnis civitatibus certare poſſunt: quæ latis aquarum foveis undique, non ſecus atque urbs ipſa, cinguntur. Conſidera ductuum commoditatem, per quos undique navigiis annonæ copia defertur quotidie: ut nihil non ibi pretio vili venum detur.

Cap. 7.

Reſplendet non ſolùm intus foriſque cruſtis marmoreis intectum, verùm & artificioſarum ex marmore Pario ſtatuarum incredibili multitudine circumquaque perornatum, ut integros dies ſpectatorum oculos artium ac hiſtoriarum varietate detinere poſſit. Tot inter ſaneque abſolutiſſimas ſtatuas *Adami* ac *S. Bartholomæi* excoriati ſimulachra, quæ *Chriſtophorus Gibus* effinxit, ſtuporis officinas penitus exhauriunt. Quorum in altero hominis anatome liquidò conſpicitur: nec aliud uſque adeò affabrè factum ubivis gentium reperiri, mihi perſuadeo. Hujus templi architectura Germanica eſt, licet poſteà

ſteà recentibus adaptata ſit modis. Gemina vaſtiſſima habet organa: alterius in antibus ſtat *David* cytharam pulſans ante Arcam, quem *Joſephus Dedenſis* numeris omnibus abſolvit.

Elegantiſſimum habet Chorum. Omnes ferè Vicecomites ac Sfortiatæ Duces ibi humati jacent. Ad majus altare humi jacet corpus *Caroli Borromæi* Cardinalis ampliſſimi, , cujus animam gloria cumulatam ad cœlum migraſſe, pro comperto habendum eſt, ac majores indies gloriæ acceſſiones illi fieri, quod toti fermè Italiæ piè beateque vivendi formam præſcripſerit. Dextera alterius ex navibus eſt tumulus *Jacobi Medicæi* Marchionis Melignæni, Ducis perquàm ſtrenui, aliis multis cum ſtatuis; ejus ſtatua ex metallo à *Leone Aretino* conflata eſt, militari habitu à natura haudquaque diſcrepans. Summa proſequere veneratione unum ex *clavis*, quibus Dominus noſter cruci fuit affixus; qui incredibili diligentia & pietate ſervatur ac colitur hoc in templo, Mediolanum à Theodoſio allatus. Haud parva dignum eſt admiratione Xenodochium majus in quadro poſitum, columnis undique ſeptum, DC. cubitos habet ſpatii, videlicet CL. per quodlibet latus, quatuor cum quadris columnis munitis, ampliſque domiciliis, inferiùs fornicibus omnino fulcitum eſt, & vacuum, ubi tumultuoſæ ſunt officinæ: media in cruce degunt infirmi, & adverſa laborantes valetudine. Eo in loco centum & duodecim ſunt cubilia contecta, undique clauſa, pari diſtincta modo: in medio ſtat altare ita coaptatum, ut cùm ſit Sacrum, omnes infirmi ſanctiſſimum Domini Corpus adorare valeant. Ejus redditus ſunt quotannis aureorum L. millia, etſi aliquando LX. & XC. millia ſolvantur. Nutrit animas quatuor millia, aliæque Domus pietatis quinque millia.

S. Georgii diverſorium peſte affectorum, æquo in quadro mille ac octingentos ambit cubitos, quod viva

viva cingit aqua intus circumseptum columnis : innumera sunt cubicula, & unumquodque necessariis est communitum rebus. Locus est extra portam quę Comum ducit.

Mediolanum omni ætate nobilissimas aluit familias, quæ Româ huc concesserunt. *Pasterlorum* gens, olim *Ambigatorum*, ab *Ambigato* Celtarum Rege trahit, genus, cujus nepos *Bellovesus* Mediolani fundamenta jecit. At *Turriani*, qui à Valle *Sassinæ* egressi, longè ceteras excelluerunt familias, & Mediolano jura dedere, à Martino ad illud usque temporis, quo à Vicecomitibus fuerunt ab Imperio deturbati, anno M. CCC. XXIV. ferè omnes secessserunt, atque iis diebus plures illorum Fori Julii, Genuæ, & Comi vitam exigunt. Alter fuit *Martinus Turrianus*, qui in Arabia, ubi Dux erat Conradi II. Imperatoris contra Barbaros, in eorum redactus potestatem, ob Christi fidem de barbarica immanitate martyrii retulit triumphum. Vicecomites suum jactant genus à Trojanis, qui ad majorem lacum *Anglum*, qui *Angleria* dicebatur, struxere, ubi isti fuerunt Domini; & cum primi inter Insubres haberentur, à Maximiliano, Diocletiani in Imperio collega, Herculis acceperunt insignia. Anno CCCC. LXXVI. *Alion*, qui Insuberes à vi tutaretur hostili, in Comitis Italiæ locum subrogatus fuit, ac *Procomes* vocabatur. Quoniam vero præclarè ac strenuè illam agitavit Provinciam, *Procomitis* cognomen sortitus est : atque ejus nepotes non *Angleria*, sed *Vicecomites*, uti fert Italicus sermo, ab eo tempore sunt nuncupati. Non desunt, qui Vicecomites ab *Alitprando*, *Desiderii* Insubriæ Regis nepote, genus deducere autumant. Penes duodecim ex his c LXX annos Mediolani jus atque ditio fuit. Non est in Italia gens, cui major contigerit dominatus : hæc enim, *Joanne Galeacio* Duce, novem & viginti urbes suo rexit imperio, ac præter Insubriam, Genua, ad Monacum usque por-

portum, Bononia, ac Pisæ illius cesserunt ditioni. Huc accedit, quod super Bellunum atque Tridentum suum protulit dominium.

Ex illustrissima *Sfortiadum* gente sex duces, exercitus Imperatores, Cardinales amplissimi, Reginæ, ac Imperatrix emersere. Mediolanum nobilitatis atque antiquitatis splendore undique refulget. Innumeros armis insignes protulit viros. Vicecomites *Turrianos, Sfortiadas, Trivultios, Bragos, Medicæos.* Litterarum gloria claros edidit *Decium, Jasonem, Alciatum, Comicum, Cæcilium, Valerium Maximum*, imperio dedit *Didium Julianum, Maximianum Herculeum, Ruffum*, qui ter Consulatum administravit. Nostra ætate vitalibus vescuntur auris plurimi titulis insigniti ac nobilissimi Equites. Quatuor Summi Pontifices, multi Purpurati Patres, Pastores, ac Beati Mediolano gaudent patria. Inter Cardinales gloriæ splendore coruscat *Paulus Æmilius Sfondratus*, qui Gregorii XIV. avunculi sui tempore Christianam moderatus est Rempublicam, quem vitæ integritas, sapientiæ excellentia, & morum probitas, qui laudum præconiis ad sidera feratur, dignum sanè efficiunt. Archiepiscopus semper uti Princeps habitus est, multosque per annos dominii clavum rexit. Ipse Imperatores ferrea exornat corona. Hunc à Genua Bononiam usque omnes Episcopi suum agnoscebant Metropolitanum, ac incredibili prosequebantur honore: eoque fastus processerat, ut cc. annis Romanum non agnosceret Pontificem, Gothorum temporibus castella, & jus in Siciliam usque fertur habuisse, ac una cum Ravennensi Italiæ primus ducitur. Ab hoc Archiepiscopatu, non secus atque ex sole lux, in tot Italiæ Ecclesias, Card. *Caroli Borromæi* studio & diligentia, reformatio emanavit, ac in suo perseverat robore, cum summa ope nitatur *Fredericus Borromæus* Cardinalis, qui omnes fateri cogit, illustres animos plurimum divino cultui conferre posse.

Schott. Non pigebit doctas quasdam Epigraphas obiter

biter hic inſerere, quò ſtudioſum Lectorem varietate cognitionis antiquæ nonnihil recreem. Reperies ad Janum portæ interioris, quà Pergomo intratur, & rurſus in porticu baſilicæ *S. Stephani* plura epitaphia Romana, è quibus hæc:

C. FIRMIVS. C. L.
FLACCVS
SAGARIVS
SIBI. ET.
LYCHORIDI. L.
FAVSTÆ. L. V.
NIMPHÆ. L. V.
ACTÆ L. V.
H. M. H. N. S.

Aliud.

VIVA. FECIT
T. JVNIO. T. L.
AMPIONI
JVNIA. T. L. DISETO
SIBI. ET. PATRONO
SVO. FECIT
C. CASSIVS.
SOPATER LINARIVS
SIBI ET CASSIÆ C.L.
DOMESTICÆ. LINAR.
PATRONÆ. ET
CASSIÆ. SVAVI. L.
ET. CASSIÆ. PRIMI-
GENI. L.

Aliud.

P. VALERIO. P. LI-
BERT. PALAT.
TACITO
VI. VIRGO SENIORI
ET. AVGVSTALI.

Aliud.

D. M.
KARDO. AVGG.
LIB. EX PROG.
PANTERMINA
LVPVLA
CVM FILIIS
CONJVGI
INCOMPARABILI

Effigies *Ampionis* & etiam *Juniæ*, Diſetonis, in frontiſpicio ſaxi ejuſdem ad vivum exſculptæ ſunt.

In porticu templi, in *Nemore S. Ambroſii*, eſt tabula lapidea, in qua Epitaphium, & formula legat cujuſdam, ſic extat:

PETRONIO JVCVNDO.
VI. VIRO. SEN.
PETRONIA. MIRAND. PATRONO
QVÆ HS. CCCC. LEG. POSSESSORIB.
VICI. BARDOL. CI. IN. STATVAM.
DVEND. ET. ROSA. QVODANNIS
ORNANDAM.

Rurſus à porta *Ludovica* non procul ante fore

Pala-

Palatii cujuſdam ara marmorea quadrata, in cujus uno latere *Diana Luciſera*, ut eam nuncupat Tullius, exſculpta eſt, cum erecta face in manibus; quapropter & *Facelinam* eam appellavit Lucilius Satyrarum 3. cum dixit:

--- Et Rhegina videbis
Mœnia, tum Liparas, Facelina templa Diana.

nam & apud Liparitanos tali forma colebatur Dea, ad cujus pedes item canis venaticus exſculptus ſedens, ac Deam obſervans. In altero latere ſimulachrum eſt *Apollinis Medici*, incumbentis tripodi, rejecta à tergo pharetra, cum lauri ramo in dextra. Ad Apollinis pedes ſtat cythara in bicorni teſtudine concinnata, & adjacet involutus *Python* ſerpens, quæ Dei ſunt inſignia: nam inde *Pythius* ac *cytharœdus* à Poëtis nuncupatur. In aræ ejuſdem frontiſpicio hoc votum exſculptum legitur:

ÆSCVLAPIO ET HYGIÆ
SACRVM
C. OPPIVS C. L. LEONAS.
VI. VIR. ET. AVG.
HONORATIVS. IN. TRIBV.
CL. PATRVM. ET. LIBERVM
CLIENTIVM. ET AD CENSVS
PATRONI. SANCISSIMIS
COMMVNICIPIBVS. SVIS, D. D.
QVORVM, DEDICATIONE
SINGVLIS DECVRIONIBVS
*.III. AVGVSTALIBVS. *.II. ET
COLONIS. CENAM. DEDIT
L. D. D. D.

Caput.

Frequentantur Mediolani Eccleſiarum Collegiarum XI. Paroeciarum LXXI. Monachorum regularium XXX. Clericorum Regularium VIII. Monialium XXXVI. Diſciplinarum XXXII. quæ cum aliis aliorum ad numerum aſcendunt cc. XXXVII. Gymnaſia, in quibus docentur pueri Chriſtianæ Re-

Religionis instituta. cxx. sunt.

Vivunt hac in urbe animæ ccc x. millia, & meritò nomen sibi vindicavit magnæ urbis, cum dicatur *Milano grande* & inter quatuor primas Italiæ recensetur urbes. quæ sunt Roma, Venetiæ Neapolis, Mediolanum; quod etiam inter decem majores & ampliores Europæ urbes sedem sibi vindicat, unde occasiones sumpsit Ausonius Poëta Gallus scribendi:

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, facunda virorum
Ingenia, antiqui mores, tum duplici muro
Amplificata loci species, populique voluptas
Circus, & inclusi moles cuneata theatri:
Templa, Palatinæque arces, opulensque moneta,
Et Regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,
Mœniaque in valli formam circumdata limbo.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt, nec cuncta premit vicinia Roma.

Tanta civitate perlustrata, & portam *Comasinam* egrediens, iter habebis versus Septemtrionem ac montes, & post passus xxv. millia pervenies Comum, quo itinere nihil spectandum reperitur præter vicum *Tarlassinæ*. Mediolano distans milliaribus decem, in quo sanctus *Petrus Martyr* Comprædicatorius ab hæreticis interfectus fuit; atque eo in loco, ubi Apostolicum Symbolum sanguine descripsit, cavus est, unde noctu & interdiu effoditur terra, nec umquam effossa videtur. In aëre illo suæ claritatis faces Deus ostendit corpus vulnerati viri magnificans. Est Comi civitas in planicie montibus vallata, & lacu *Lario* insignis, tum civium lepiditate ac benevolentia, cum *Pauli Jovii* Musæo spectanda. Villa est in conspectu urbis paninsulæ modo in subjectum circumfusi *Larii* pelagus exporrecta, & in profundo vallo surgit ædificium, in quo *Paulus* ipse, non ignobili studio, tamquam in augusto Virtutis tem-

templo, clarorum virorum dedicavit effigie, cujus Musæi delcriptionem leges in Elogiorum principio.

Nunc præter pictos parietes nihil in eo reperies admiratione dignum; at icones, panni etiam *Abyssinorum*, sive *Presb. Joannis* Æthiopum Regis, arcus, arma Antipodum, & multa alia nationum exterarum, & magni valoris, ac inviſa, videntur penes *Jovios*. In maiori æde ad lævam ſtant *Benedicti Jovii* elegantis Scriptoris cineres, nobili ſepulchro aſſervati, legunturque antiquorum inſcriptiones, quibus perſpicua fit urbis ejus antiquitas, & in Romanum Imperium perpetua fides. Non invito Neptuno, navigio lacum permeabis molli & vitreo æquore ſtratum ccc. ſtadiis in longitudine, in latitudine verò majori xxx. protenſum. Strintium piſcem ei peculiarem comedes, & lætiſſima littorum facie delectatos, ad *Plinianum* fontem pervenies; inde quaſi ad laci finem, & ad *Belaſii* Nobilium Sfondratorum Palatium. Illic Aquilone reluctante ſunt muri pinnati, pomiferæ arbores, vites topiario opere concameratæ, læta nalcentium Alpium juga, ſilvoſi montes, liberior cœli facies, benignæ naturæ munera, loca continuis umbris opaca, alia perennem ſplendorem Phœbeum ſemper videntia. *Larius* peramœnis mæandris ad Germaniam reflexis, duritiem hiemis ſuaviter frangit quibus æquatæ auræ, Sirium in cœlo ardere non ſentirur, & damnatos menſes temperie mitigatos eſſe dicitur. Interiora conclavia Palatii, veſtibula, porticus, & tota fabrica digna eſt Principe hero, & uti aureæ quietis beata ſedes, ad ſummum apicem florentis elegantiæ pervenit.

Inter agrum Comenſem & Bergomatem, & extra *Portam novam* appaiet *Modœtia* oppidum fama celebre; decem millia paſſuum Mediolano diſtans, quod *Lamber.* dividit, & *Agilulphi* Longobardorum Regis opere exſtat inſigne, Regina *Theodolina* ejus conjuge ibi S Joannis Baptiſtæ templum erigente, maximis locupletatum divitiis eximiiſque muneribus mirum

in

in modum auctum. Infiniti valoris ſapphirus unus in eo conſervatur, & ornamentum majoris altaris, quod eſt aureum, margaritis ac lapidibus pretioſis admirabile, Sanctorumque Reliquiis à D. Gregorio elargitis locupletatum.

Fruuntur Modoëtienſes corona ferrea, qua Imperatores Mediolani coronantur pro Regno Italiæ, quamque Otho II. Imp. Modoëtiæ reliquit. Aurea quippe eſt, ſed ob ferream laminam illam ſecantem *ferrea* dicitur, quam eſſe multi aſſerunt alterum ex clavis, quibus pependit in cruce mundi Salvator. Hinc ad montana pergens, *Somaſcha* pagum amœno ſitu invenies, & illuſtrem exordio Patrum Clericorum Regularium, qui à loci nomine *Somaſchi* nuncupantur, quique Eccleſiæ Dei multimodè inſervientes, certam ſuam faciunt vocationem.

Leucus fortalitium Ducis Mediolani ſupra milliaribus tribus, in ora laci *Larii* ſit cunctis obviam, & inde naviculâ *Comum* pergimus, & pedeſtri itinere ad Rheticos ubi etiam ad ima fluit *Abdua* flumen.

Ad lævam Modoëtiæ eminent colles *Briantini*, in quibus Trojâ oriundus *Briantius* urbem quondam poſuit, nunc ſolo æquatam, cujus agri vina optima pariunt, & amœni exculique coluntur.

Ad dexteram partem, itineris ſpatio paſſuum trium millium, coluntur agri quidam dicti *Bicocca*, in quibus *Franciſcus Sfortia* Dux de *Lautrecco* Gallorum Duce invictè ſuperato, gloriosè triumphavit, quo in prælio multa hominum millia deſiderata fuerunt. Et paulatim dextrorſum incedentes ad navile, quod ex *Abdua* prope *Vaprium* exit, & Mediolanum currit, & Vaprium & Abduam pervenimus.

Unde homines ducantur extra portas *Orientalem Toſam*que egreſſi, jam ſatis dictum fuit.

Habet Mediolanum verſus cadentem ſolem portam *Vercellenſem*, ex qua egreſſus, *Rhò* pagum non ignobilem reperies, & ibi imaginē *Mariæ* genitricis Dei gratiis in homines propenſæ; & hinc ad navile

dedu-

deduceris ex *Ticino* ad urbem dilabens: quo transmeato *Bufalora aut Biagraſſa* flumen, & ipſum *Ticinum* prætergredieris: ubi ſi ad dexteram flectes, viſis pleriſque pagis & caſtris, occurrit tibi lacus major, quo in loco incipit effluere *Ticinus* amnis Papiam verſus, & ibi retinet *Angleriam*, unde olim *DD. Angleriæ* dicebantur, magna juriſdictione & principatu conſpicui, qui nunc *Vicecomites* appellantur.

Non multum abeſt à prima ora laci templum *Sarone* Dei Matri dicatum, miraculis nobili, & ad pietatem excitandam aptiſſimum, Mediolano in montibus paſſuum XVII. millia diſtans.

Ticino tranſmeato cum incedimus ad lævam, itinere viginti millium, ſita eſt civitas *Viglebii*, nova, parva, & cœli temperie ditata. Hic eſt laxandi animi gratia locus aptus Principibus Mediolani, qui venatione maxima recreari poſſunt in villa *Sfortiaca*, à Fratribus Dominicanis Ludovici Sfortiæ Ducis liberalitate poſſeſſa, de qua ipſe vivens legi voluit in Palatio ibi magnificè extructo:

Vilis Glega fui, nunc ſum ditiſſima tellus.
Cur? Quia Sfortiadum me pia dextra colit.
Mutata eſt facies, mutataque nomina. Vilis
Dicebar, dicor nunc ego Sfortiaca.
Litavicus agros tulit hos, nec pœnitet eſſe:
Auctorem paucis convenit agricolam.

Hinc ſi ad partem dexteram gradieris, *Novariam* invenies, & *Laumellinam* regionem, ſi vero ad lævam, *Mortarium*, ab antiquis *Silvam bellam* nuncupatum. Mortarium inde vocitatum eſt, cum Carolus Magnus eo in loco regem Longobardorum Deſiderium expugnaverit, & omnino fugaverit, multis occiſis & perditis. Contermini huic apparent *Papienſes* & *Pedemontani* agri.

Portam iſtam ad Occidentem. *Vercellarum* dici ſcripſimus: ad eam nempe civitatem perducit requaſi itinere, longo quidem, at plano ſemper ſolo cal-

calcato, inde ad reliqua loca Pedemontanę regionis.

Superius ſtat *Vareſium* caſtrum nobile & in eminentiori colle poſt IV. milliaria intineris locus eſt *Varalli*, ubi plaſtice ſepulchrum Domini noſtri, & alia noſtræ ſalutis myſteria videntur, ſumma veneratione digna, & à multis indies frequentata; ibique propè *Luganum* & lacus alter ſuas habet aquas, deinde *Rhetum* montes & loca.

ITER MEDIOLANO TICINUM.

Schott.

RELICTO tandem Mediolano *Ticinum* proficiſcere: ſed ex itinere non nihil deflecte, Carthuſianorum Cœnobii ampliſſimi, quod utrique huic urbi interjacet, viſendi cauſſa. Cujus templum ex vario pretioſoque marmore à fundamentis excitatum, hiſtoriarum ſculpturis ac ſtatuis artificioſis exornatum, à fronte ingredientibus religionem incutit, & introgreſſos majeſtate quadam auguſta ſuſpenſos tenet, dum offeruntur oculis tot picturæ, altaria, & Sacraria, auro argentoque ditiſſima; æditulæ marmoreæ, monumentis pulcherrimis decoratæ. Condidit Templum ac Cœnobium *Joannes Galeacius* Vicecomes, primus Inſubrium Dux, atque locupletiſſimè dotavit. Cujus in æde ſacra ſumptuoſiſſimum ex marmore ſepulchrum, cum ſtatua ac imagine ad vivum facta viſitur. Adjunctum in tabula marmorea litteris inauratis, rerum ab ipſo geſtarum elogium præclarum, ac lectu valdè dignum. Videbis per Sacraria & ædiculas, pretioſa, & rara Principum donaria. Divum Reliquias, atque pulcherrima quæque templi ornamenta, Perluſtrabis ſumptuoſiſſima ipſius Monaſterii ædificia, porticus milliarias. Sacerdotum habitacula cum hortis, pomaria, lucos, Noſocomium apparatiſſimum, ceteraque omnia viſu digna.

Sacras has ædes egreſſo apparebunt tibi mox in itinere

nere vivarii capaciſſimi ſepta, murus lateritius, ſed magna ex parte nunc dirutus & dejectus, qui millia paſſuum viginti in quadrum circumductus concludit arva, ſilvas, & prata feris nutriendis deſtinata: in quibus olim apri, cervi, damæ, capreoli, lepores, & id genus animalia ad venatum continebantur. Auctor ejus operis idem *Joan. Galeacius* Dux fuit, qui Cœnobium condidit. In iiſdem ſeptis caſtra ſua metatus erat Franciſcus I Galliarum Rex, Ticinum obſidione premens, cum à Caroli V Imp. Ducibus Lanojo & Borbonio, victus prælio, caperetur cum Rege Navarræ, & præcipuis Galliarum Principibus, anno poſt Chriſtum natum M.D.XXV.

TICINUM vulgo PAPIA.

TICINUM condidiſſe *Levos* & *Marios* Ligures, ad amnem ejuſdem nominis non procul à Pado, Plinius auctor eſt. Alii à *Galli, Boiis* ac *Cenomannis* conditum volunt, quos Eutropius & Paulus Diaconus ſequi videntur. Urbs illa, Romano ſuccumbente Imperio, primum ab *Hunnis* Attila Duce, mox ab *Odovacre* Herulorum Rege vi expugnata direpta, & muris complanatis incenſa fuit. Poſteà *Longobardi* eam tenuere, ac ſedem Regni fecere, multiſque præclaris ædificiis excoluere, quorum Paulus Diaconus meminit. Fuit ex iis *D. Claræ* Monaſterium à *Peterito* conditum; à *Theodolindæ* Regina, *D. Mariæ Perticalis* ædes; à *Luitprando* Rege, *D. Petri*, cœli aurei cœnobium, in quo *D. Auguſtini* corpus, ab eodem Rege è Sardinia deportatum, albiſſimo & marmoreo ſepulchro ſervatur; ut alia præteream nobilia ædificia, quæ breviter commemorari non poſſent.

Hic caſtrum *Galeacii* primi Ducis videbis, & ſtatuam celebrem ac pervetuſtam Equeſtrem ex ære; quam *Antonini Pii* quidam eſſe colligunt ex vultus lineamentis, ac barbæ forma, dictam *Regiſolo*.

Capug.

Qui Longobardorum ſceptra tenuerunt in Italia.

XXII.


TICI

SCIENT. ET ART. LUGD

XXII. numero fuere, annis duobus supra ducentum regnantes, à quibus magna Nobilitatis incrementa suscepit hæc civitas, quæ Regia fuit, & Provinciarum domina. Numerosus populus est Papiensis, ad armorum & litterarum exercitia promptus. Hujus civitatis alumnus fuit *Joannes XVIII.* Papa, thesaurusque *Beccaria* Martyr, & gestorum stemmatibus nulli cedit urbium Provinciæ. Multa visu digna spectantur in ea Palatia, turris maximè, in qua *Boëtius* ille magnus ex humanis obiit. *Papia* dicitur à *Papa* dictione admirantis, cum sua rerum copia, & optimo agro in stuporem quemquam voces. Nullus habetur situs pulchrior Papiensi, cum parum distet à montibus Appennini, & usque ad amnem *Ticinum* declivis paulatim existat. Insidet cuiberrimis & crystallinis aquis fluvii ex lacu majori ad Padum currentis. Trajiciuntur ponte lapideo prope urbem inter alios Italiæ magnificentissimè posito à *Galeatio* Vicecomite Duce. Hac in urbe est Academia quæ à Carolo Magno non diu post Parisiensem erecta esse creditur. Is enim Imperator, ad conservandam propagandamque veram doctrinam Christianæ Religionis, quosdam sapientiam profitentes Ticinum misit, ut illam ibi in animos hominum infunderet. Omnium scientiarum Doctores Regio munere amplectitur, stipendio numeroso dignos facit. munificentia sua florida ingenia ad se exornandam trahit. *Jason* celeberrimus Jurisconsultorum multos annos in ea professus est. *Baldus* eorum Antesignanus hic postremam suam doctrinam effudit, moritur denique, & in Conventu Minorum sepelitur: unde *Felix* Academia dicitur, & magna aëris puritate excitat. ad sapientiam ingenia, & acumine quodam vigere facit. Sacram verò philosophiam de vero Deo primus Ticini professus est *Syrus Aquilejensis* eo tempore quo *D. Petrus* eam Romæ docebat, quam hactenus fideliter retinuit. Propterea decretum fuit, ut jam non à flumine amplius *Ticinum*, sed *Papia* vocaretur, quasi

pio-

piorum patrium dicas, sive *piam*, & veræ religionis patriam sedem. Episcopos inter Sanctos relatos habet, quos tamquam propios & speciales Apostolicæ Sedis amaverunt summorum Pontificum Cōstituta. In rerum suarum potestate Papia Sedem Apostolicam non solum in Ecclesiasticis, sed in sæcularibus negotiis publicè administrantis quàm plurimum venerata est, adigens præcisè suos Prætores ac Magistratus in ingressu officii sui, ad jurandum hisce verbis:

Ego potestas, vel Consul Justitiæ Papiæ, &c. Ad honorem Dei & Virginis Mariæ, ad honorem & reverentiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sereniss: D. Ludovici Romanorum Regis, & civitatis Papiæ bonum statum, juro ad sancta Dei Evangelia, corporaliter tactis Scripturis, quòd fuit & ero fidelis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Roman. Imp. Quam juramenti formam præstitisse illos comperio, longa temporum serie.

Carolus Magnus in Galliam profecturus, Gentis *Languescæ* viros virtute conspicuos, Papienses Patricios, sub Imperiali Vicariatus titulo civitati præfecit. Hunc ferè morem subsecuti Cæsares, vel Romanorum Reges, pari ordine observarunt. *Fridericus Ænobarbus* Papiensibus ius & potestatem tribuit suo arbitrio elegendi Consules, qui populo Jus dicerent: in qua quidem potestate constituta Papia civitas, suo nomine tantùm, & non tamquam Provincia alterius urbis, intervenit in fœdere posteà facto inter Lombardię populos & Fredericum Imperatorem. Sub hac & Imperii potestate perseveravit Papia annis fermè c. LXXX quibus tranactis, *Galeacius* Vicecomes, Imperii Vicarius, adscitus Comes Papiæ à Papiensibus fuit, cujus civitatis dominium Comitatus nomine ipse, ac posteri Vicecomites, & Sfortiatæ Principes habuerunt. Diverso ac separato titulo & jure illis applicata fuit, ad indicandum, talem dignitatem minimè contineri sub Ducatu Mediolani, sed Ticino inesse suo proprio ac peculiari jure, tanquam Rom. Imp.

Imp. Comiti, id est inferiori *Sociæ*. Nunc diu possessa à Philippo II. Rege Catholico, Philippo III. libentissimè subest. Nulla est ferè civitas in Circumpadanis regionibus aptior, ad rerum novitatem tumultusque compescendos quàm Papia agerque Papiensis, dividens suo situ ac amplitudine fluviorumque interpositione, Mediolanenses, Novarienses, & alios populos Insubres à Placentinis, Bobiensibus, maritimis ac montanis Liguribus, & à Genuensibus, Dertonensibus, Alexandrinis, Casalensibus; ita ut inter se conspirare, viresque suas conjungere populi illi suo arbitratu nequeant, Papiâ oppositâ, ac naturæ situ intermediatâ. Et (quod summum est) *Ticino* & *Pado* fluminibus aptissime dominante, fatalis civitas, porta & clavis Lombardiæ vocatur, quoniam ipsa aditum Duci & exercitui præbere citra & ultra Ladum & Ticinum facilè potest. E contrario quoque, ipsa civitate præsidio firmata, & reluctante, impedire aditum invadere volentibus, ac transitu prohibere hostiles acies, ex rerum suarum opportunitate Papia potest.

Ticinum amnem navigantes *Placentiam* vel *Cremonam* perveniunt, & pedestri itinere ad dexteram partem declinantes, *Viqueria* illustre oppidum invenitur, Pado prius transmeato, & viarum pessimæ *Pancaranæ* superatis angustiis. Ultra *Viqueriam Dertona*, *Alexandria*, *Monsferratus*, & *Pedemontes* suos habet fines.

ITER MEDIOLANO.

VIA ÆMILIA BONONIAM, FLORENTIAM, ET ROMAM.

Caput.

ITER aggressurus, Mediolano portam quæ *Romana* dicitur egredieris, & *Laudam* ad Meridiem perges, habens ad dexteram partem arva Mediolanensia, in quibus est *Claravallis* cœnobium visu dignum,

redditibus, ædificiis, & dolio quotquot sunt in orbe terrarum amplissimo. *Manfredus Archintius* Abbatiæ illi spatiosa & lata arva donavit, inter quæ vinea *Filastrelli* spatiosa fuit, quæ alias *Vinea pauperum* vocitabatur, cum vinum ex ea collectum pauperibus totum gratis elargiretur, & in hoc uno dolio asservaretur. Continet vini mensuras sexcentum, quæ à Lõgobardis *Brentæ* dicuntur. tignis quattuor magnis cinctum & totidem triangulis in capite, aliisve orbiculatis trabibus; & cùm siccum obinaneque diu fuerit ac existat, Principes, Reges, & Imperator Carolus V. illud ingredi minimè dedignati sunt.

Hac via incedentes in eamet parte agri sunt Papienses, *Landrianum* pagus, & in ipsa offendes *Marignanum*, seu potius *Melignanum*, à Lauda decem millibus passuum distans, oppidum amplum & magnificum, quod amnis *Lamber* alluit, aëre salubri, & arvis ubertate refertis; ad quod antequam pervenias, ad lævam perlustra locum, in quo Franciscus I. Gallorum Rex Helvetiorum stravit millia XVI. quibus occisis, Maximilianus Sfortia Dux Principatum & libertatem perdidit.

Sex vero illinc milliaribus situm est *S. Angeli* castrum nobile, à *Lambro* madidum, ubi quolibet Mercurii die emporium habetur frequentatum; hinc ad tria milliaria, ubi prisca fuit Lauda, videtur. At lævam regiæ viæ loca sunt aquis *Abduæ* irrigata, *Cremæ* civitas ac territorium, & quæ Brixiâ Mediolanum proficiscendo vidimus, planis greſſibus hoc solum proteres, Pomonæ, Cereri, & Baccho chariſſimum, & benè cultum, & *Laudam* admiraberis.

LAUDA.

Caput.

HUJUSCE urbis prima fundamenta jacta fuerunt tempore *Frederici Barbarussæ*, qui suis omnibus cum Primatibus, dum construeretur, adfuit, atque civibus non exiguas gratias est impertitus & privilegia,

legia. Quamobrem nulli subjecti Laudenses vixerunt, ac postea *Vestarinis* concivibus suis se subjecerunt, ac demum ditioni Mediolanensi. Hæc nova est urbs, licet tria millia passuum procul urbs antiqua maneret, tempore *Bellovesi* à *Lauso* Nobili Gallo ædificata, ex quo *Lauda* nuncupatum. Deinceps *Lauda Pompeia* vocitata fuit Pompejus enim Magni Pompeji pater eam instauravit, cujus propter, quæ adhuc viget, eodem nomine fuit appellata. Hanc inter urbes Conradus II. Imp. cooptavit precibus *Eriberti* Mediolani Præsulis. Utque cognoscas, nos Italos erga nostrates immanissimos fore hostes, scies, totam hanc civitatem eversam; populum à Mediolanensibus expulsum fuisse. Et ne de cetero in unum Laudenses coirent adipsam restaurandam, eos in villis ab invicem disjunctos habitare jusserunt; mercaturam exercere, coëmere, affinitates contrahere omnino vetitos; & ex finibus cuilibet assignatis nemini exire dabatur absque gravi mulctatione. Hac barbarica lege oppressi Laudenses lustris decem, anno uno demptо, vixerunt. Hinc Deus judex justus, Mediolanenses ipsos gravissimè afflixit direptionibus, incendiis, & crudelitatibus *Friderici* Imp. aliorumque Principum. Præclara in ea videntur ædificia, amœno fieret agro, atque omnium rerum ubertate quibus homines indigent. Arva prataque latissimè patent, frumentis & pabulis æquè, ac quivis Italiæ locus, abundat: limpidissimis etenim & frigidis irrigantur aquis, divortiis, quæ admodum inter se sunt frequentia, ut tum admirationi tum incremento sint. Quapropter quinquies etiam quibusdam in locis secantur herbæ. Majorem opinione armentorum numerum pascit, unde maxima casei copia conficitur. Met lactes ea magnitudine sunt, ut quingentas exiguas libras one re præstent. Insuper optimis carnibus exuberat, maximeque gustum alliciunt vitellorum linguæ, quæ sale condiuntur, & pulcherrimè dono dantur. Optimos pisces ex fluviis rivisque expiscantur, & præ

ceteris Cisalpinæ Galliæ locis præstantissimis muræ-nis abundat. Duodecim millia personarum alit. Præclaris est cohonestata familiis, quas inter *Vestari-na* domus; quæ Laudæ domina fuit, excellit. Hinc bona indole tum ad litteras, cùm ad arma paratissi-mi nati fuerunt. Duo passuum millia & ultra muro-rum ambitus patet; in planicie, forma quidem orbi-culari, sita est. Una ferè cum Mediolano *S. Barnaba* cohortationibus Christianam fidem complectitur. Præsulem habuit *S. Bassum*, cui ab Episcopis & civi-tate fuit oblatus thesaurus, vestes nimirum Sacer-dotales auro gemmisque intertextæ, calices, cruces, acerræ, ac pretiosa alia vasa multa, & decora arte cælata: munera quidem singularia, & admodum di-gna, ut qua suis Italiæ sacras ædes exornare possent. Non est silentio prætereundum templum, quod *In-coronatæ* nuncupatur, sphaericâ formâ, & multis opi-bus refertum, quo maximus fit conventus: Deipara enim Virgo in eo multos votorum compotes facit. Laudæ vasa præstantissima finguntur, & ferè Faven-tinis conferenda. Alluitur ab *Abdua* flumine, quod per pontē longum ex lignis fabrefactum transmit-titur. Urbs non paucis commodis affluens fœcundè colitur. Aër salubris maxima temperie viget, & dulces & leves obstrepunt aquæ, multarum segetum ferax est humus. Et vicissitudine Mediolanensis di-tionis, damna frequenter est perpessa, at nihilominus eò redacta est, ut multis de caussis illustris habea-tur, & Catholici Regis pareat voluntati.

Si ad loca Orientem versus ac Meridiem flectes, erunt *Cremonenses* agri, & civitas ipsa *Cremonæ*, quam quidem unà cum *Mantua* & *Bononiam* usque ad *Fer-rariam* deducere curabimus, & inde Romam viato-rem *Flaminia*, *Picena*, & *Hetrusca* via perducemus. At si recto itinere, & quasi ad Meridiem incedes, milliaribus sex peractis, Abbatia *Burghetti* reperie-tur, divitiis onusta, & à PP. Olivetanis custodita. Ulterius procedendo aliis passuum sex millibus, in mon-

SCIENT
ET
LUGD

Fol. 149. 149

PIACENZA.

montem ascendes *D. Columbano* dicatum, fructum & vini inter delicatoria delicatissimi feracem. Ad viam primariam reversus, læva parte est *Somalia* pagus. Offendes & Abbatiam *Hospitalem*, in qua ubertate magna, & numero Deo famulantur Regulares D. Hieronymi. Eodem itinere occurrit *Zorlescus* vicus, & *Casalis Pusterlengus* à *Pusterlis* Nobilibus Mediolani positus. Padus denique trajicitur cymba & mille passibus solo trito, Placentiæ eris.

PLACENTIA.

Schott.

URBS est situ amœnissima, pulcherrimaque ædificiis semper fuit, uti plures inde nominatam; à *Placendo*, *Placentiam* autument. Posita est etenim juxta *Padum* loco perjucundo, campis & agris collibusque cincta fertilissimis, vino, oleo, frumento, fructuumque omnis generis optimorum copia abundantibus, Plana pratis & pascuis fœcundissimis beatur, manufactis vicinorum fluminum ductibus irrigua, ex quibus pecuniariæ rei summa opportunitas; & quæstus ubertimus urbi est. Cui ideirco famam non ignobilem ubique terrarum casei, ibidem confecti præstantia parit, qui tanta copia, & tam bonæ saporis hinc exportatur, ut qui summum commendationis gradum caseo quærunt. *Placentinum* esse dicant. Habet idem ager salsos fontes, ex quorum liquore sal coquitur candidissimus. Habet ferri fodinas, nec desunt silvæ saltusque venationibus apti. Igitur ob tantam situs commoditatem, rerumque omnium abundantiam, urbs assiduè nobilibus civium familiis multis excolitur, & mercatibus frequēs est. *Placentiam* primùm à Romanis deducta colonia est, ingruentibus in Italiam cum Annibale Pœnis, anno post R. C. C. XXXVI. in agro à Gallis apto, ut Livius auctor est. Deduxere III. viri simul cum Cremona. & Latinas ambas fecere, quibus utraque Padi ripa adversus Gallos & Transalpinos muniretur.

retur. Frequens huius coloniæ mentio apud Livium est, & alios veteres Historicos, ut stante Imperio Romano, plurimum floruisse haud dubiè constet. Bellis civilibus tamen infelicior quam externis, ut bello Viteliano contra Othonem, teste Tacito: cum in oppugnatione acerrima pulcherrimum *Amphitheatri* opus extra oppidum conflagraverit.

Fons in urbe vetustus & præclarus, ab Augusto Cæsare nomen adhuc habens, spectari meretur. Muri novi sunt, propugnacula amplissima, & munitiones insignes, quibus nunc urbs hæc inter Italiæ tutissimas habetur, quæ prius variis bellis afflicta, vi sæpius expugnata, incensa, ac direpta, plurimis annis fœdè vastata jacuerat.

Caput.

Sive à *Placet ille Troe*, urbis secundum aliquos ædificatore, sive amœna situatione *Placentia* dicatur, inter Italiæ civitates præclara habetur, annis quingentis ante constructam Romam ædificata. Cum à Romanis colonia deducta fuit, sex millia hominum in ea ponuntur, quorum multi erant Equestri dignitate præditi. Hac igitur causa Reipublicæ fuit auxilio; unde à Carthaginensibus funditus evertitur, vix duobus civium millibus superstitibus; quo damno Silius canere potuit.

.... *Quassata Placentia bello.*

Quanta gaudeat cœlis amœnitate Placentia, testis est Plinius, qui memoriæ prodidit, quod, cum sua ætate Italorum hominum census haberetur, in ea quidam c. xx. annorum repertus est, & in illius agris sex qui centum & decem, quattuor qui centum & viginti, & unus qui centum & quadraginta annos expleverant, vivebant. Alluitur *Trebbia* & *Pado* fluminibus. In ea dominati sunt, postquam suam libertatem perdidit, *Scoti, Turriani, Landi, Mediolani Duces, Franci, Romana Eccl.* & *Farnesii*; quorum obsequio vivit. Ibi præstantissimum extat ædificium *D. Mariæ* Dominæ nostræ dedicatum, quod vulgo *in*

Com-

Campagna dicitur. *S. Antonini* Martyris templum, *S. Joannis* Ecclesia augusta, & Cœnobium à Prædicatoribus habitatum. Extolluntur sacræ ædes, & Monasterium *S. Sixti*; & admirandum, & in Italia vere unicum *S. Augustini*, quo Canonici Regulares utuntur. Munitur arce probè constructa, & rectè locata, ut cuivis ex Italis conferri possit, quam *Petrus Aloysius Farnesius* posuit. Ambit civitas unà cum fossis passuum quinque millia & quattuor, illis non demensis. Laicorum Placentiæ sunt XXVI. millia, & Religiosorum duo millia. Familias habet illustres & magni nominis, ut sunt *Scota*, *Landa*, *Angustiola*, Principatu gaudentes, ac oppidorum imperio prepotentes, & multos claros bello, litteris ingeniosos, & regimine prudentes. Hinc orti sunt *Gregorius* X, Pontif. Max. qui Aretii sepultus miraculis fulget, *Tinca* Orator, & *Murrenus* Cæsaris Augusti socer.

Placentia si inter Aquilonem & Occasum discesseris, flumen *Trebiam* offendis, ubi tot Romanorum à Carthaginensibus duce Hannibale cæsi fuerunt. Verùm anteà in *S. Antonii* Templum incides, ubi cernitur illud celebre miraculum, quo ipse proprio igne milites combussit, qui parum sui nominis rationem habebant.

Inde *Stradellam*, *castrum S. Joannis* pagos, & *Viqueriam* nobile oppidum reperies; à læva Appennini colles prospicies, in quibus quasi abscondita jacet *Bobium* civitas, Placentia distans milliaribus XXX. quo in loco *Theodolinda* Longobardorum Regina amplum Monasterium ædificiis & redditibus fundavit *D. Columbani* precibus, quod triginta duobus Monachis sedes fut sanctitatis, & ut cœlum ascenderent.

Placentiæ incipit *Æmilia via*, ab *Æmilio* Cos. strata, quæ *Ariminium* usque perducit, & Meridiem versus. A dextra tum montes tum arva spectabis, quousque *Genuam* pervenias, montano itinere, ac difficili. Quæ loca, etsi oppidis, pagis, & villis ornata appareant, nihil attamen dignum quod videatur

præbent, niſi *Cortem majorem* oppidum illuſtre Palavicinorum. *Arquates* optimi vini ferax tibi occurrit. Verùm à ſiniſtris Æmilia xx. millibus paſſuum procul *Cremona* ſita eſt, & excultæ plurimæ terræ; immò Placentia Cremonam navigato *Pado* accedes. Duodecim millibus paſſuum altius in eadem via *Florentiolam* eſſe videmus vicum non mediocrem, quem *Fidentiam* vel *Fidentiolam* antiqui dixerunt. Ex Livio, Plutarcho, & Appiano conſtat, à *L. Sulla* Dictatore eo ferè loci *C. Carbonem* prœlio extremo victum, cæſis ejus copiis Italia deturbatum. In eo Abbatia eſt quidem illuſtris, quam *Petrus Antonius Biragus* Abbas animo Regio, & ſanè magno, non ſecus ac Pomp. Magnus, qui Ægyptium Regem excepit. Franciſci I Gallorum Regis, Caroli V. Imp. & Pauli III. hoſpitio decoravit. Ulteriùs verò eſt *Burgus S. Donini* arce nova munitus, magna & opima planicie, ac jugis abundans, & nuper in civitatem erectus inſtante *Raynutio* Farneſio Duce. In mediterraneis à ſiniſtris videntur *Fontanellates*, *Soranea*, *S. Secundus*, oppida non ignobilia, & flumen *Padus*.

Poſtremo ad *Tarum* amnem pervenitur, multis alveis effluentem; quod ſi aquis auctus eſt, non tutò traijcitur. Hinc millia paſſuum quatuor *Parmam* interſunt, ſemper ad dexteram partem Appenninus eminet.

PARMA.

Schott.

URBS hæc ædificiis ſplendet cum primis opulentiaque floret. Principum enim ac illuſtrium familiarium Palatia ac manſiones habet multas, ac civium ditium multitudine plena eſt. Ager nimirum eſt circumquaque fœcundiſſimus ac amœniſſimus, omnium frugum & fructuum abundans: optimi vini, olei, lactis, & caſei copia terrarum ubique celebris. Itaque Parma non ſolum cum vicina Placentia, verum etiam cum ceteris Ciſalpinæ Galliæ præclaris

PA

claris urbibus certare ſuis opibus poteſt, nec inter eas præteriri, in quibus Dia fortuna rerum omnium copiæ cornu ſuum benigniter effundere videtur. Poſita quidem eſt in Æmiliæ viæ plano, quinis ab Appennino paſſuum millibus, flumineque irrigatur ejuſdem nominis, quod ſuburbia ad Occaſum vergentia ſeparat ab ipſa civitate. An verò flumini urbs nomen dederit, an ab eodem acceperit, obſcurum eſt. Non enim memini, antiquorum quempiam *Parmam* fluvium nominaſſe. Urbis quidem *Parmæ* apud Livium, Polybium, Tullium, alioſque claſſicos Auctores celebris ac crebra fit mentio. Quæ Romanorum facta colonia eſt M. Fulvio Nobiliore, Cn Manlio Voluſio Coſſ. anno poſt Romam conditam DLXIV. ſimul cum Mutina, florente Republ. poſt Urbē cond. anno DLXX. Q Fabio Labeone, M. Claudio Marcello Coſſ, deductis eo binis civium millibus in agro, cui proximè Bojorum, antè Tuſcorum fuerat. Jam tum appellatam fuiſſe Parmam ex Livio, Polybio, ceteriſque colligere eſt. An aliud nomen antea habuerit, nobis quidem non liquet. Qui *Chryſopolim* prius dictam volunt (Sicardus & Albertutius) neutiquam ſatisfaciunt: atque multo minus Annius ille Viterbinus, qui ex Aramea, neſcio qua lingua fictitia, etymo proſus frivolo *Parmam*, quaſi *Paramam*, id eſt haſtam, vel principatum coloniarum nominatam imaginatur. Itaque magis eorum opinioni accedo, quia ſcuti rotundi forma coloniam in plano poſitam, antiquitus *Parmam* nominatam volunt. Cujus vocis ſignificationem Varro ex vetuſta Gallica lingua prodidiſſe videtur, cum *Parmam* dici velit ſcutum, quo pedites utebantur, quia è medio in omnes partes par eſſet. A ſcuto igitur, vel parma nomen aptius urbi eſt, quæ colonos ac cives ſemper habuit nobiles, Martios, ac animoſos, ingenioque ad litterarum ſtudia & ad Reip. gubernationem non ſolum, ſed etiam ad rem militarem aptiſſimo.

Laug.

In plano sita est, quamobrem præ ceteris fœcundis ovibus abundat, lanis; pilis onustis, unde meritò dicere potuit Martialis:

Tondet & innumeros Gallica Parma greges.

Et alibi cecinit:

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis, Altinum tertia laudat ovis.

Aër in ea purus est & summa temperie, idcircò Vespasiani tempore duos homines tres & viginti ultra centum vixisse annos legimus qua etiam in civitate juxta pontem fluminis admiratur campana, cujus magnitudo omnes in sui admirationem trahit, cujusque fabulæ à Parmensibus tibi enarrabuntur. Hic *Farnesium* novum & Regium videtur Palatium, habens hortum aut viridarium aquis ubertimis & arboribus ingeniosa manu consitum.

Civitas hæc, ut quam plurimæ aliæ, in Romanorum potestate fuit, ac posteà libertatem obtinuit: quam Fridericus Barbarussa Imper. spe victoriæ consequendæ ductus, duos annos obsedit, eamque prosternere pro viribus elaboravit, civitatem constituendo *Victoriam* appellatam, longitudine cubitorum septem millium & ducentorum, latitudine verò duorum millium bisque ducentorum, portis octobenè munitis. Ceterùm à Parmensibus prostratus, Victoria civitas funditus eversa interit. Templum in civitate præstans pulcherrimumquè conspicitur, in quo Sacerdotes quamplurimi Sacra Deo persolvunt. Præstantissima nec non est ædes *S. Ioannis* ubi Benedictini Patres degunt Ecclesia quia etiam *Steccata*, præcellenti quodam ordine, architectura, ac figurarum venustate insignis, omnium oculos in se convertit. Nullum quippe templum Parmæ videtur, quod profectò memorandum *Parmensis*, *Parmensinus*, *Corrigius*, & alii qui in his artibus floruere, tum præstantissimi pictores tum laudatissimi plastæ, cunctis non reddiderint. Prætereundum non est, multis fa-

familiis Parmam decorari, in quibus nobiliſſimæ ſunt *Pallavicina*, *Taurella*, *Rebea*, *Giberta*, an *Sanvitalia*, & perilluſtres ac ornatiſſimæ quovis tempore fuerunt ex quibus fortiſſimi Duces, ac omni genere virtutum & nobilitatis cumulatiſſimi homines ſæculis omnibus emanarent, qui ſe ac ſuos ſtemmatibus & gloria decorarunt. Horum liceat modò recenſere *Caſſium* Poëtam, & *Macrobium* Scriptores antiquos, quos nobiliſſimam Parmam edidiſſe, certum eſt. Silentio obvolvam alios virtute ſingulari ornatos. Et ne longùm ſermonem protraham, pro coronide erit, Sereniſſimos Principes *Farneſios* in ea reſidere, qui urbem inſignem reddiderunt ac reddunt nobili ſua majeſtate, quamque lectiſſimarum artium monumentis decoratam multò florentiorem doctiſſimorum virorum Academia facit, publicumque Gymnaſium nuper à Duce ſuo *Raynutio* erectum. Caveas omnino, viator, ne Parmæ ſis incurioſus, quin ad ſacras ædes Capucinorum accedas, in quibus *Alexander Farneſius* Dux, Italorum Achilles, & *Maria Luſitana* ejus piiſſima conjux, ultimam cœleſtis nuntii tubam exſpectant; & dum lapis marmoreus litteris ſculptus, ubi ingredientes aquâ luſtrantur benedicta, eos tibi indicaverit, dices:

Felices animæ, quorum tenet æthera virtus
Sidere nobilior.

Extra Parmam in ea parte, qua Aquilo & Oriens vehementiſſimè afflant, *Colurnus* civile oppidum, & alia loca memoranda ſitu reperiuntur. Quà verò ad Meridiem, & ad montes eminentiam, duodecies prius amne *Taro* prætergreſſo, & milliaribus triginta-quinque confectis, perluſtrabis *Burgum*, oppidum non indignum viſu, Parmæ Principis ditionis. Eſt Burgus oppidum valdè munitum, à Duce Parmenſi olim in ripa *Tari* ædificatum, trecentis familiis habitatum, & multis ad litteras, arma, & mercaturam propenſe ornatum. Ad victum neceſſariis nequaquam indiget, immò caſtanearum habet tellurem

feraciſſimam, cum aliquando modiorum centum millia, & ad minus quinquaginta millia producat. Ambitus à montibus Appennini, collibuſque cingitur ut cumque amœnis. Jus dicitur in eo XXIII. locis. Si ad Meridiem tendis, ſunt Hetruriæ confinia in ea parte, quæ *Lunigiana* vocatur. Ambiunt Burgum *Pontremolus* terra, quæ inter civitates coaptari debet. Non longè niſi milliaribus duodecim, arx inexpugnabilis: Vallis *Mozellæ*, *Bardus*, & *Comtianus* pagus, apud quem ſua tenet principia *Tarus*, à Burgo milliaribus tribus diſtans. Calcando juga Appennini paſſuum millibus XLV. *Placentiam* ibis; & ſi Mediolano Lucam, vel Parma, Venetiis, & aliis civitatibus multis Genuam proficiſceris, Burgum inviſere neceſſarium eſt, deinde *Vareſium*, *Sigeſtrum*, tandemque *Genuam* ipſam, & mare.

Parmam denuo reverſus *Æmiliam* tenendo, verſus Meridiem quaſi ad radices Appennini ſurgit *Mons Ciruculus*, quem tenet *Pomponius Taurellus*, ſanguine, doctrina, & prudentia magnus. Ulterius in planicie eſt *Monticulus* oppidum, *S. Hilarius*, & flumen *Leutia*: quo prætergreſſo per Pontem ex lapidibus coctis, longum quidem, à Comitiſſa *Mathildæ* maximis ſumptibus conſtructum, quinque paſſuum millibus confectis, & aliis decem adiunctis, *Regium* inviſes.

REGIUM LEPIDI.

Sebott.

URBS populo frequens eſt, omnibuſque rebus affluens, agro ubere fœcundiſſimoque cincta. Antiquitate certat cum aliis vicinis urbibus. Æmiliæ viæ item impoſita, Romanorum eſt colonia, cujus celebrem M. Tullius, Strabo, Corn. Tacitus, aliique veteres mentionem fecere. Sed quando primum, vel quorum auſpiciis deducta ſit, non planè liquet. Quia tamen *Regium Lepidi* ab initio ſemper nũcupatum fuit, plures opinantur à *M. Lepido*, qui *Æmi-*

liam,

liam viam anno ab U. C. D.LXVI I. ſtraverat, vel conditam, vel deductam paulò poſt fuiſſe.

Regio urbi ſummam perniciem attulerunt Gothi, quam cives deſerere coacti ſunt; quorum tempore, & Longobardorum, civitas hæc uſque ad Imperium Caroli Magni qui eam muris vallari & muniri fecit, conſternata, & pænè everſa fuit, ibi tunc quando vicinæ aliæ Urbes fortunam adverſam perpeſſæ ſunt, tum Barbaris tum Italis diffidentibus omnia perturbantibus. Libertate ſua uſa eſt maxima cum voluptate, & quia ſub multorum dominatu damna non exigua pertulit antiquo nobilitatis *Eſtenſis* imperio ſe ſubjecit Urbs non magna eſt in campeſtri, forma orbiculari ſita, à Meridie colles propè Appennini, ex alteris vero lateribus planiciem retinet, quæ quidquid eſt opus victui, optimè generat. Aërem non ſatis optimum habet.

Hic exquiſitæ artis ex oſſibus ſunt opera elaborata, & calcaria egregia. Præclaris viis, jucunditate & ædificio probatur. Dignum quod videatur extat Templum, *S. Proſpero* dicatum, cujus corpus ſummè in eo veneratur, quemque ſuum Antiſtitem agnoſcit. Sacra iſta ædes opulenta eſt; & cohoneſtata pulcherrimis multorum picturis; præcipuè verò *Corrigii*, quæ dignæ memoratu cenſentur. Colenda eſt etiam *Regii* Deiparæ Virginis imago, noviter in Templo Patrum Servorum viſa, quæ multos juvat, qui eo profugiunt; & quidem ſuccurrit Nobilibus familiis, *Canoſſis* nimirum, *Manfredis*, *Folianis*, *Seſſis*, quæ veræ juriſdictionis inſignia tenent, multiſque terris & pagis imperant Colles qui Regio imminēt, quàmpluribus oppidis, frequentibus domiciliis florent; vina exquiſita, fructuſque edunt. At Parmam magis verſus eſt oppidum *Canoſſa* è vivo lapide ædificatum, cujus ſitus admodum eſt amœnus, ut oblectatione animos perfundat. Subſiſtit vicus ab *Actio* II. Ateſtino factus anno D.CCCC. XXXI. Hic in memoriam redigas, quanta virtute Pontificalis dignitas polle-

polleat: etenim hic *Henricus* Imp. Regio cultu omnino depoſito, & nudis pedibus, licet nive omnia algerent tres dies æquo animo commoratus eſt, ut in gratiam reciperetur, & veniam mereretur à *Gregorio* Pontif. Maximo, hujus nominis Septimo. Cui comes *Mathildæ* opem ſuam præſtabat, quæ oppidi imperio potiebatur, in quo nunc, ut in aliis caſtellis, dominatur nobiliſſima *Canoſſæ* familia.

Eo ſpatii tractu ſtant pagi & oppida à *Manphredis* Nobilibus poſſeſſa, maximè à Ludovico Comite, & illuſtri viro. Si ad montes iter convertas *Graſin ana* montana tibi occurrunt, ubi eſt *Caſtrum novum* oppidum nobile, ex quo multi prodierunt memoriæ claræ & virtutibus excellentes. Natio hæc *Graſiniana*, Martia eſt, audax, & in bello aſſuefacta, indomitaq; Ateſtinis Principibus devota.

Iterum viam Æmiliam calcantes non fugit *Scandianum* oppidum non indignum Marchionatus titulo quo inſignitur *Thiennæus* ex Vicetia oriundus, & civis. Videt à læva & ad Septemtrionem Æmiliæ viator *Rollum* in ditione Seſſorum, & feudo Imperatorio ornatum, *S Martinus* Ateſtinorum locus eſt, interius *Gonzaga Nuvolaria*.

Mutinam propinquius, Regiumque verſus ad lævam, triangulari ſitu accedit *Corrigium* inter *Lentiam* & *Secchiam* flumina, populo multo, agro uberrimo, & moribus civium inſignis & pervenuſta, civitas Imperialis. Dominorum paret ditioni, qui alias Parma potiti ſunt, & fortaſſe *Giberti* appellabantur. Annis propediem elapſis *Hieronymum* edidit Cardinalē ampliſſimum, unum ex Corrigii Regulis; & multis in præſentia decoratur titulis, cum *Hieronymus Bernerius*, litterarum cognitione, morum virtute, ex Prædicatorum familia ad ſummum Cardinalatus faſtigium evectus eſt, quo Eccleſiam Dei conſilio & prudentia juvat, ſtudioſos fovet, & probis ſuam pectoris benevolentiam oſtendit. Ipſam viam Æmiliam amnis *Secchia* dividit, *Herberia* oppidum arcem ſatis mu-

munitam oſtendit, ubi colles aprici fiunt. Illinc via latâ, planâ & rectâ proficiſcenti Mutina erit obviam.

MUTINA.

Schott.

EST Mutina civitas vetuſta celebritate pernobilis, Romanorum quippe colonia, creſcente Imperio, deducta ſimul cum Parma anno V. C. DLXX. ut Livius lib. XXXIX. teſtatur. Nec dubium, quin ſuccedentibus ſæculis. Romano ſtante Imperio, floruerit admodum, cùm frequens ejus apud hiſtoriæ Scriptores fiat mentio, doceantque hoc inſuper antiquæ marmorum inſcriptiones quæ plurimæ ibidem & pulcherrimæ adhuc exſtant. Sed inprimis eam nobilitavit prœlium civile cruentum, quo ante ejus muros, cum duobus Coſſ. Hirtio & Panſa, Senatus auctoritas, & populi libertas funditus concidit: cum *M. Antonius*, extincta *C. Cæſaris* tyrannide, diſcordiarum faces, D. Brutum obſidendo, reſuſcitaret: Clades deinde plures, eaſque exitiales, labaſcente Imperii potentia, barbararum natiotum inundatione, Mutinam eſſe paſſam conſtat: quam *D. Ambroſius* in Epiſtola quadam ad Fauſtinum, inter deſertas ac ruinoſas ſui temporis Ciſalpinæ Galliæ ad Æmiliam viam urbes numerat. Opinari igitur, eam à Gothis & Longobardis ſæpe exciſam fuiſſe, haud eſt abſurdum, cum diu Longobardorum temporis deſerta jacuerit. Quibus Caroli magni ejectis victoria, atque Pipino ejus filio Italorum Rege conſtituto, tum primùm hanc urbem volunt (quæ nunc Æmiliam occupat, & nonnihil à veteris Mutinæ in altiore loco poſitæ ruinis diſtat) à fundamentis ſuſcitatam fuiſſe à Nobilium civium reliquiis: qui ſublato barbarico metu novi oppidi mœnia ac portas ſuis, amicorum, atque clientum ſumptibus ac labore conſtruxere; quemadmodum *Leander Albertus* in Italiæ Deſcriptione ex Mutinenſium Annalibus narrat diffuſiùs.

Ca-

Capug.

Mutina civitas non ingens, forma potiùs ſphærica quàm longa, in planicie reſidet fontibus majorem in modum affluit, fructus, & cujuſvis generis vina nimirum lecta quæ æſtate bibantur, uberrimè parit. *Alphonſus* II. Dux Ateſtinus Aquilonem verſus eam amplificavit, quæ pulchritudinem & hilaritatem ſpectantibus afferi, quamvis in ea, quæ *Mutina vetus* dicitur, antiquitatis monimenta ubique appareant domibus, Palatiis & viis Corpus *S. Geminiani* ejuſdem urbis Antiſtitis, in Cathedrali Eccleſia aſſervatur, & contra malignos ſpiritus corpora humana affligentes ſuum auxilium præſtat. Hujus urbis multus eſt populus, ingenio ſubtili & perſpicaci: quamobrem bellorum præcellentes Duces tulit, maximè ex gente *Rangonia* & *Tuſchetta*. Nobiles multos, Comites, Equites, & Marchiones, oppidorum & locorum plena auctoritate dominos. Cardinales & alios Eccleſiæ Præſules, doctos viros in omni ſcientiarum genere. Mutinenſes fuerunt *Sadoletus* & *Sigonius*, quorum Opera in manu eorum qui litterarum ſunt cupidi Non ſecus ac aliæ Ciſalpinæ Galliæ urbes non uni paruit, verum præſenti tempore Ateſtinis Principibus eſt ſubjecta, & ſui Ducis præſentia fruitur: quo fit, ut magis indies populo, divitiis & honoribus augeatur. Perſonæ, & parmæ, ac parmulæ Mutinenſes in magno pretio ſunt apud Italos.

A Meridie in Appennini radicibus potitur Mutina *Formigine*, *Spezzano*, & *Saxolo* milliaribus decem ab urbe procul, quod oppidum nobilitate magna fulgens, Palatium oſtendit Regio cultu & ornamentis, à *Pio* ibi dominantibus ſedulo conſtructum. Alluitur à flumine *Secchia*, & eo frequens eſt concurſus gentis Deiparam Virginem invocantis, cum ibi ſua beneficia ei placeat miſeris nobis impenſè tribuere. Qui eos aſcendunt colles, villas & loca cernunt, quæ nec etiam Orientem verſus & Bononiam deſiderantur:

tur : caſtellis enim ornantur quamplurimis, variis dominantibus ſubjectis, potiſſimum vero *Monticulis*, quorum auctoritas maxima iis in locis ante acto tempore fuit, & univerſa *Frignani* loca ſuo ſtabant Imperio; quod *Frignanum* aſcenſu uſque ad Bononienſium confinia protrahitur, & *Sextolam & Fananum* primarios pagos retinet. Hinc ad occidentem ſolem verſus declinantes *S. Peregrini* alpes & corpus, *Aquarii* balnea vidimus, inſuper Appennini ardua, quibus mare Superum & Inferum proſpicitur. Ab eodem latere, ſed Bononiam magis verſus, prope flumen *Scultenna* occurrunt *Caſtrum vitrium, Spilimbertum*, oppida *Rangoniorum*, unde millibus paſſuum quatuor offendes *Vignolam* nobilem locum, Marchionatus titulo inſignitum, cui dominatur *Jacobus Boncompagnius* Soræ Dux. Princeps, cujus encomia multi ſuis litteris poſteritati commendarunt commendantque. Hunc inter viventes Heroës Mecænatem agnoſcimus unicum. Oriuntur prope *Vignolam* Bononienſes fines.

A Septemtrionali millibus paſſuum duodecim ſtat *Corrigium*, & magis in ortum ſolis inclinat *Carpenſe* oppidum, quin potius civitas Imperialis, iis fulta rebus, quæ nobili conveniunt urbi, ſive populi numero, aut civium excellentia, vel mercatura, aut rerum aliarum abundantia. Principatus titulum jactat, quem diu ſuſtinuit *Piorum* familia, quamvis in præſentia Mutinæ Ducem ſuum agnoſcat Principem.

Mutina ad orientem ſolem qui proficiſcitur, *Canale* reperit, quo vehitur per millia paſſuum octo ad *Finale*, vicum profecto non adſpernandum. Verum ſi flumen *Scultennæ* quis ingreditur, ad *Padum* defertur ac *Ferrariam*. Hoc ſpatio eſt *Bonus portus*, ubi Canale Scultennæ ſe immiſcet, paguſque eſt *S. Felicis* vini ferax.

Viator, qui per Æmiliam viam Bononiam ſe confert

fert, prope Mutinam tribus millibus passuum *Scultenna* seu *Panaro* traiiciet, & ibi prope Bononienses & Mutinenses agri dividuntur. Hic à Claudio Cons. xv. millia Ligurum capta fuerunt, & Longobardorum Rex septem millia Romanorum interemit, & à Bononiensibus Sardiniæ & Corsicæ Rex *Entius*, Friderici II. Imp. filius, prosternitur & Captivus ducitur.

Si ad *Scultennam* pedem referas, transmisso flumine ad Septemtrionem flectens *Nonantula* te excipit, ubi antiquum & nobile stat Cœnobium ab *Anselmo* Astulphi Regis Longobardorum cognato constructum; qui cum exercitus duceret, præpotens vir, sæculo valedixit, & Monachis mille ac centum sanctissimè Jura dedit eo loci anno Domini DCC.LXXX. Deinde à Comitissa *Mathelda* instauratur. Hic non pauci commorabantur Monachi qui (ut audivi) jurisdictionibus usque in Hispanias patebant. Plurimas Sanctorum reliquias servat, corpus nimirum *S. Adriani* Papæ, atque magna ex parte *S. Silvestri* Pontif. Romani. Leges hic insuper antiquissimos libros, quos inter præcipuum est *Mathelda* Breviarium.

Propius viam Æmiliam & in Bononiensi agro in finibus Nonantulæ est *S. Agathæ* pagus à *Barbarussa* Imp. ædificatus, & interius occurrit *Crevalcorius*, (quod est *Allegra cuore.*) quo in loco bis fusus fuit, & vulnera accepit *Bernardus* Vicecomes Mediolani Dux. Eamdem viam magis attingit oppidum *S. Joannis*, quod vallibus & segetibus abunde affluit. A dextris Æmiliæ & in collibus vestigia comperies *Castri Leonis*, & in ipso itinere secabis *Castrum francum* Bononiâ distans milliaribus quindecim, ubi pertustrabis antiqui fori Gallorum signa, memor, Hirtium & Pansam Coss. postquam hic M. Antonium superarunt, vulneribus confossos ibidem interiisse, & videbis *Plumatium*, *Bazanum*, & *Crespellanum* pagos amœno situ, & collibus jucundis.

Alæ

1:163.

A Læva Æmiliæ, Bononiam prope milliariis quinque *Labinius* amnis, imò fluentum quod è montibus dilabitur, viam dividit, cujus à ſiniſtris etiam itinere mille paſſuum aquæ rivulus, dictus *Ghironda*, invenitur ex paludibus exortus, quibus huc deferuntur aquæ: & ipſorum *Lovini* & *Ghirondæ* aquis commixtis, pæninſula, quæ triangulus videtur, efficitur, nuncupata ab Italis *Forcelli*, & milliari uno ab Æmilia diſtat, ubi *Octavianus*, *M. Antonius*, & *Lepidus* totius orbis Imperium inter ſe partiti ſunt, & iniquè proſcripſerunt plurimos Romæ Patricios, centum videlicet ſupra triginta, ex quibus *Cicero* M. Antonio ad internecionem, permiſſus fuit. At quamvis locus hîc modò pæninſulæ formam retineat, nihilominus aliquando inſula extitiſſe videtur, Duo hæc, *Labinium* & *Ghironda* in amnem *Samogiano*, qui in *Rhenum* *Rhenus* verò in *Padum*, exonerant ſeſe. Prope *Bononiam* paſſibus mille *Rhenus* flumen longiſſimo ſuperatur lapideo ponte, & itinere jucundo in urbe ſumus.

BONONIA.

BONONIA primum à *Felſino* Hetruſcorum Rege nomen *Felſinæ* ſumpſit, poſteaque *Bononia* à *Bono* illius ſucceſſore. Duodecim urbium caput extitit, quas Hetruſci citra Appenninum poſſidebant: iſt ſq; à Gallis detruſis. Gallis poſteà à Romanorum potentiâ fugatis, colonia facta fuit, tribus millibus hominum eo deductis. Sub Romanorum ditione, Græcorum deinde permanſit, & Longobardorum, nec non Exarchatus Ravennæ. Deinceps verò ſe, non ſecus ac tot aliæ urbes Italiæ in libertatem citiſſimè vindicavit. Attamen cum à *Lambertatiis* ac *Geremeis* civiles inter eos commoverentur diſcordiæ, eam ipſi malè acceperunt. Quamobrem Summo Pontifici Romano ſe tradiderunt Bononienſes, deinde Pepulis, Vicecomitibus Bentivolis poſtremo ipſimet Pontifici, qui quidem pacificè ipſam moderatur, centeſimus agitur annus.

In

In Appennini radicibus & planicie hæc civitas posita videtur Æmiliam occupans, sexto in climate, in XXXIII. cum dimidio gradu longitudine, latitudine autem circiter XLIV. ex Meridie. *Appenninum* cõtinet, *Æmiliam* vel *Romandiolam* ex Oriente, ex Occidente *Galliam Cisalpinam*, ex Septemptrione campestrem planiciem, qua *Ferraria* petitur, & etiam *Venetia*. Pro antiquorum consuetudine angusta manebat duabus contenta portis, unâ ad Insubriam versus, alterâ vero ad Flaminiam. Temporibus *Gratiani* Imperatoris duabus aliis portis aucta fuit, & sub Imperio *Theodosii Junioris*, novem aliæ adjectæ sunt. quarum hodie agnoscuntur vestigia cuniculis quibusdam; ultimo ad eam magnitudinem, qua nunc gaudet, pervenit hæc civitas, quatuor aliis portis extructis. Interior ambitus quinque millia circumdabat passuum, longitudine duos & alterius mediam partem, latitudine unum à porta initium sumens. *D. Proculi*, & ad eam quæ est *Galleriæ* transcurrens Instar onerariæ navis est formata, hoc est longior quàm ampla, proræ figuram ex uno manifestè indicans latere, & ex altero puppis: stat in medio *Asselloruṁ* turris, quasi malus, & *Garisenda* scalas ostendit. Arcem nullam patitur, immo fundatam aliquando evertit ac diruit, muris illam ambientibus ex latere cocto, jam multis sæculis contenta, suorum vigore & consilio optimè audax, quod quidem re ipsa præstitit, cum *Borbonius* Romam iens abstinuit eam aggredi, qui urbem posteà impiè perdidit. Eam prope *Samna* labitur amnis, per eamque parvus interfluit *Rhenus*, qui Ferrariam versus perfluens, navigationi aptus est, & per eum merces vehuntur abundè. Cœlum humidum est ac subtile. Quanta Bononiæ sit rerum necessariarum ubertas, ex communi noscitur sententia, scilicet, *Bologna grassa*: arvis enim est munita fœcundissimis, tritico, leguminibus, ceteriſque segetibus. Vina alba colligit, quæ sedulo cocta, inter maxi-

maximè delicata universæ Italiæ sunt connumeranda. Omnibus fructuum generibus est dives, & horum egregiæ sunt oleæ, crassitudine atque dulcedine cum Hispanis decertantes, neq; apud Italos his meliores colliguntur. Non carent avium aucupatione, & ferarum venatione abundantissima. Etsi parvas teneat ad piscandum valles nihilominus ex *Argentanis* & *Comaclensibus* uberrime illuc afferuntur pisces, unde maxima fruitur piscaria quolibet anni tempore. Duo magna habet macella, lautissimarum carnium referta, ac præsertim vitulorum. Lucanicæ, & carnis salsamenta, id est, *Salsiccioni*, ò *Salami*, laudantur à cunctis, nec Bononienses fartores à quoquam in Italia superantur. Cidoneis malis saccarum commiscent, è quibus cidonitem, vel ut dicunt, *Gelo* componunt, Regiæ mensæ aptissimum. Jactat se Bononia corio adusto, & summa industria elaborato, vaginas conficere gladiis, & arcus perforatos, ac œnophora ingeniosissimè. Serici mercatura summa est, quo telam *Raso* nuncupatam efficit, flammeola, mammilliari, & holoserica villosa, & eâ affluentiâ, qua potest Italiæ omni, Germanis, & Anglis prædicta elargiri. Lapicidinæ multæ sunt in agro Bononiensi quæ albæ ac molles existunt: gypsum hic concoquitur, & solum cannabem linumque generat abunde nimis ac fœcundè. Multi prospiciuntur colles, montes nemora, silvæ, paludes, valles, & planicies tribus lateribus feraciissima. Alumine haud caret, neque ferro, saluberrimis balneis fluminibus, torrentibus, lacis, & fontibus. Platea quamvis una existat, tres attamen dici possunt, tanta viget amplitudine. In ea fons conspicuus eminet marmoreis primo æreisq; simulachris plenus, aquas inspergens, in cujus elaborato opere ingenium *Joannis Stradæ* Brugensis Flandri dignoscitur. Viæ rectæ, amplæ & porticibus clausæ; quo fit, ut quasi sub dio quisque semper incedat, nec hiemis molestiâ, nec fervidi solis experiatur injurias,

rias. Viridarium & hortus *Poëtarum & Passellorum* multa jucunda ostendit vivariis, arboribus, topiariis, vivis fontibus, & Palatio. Et quæ sit rerum vicissitudo, prope *S. Iacobi* templum agnoscas, cum locum desertum & vacuum aspicies multis passibus amplū, olim *Bentivolorum*, qui Bononiæ Reguli fuerunt, Palatio Regio insignem, cujus magnificentia & majestas à *Beroaldo* optimè describitur.

Extant vasta ædificia, altæque ædes innumeræ sunt, ex quibus amplissimæ fulgent publicæ & Magistratuum auctoritati inservientes. *Campeggiorum*, ubi Patres Concilii Oecumenici sub Julio III conveniebant: *Populorum*, *Malvitiorum*, quas Principum fore credes. Palatium, *D. Petronii* templum spectans, à Bononiensibus ædificatum est, ut *Entio* Regi, de quo suprà diximus, pro carcere esset, in quo supra lustra quattuor publico sumptu detentus fuit ad obitum usque.

Non hyperbolicè dicam, nullibi Italiæ civitatem reperiri, in quas cives tam sumptuosè & magnificè domicilia teneant, uti Bononienses: etiamsi aliqua malè materiata & ruinosa domus ad extrà conspicitur, eam ingredere, primoque obtutu Ægyptium Silenum illam esse dices; nobilibus namque structuris in interiori parte omnes Bononiēses loca sibi parare maluerunt, quinimo domos habitant supernè & infernè quacumque anni temperie. Cellæ vinariæ ad profundum descendunt, hinc nihil est cur terræ motus timeant. Turres quadratæ ac spissæ in summam altitudinem obeliscorum quasi forma evectæ, inter quas celsissima est, imo omnium Italicarum, ea quæ vulgo *Asinellorum* vocatur, à quodam ex stirpe *Asinellorum* erecta. & *Garisendo* obliquè excitata non nihil, ut architectus ingenii sui ostentaret acumen. Civitatis hujus templa ad summum ornata videntur, Major ædes, in quibus Antistes super speculam moratur, pulchriora æmulatur. Sanctorum Reliquiis, picturis, statuis, auro, argento, ac ornamentis

tis pretiosis. Archidiaconus omnes alios antecellit, cum facultate laurea Doctoratus doctos insignire debet. In hac tam perspicua Ecclesia Cardinales, Episcopi, & viri alii celebertimi in pulvere dormiunt. Super platea patescunt ædes sacræ *D. Petronio* Constantinopolitano hujus urbis Episcopo dicatæ, tantæ molis ac magnificentiæ, quod paucæ sint cum hac merito conferendæ. In eis Carolus V. à Clemente VII. Imperii diadema suscepit. Invises *S. Francisci* Templum, magno sanè instructum artificio, nec desistes, quin sepulchrum Alexandri V. Pont. Max. videas: neque eum Bononiensem fuisse te fugiat, uti in eius monumento annis elapsis aperto compertum est. In sepulchris foris, & in cœmeterio *Godefredus* jacet, eximiusque *Accursius*, Jurisperiti, Cœnobium ædificiis conspicuum videtur, & Patribus ibi degentibus, multoque studio litteris navantibus. Non multum procul abest magnificum. Canonicorum Cœnobium *S. Salvatoris*, & inter amplissima Sanctimonialium loca, Monasterium *Corporis Christi* annumerandum est, in quo jacet *B. Catharina*, ejus Domus olim Soror, cujus ungues in manibus ac pedibus indies augentur, ac si in corpore etiam viveret. Patres Augustiniani Ecclesiam *S. Jacobi* reverenter habitant, & Deo tua vota persolvunt; quæ sacra ædes *Bantivoli Joannis* Sacello & imagine, aliorumque *Bentivolorum* cadaveribus, *Malvitiorum* insuper, & multorum Nobilium, redditur insignis; sed nobilior est multorum Sanctorum ossibus & Reliquiis super quodam altari à Cardin. *Pogio* venustè collocatis. Dominus Fratrum viguit semper vigetque numero eorum ingenti, studio & meritis. In *S. Martini* Templo, quod est Carmelitarum, invise *Beroaldi* Junioris cineres ad lævam Ecclesiæ, & *Alexandri Achillini*, suo tempore inter Philosophos primi. Obstupesces amplum, augustum, & novum Cœnobium Servorum Patrum, in eorumque Ecclesia merito spectanda, fac ut videas *Joannis ab Anania*, *Ludovici Cozadini*

zadini Juriſconſul. & *Franciſci Bolognetti* Poëtæ ſepulchra. Habet Eccleſia *S. Joannis in monte*, quæ eſt Canonicorum Regularium S. Auguſtini, iconem *S. Cæciliæ* virginis, magni *Raphaelis Urbini* ingenio pictam; *B. Helenæ ab Oleo* cineres, & *Caroli Ruinæ* Juriſconſ. oſſa. Et ex hoc nobili Monaſterio Canonici quatuor ad Bononienſem Præſulatum ſunt evecti. Stat Bononiæ Templum *D. Stephano* Protomartyri ſacrum, omni venuſtate præſtans, cum à *D. Petronio* fuiſſet conditum: ſupra mille Sanctorum in eo reconduntur oſſa & cineres, maximè verò *Vitalis*, *Agricolæ*, & *Petronii*, qui ſacer Antiſtes his omnibus illud decoravit. Mihi faciendum eſt, ut velis exemplar Dominici ſepulchri venerari, ab eodem conſtructum vero modulo, & ad unguem: & dum ubique antiquitatem & pietatem hic redolere videris, te ipſum ad devotionem excitare quæſo ſis impiger. Benedictini Patres in ſua Eccleſia D. *Proculi* Martyris ſacra oſſa & cellam in Monaſterio oſtendent, in qua *Gratianus* Decretum compilavit.

Cum ad *D. Dominici* Eccleſiam perges, lynceis oculis contemplaberis inhiando. Chorum inprimis à *F. Damiano* Bergomenſi factum, continuis ceroſtratis hinc & hinc myſteria veteris & novi Teſtamenti effigiatim poſitis, cui tota in Europa haud ſimilem reperies. Hic videas *Entii* Regis cadaver inſigni tumulo & epitaphio collocatum, *Auguſtini Beroii*, *Ancharani*, *Saliceti*, *Caldarini*, *Tartagnii*, *Lignani*, *Socini Junioris*, & *Hippolyti Marſilii*, *Joannis Andreæ*, *Imolenſis*, & *Lud. Bolognini*, qui Legum monarchæ fuerunt; *Curtii*, *Ceccarelli*, *Benedicti Victorii*, Medicorum; & quamplurium aliorum in litteris humanioribus, & arte Medica peritorum; maximè verò *Jacobi Petramellarii*, Medici & Mathematici ſuo tempore nominis clari, & ex illuſtriſſima *Vaſea* familia in Galliis oriundi. Non prætermittis illuſtre ſepulchrum *Thadæi* & *Jacobi Pepulorum*, qui urbi dominati ſunt.

Et cum eris ſub periſtylio, ſciſcitaberis quis ille

ſit

sit locus qui trium luminum Juris corpora servat, *Dini Magellani, Cyni Pistoriensis, & Florani ex S. Petro:* stant enim prope ostium in monumento, super quod sculpta est imago Legum Doctoris.

Altare deinde coles, ubi tot Sanctorum ossa videntur. Maximè *D. Dominici* caput, ditissimâ thecâ repositum, in qua supra tercentum sunt impressæ figuræ argenteæ & aureæ. Ibi stat una ex sacris *spini*, quæ Salvatoris nostri caput exulceravit, & vetus Testamentum in albo corio à Propheta Esdra verè conscriptum litteris suæ nationis Hebraice, Patriarcha Prædicatorii instituti. *Dominicus* hoc in templo tumulatur sepulchro marmoreo alabastrino, nive candidiore, & pleno artis artificio, sculptoque à *Joanne Pisano*, & à quodam *Joanne*, qui idcirco *ab Archia* dictus fuit. *Bonarotus* ille magnus in eo effigiem Angeli cujusdam posuit, divique *Petronii*. Apparet etiam percelebris illa *D. Francisci* imago ex marmore, cortina cerostrata, multaque aurea ornamenta & argentea, donaria infinita, lampades, cerei, & similia valoris immensi. Cœnobium amplissimum, augustissimum dici debet, peristylii loca pro dormituris Fratribus, triclinium vastum, & pictura celebri insignita: cella vivaria omnes Italas indubiè antecellit, & quinimò quattuor appellari possunt Omnibo cœmeterium in quo Fratres humantur visita, & quamplures nunc in cœlo Beatos, ibi suos cineres extremo die assumpturos, venerare. Sacræ inquisitionis ædes spectabis, & Bibliothecam copia & varietate librorum omnis generis plenam, paucis Europæ Bibliothecis postponendam, quæ indies conservatur à Patribus & augetur. Altera est ibi Bibliotheca, singulare monumentum studii, in qua libri multi manuscripti, & nondum typis excusi asservantur, & pristinæ studiorum curæ, honorificè reperiuntur. Centum & quinquaginta homines assiduè aluntur in hoc Cœnobio, Dominicanæ familiæ in eo existente publico scientiarum fonte, ex quo

Pontifices ſummi duo, Cardinales, Præſules, & Patres litteris, ſanctimonia, & prudentia admodum illuſtres numerosè prodierunt.

Hujus domus alumnos fuiſſe compertum eſt *S. Petrum Martyrem*, *D. Raymundum*, *Bartholomæum* Archiepiſcopum Armeniæ, *Jacobum Boncambrum* Bononienſem Præſulem, *Coradinum*, *Areoſtum*, Beatos, *Hieronymum Savonarolam*, & *Ægidium Fuſcherarium* Præſulem Mutinenſem, & in Concilio Tridentino *Lumen majus* nuncupatum; quorum veſtigia utinam conſequi poſſem, ſicuti in ipſamet Domo Prædicatoriam togam indui, Religionis fundamenta jeci, & meæ juventutis annos tranſegi.

Bononienſis Eccleſia primum habuit paſtorem *S. Zamam*, qui anno Chriſti cc. LXX. à *S. Dionyſio* Pontifice ordinatus Bononiam venit, ac fidem propagare cœpit. & continuata ſucceſſione LXXI. Epiſcoporum veri cultus diſciplina ad incrementum venit; cui aſſiduus fuit, & reformationi ſtuduit hiſce diebus *Gabriel Paleottus* Card. ſingularis probitatis, doctrinæ & prudentiæ quorumque novem ab Eccleſia in Sanctorum, & duo in Beatorum numero ſunt poſiti.

In ea floruerunt Martyres ſex, Confeſſores ſancti XIII. Beati XIV, Beatæ VII. Habet Eccleſias c. LXXXIX. quarum XXXIII. ſunt pro laicorum Societatibus, Abbatiæ Præpoſituræ II. Clericorum Regularium II. Fratrum & Monachorum XXIV. Monialium XXIII. Hoſpitalium X. Frioratuum V. Habentur Collegiatæ II. quarum celeberrima eſt illa *S. Petronii*, & altera *S. Mariæ Majoris*, cujus encomia, eum de agro Bononienſi ſcribemus, aliqua ſcitu digna enarrabuntur. Major ædes *D. Petro* ſacrata eſt, redditibus opima, cujus Paſtor etiam Principatus titulo fulcitur. Aliæ verò Eccleſiæ, Oratoriæ ſunt, vel Paræciæ.

Bononienſis Academia *Theodoſio* Romano Imperatore, qui regnabat anno c. D. XXV. fundata, à *Carolo Magno*

Magno instaurata, & à *Lothario* ornata & ampliata fuit. *Irnerius* verò, quidam vir summæ auctoritatis & apprimè eruditus, Lotharii temporibus & auctoritate Bononiæ leges publicè & omnium primus interpretari cœpit. Idcirco optimarum artium studio præ ceteris florentissima extitit, & semper doctissimos in omni litterarum genere erudivit, nec alibi dè plura majoraque Legum & doctrinæ exempla videntur hauriri, quam in urbe *Felsinea*: huc enim ex universa Europa Jureconsultorum responsa veluti in receptaculum quoddam confluunt, & omne Doctorum genus à viris doctissimis acutissimè traditur; ut summi viri eos ibi audire desiderent, & ad supremum eruditionis gradum conscendentes, hujus Academiæ alumnos se merito prædicari glorientur: *Hieronymus Osorius* ingenii excolendi gratiâ Bononiam potissimum se venisse scribit, quia ex multorum sermone didicerat, nullam Italiæ civitatem esse cum Bononia litterarum gloriâ comparandam. Nec mirum videri debet, si tanta loci celebritate commoti adolescentes Bononiam conveniant ad animum excolendum, cum in ea constitutum esse videant egregium quoddam sapientiæ domicilium; quia opibus Bononia & reliqua felicitate præcipuis Italiæ urbibus non cedit, litterarum vero studiis superat. Constat insuper, Bononienses maximè Jurisconsultos omnibus, qui se huic gravissimæ disciplinæ dedicerunt, admirabile semper acuminis & prudentiæ lumen prætulisse, & reliquos Legum interpretes antecelluisse, cum mirificè præ ceteris hominibus ad eas percipiendas ab ipsa natura instructi esse videantur, & propter bonarum artium studia verè felices evaserunt Bononienses, Deo & hominibus charissimi Principum favoribus ornati, & universis nationibus grati. Hic fons Canonum *Ioan. Andreæ*. *Azo* lucerna Iuris cujus tempore decem millia studiosorum Bononiæ fuerant, docuit *Bartolus* Doctor creatus est, *Accursius* Glossemata composuit, & alii jam su-

pra memorati Bononiæ de Jure dixerunt, quia legalium ſtudiorum ſemper monarchiam tenuit, dixit, *Azo*. Hinc Gregorius IX. ſuas Decretales Epiſtolas, Bonifacius VIII. lib. Sextum,& Joannes XXIII. librum Clementinarum, Academiæ Bononienſi inſcripſerunt. Prætereundum non eſt, quòd S.P. Q B. quadraginta propemodum coronatorum millia ſingulis annis in ſuos Profeſſores exponit. Stat Gymnaſii magni ſuperba moles, periſtyliis aliiſque ampliſſima,& omnibus aliis Italiæ ſpecioſior. Collegia Hiſpanis ab *Ægidio Carilla*, Picenis à *Sexto* V. Pontif. Max. Croatis, Pedemontanis,& Ancharanis extructa ſunt. Regularium quæque familia ſuam habet Academiam & ſtudioſorum multitudinem. Quocircà ſi velimus refricare memoriam temporum, fœcundam, felicem,& ingenioſam urbem eam prædicabimus meritò dicentes: BONONIA DOCET- &, BONONIA MATER STUDIORUM.

Populi multitudo ad octoginta millia forſitan aſcendit, quæ nobiliſſimis excellunt familiis, titulis, juriſdictionibus dignitatibuſq; ,Comitatus, Marchionatus, & Ducatus, belli Ducibus,& Martiis viris, ut prætermittam Heroes ſcientiarum omnium,& artium Profeſſores.

Luſtris quattuor vidimus Pontifices Maximos duos, Cardinales octo, ſupra centum Epiſcopos,& in Romana Curia multos gravia onera ſuſtinentes, Bononia ortos. Honorius II. Lucius II. Alexander V. Gregorius XIII. & Innocentius IX. Summi Pontifices hanc urbem ſuam agnoverunt matrem; agnoſcuntque hodie plurimi alii dignitatibus, litterarum ac belli gloria verè illuſtriſſimi, quorum nomina ſilento tegam, ne lippis etiam cognita in lucem proferam.

Divitiis opulenta eſt civitas, & æquilibrio quodam partitæ ſunt civibus; inde fuit, quod maximè ſemper floruerit, quod à Græcorum Imperio deſciverit, qua de re Theodoſius I. Imper. anno CCC. XCIV.

xc IV. à fundamentis eam evertit. Cum *Friderico Barbarussa* Imp. decertavit, cujus filium *Entium* annis XXII. captivum regiè aluit. Forum Livii, & Cornelii. Faventiam, Cesenam, Cerviam,& multa Mutinensis agri,& Æmiliæ Provinciæ loca in suam redegit potestatem semel ac iterum. Cum Venetis longo triennio,& feliciter aperto Marte bella iniit, militum millibus quadraginta adunatis.

Quæ & quanta in suis familiis fuerit Bononia, patet, dum legitur, anno M.CC. LXXIV. *Lambertatios* fugatos & expulsos, quindecim millia extitisse una cum mulieribus,servis,ac intimioribus. A *Dante*, Poëmatis Italici verè magistro,laudamur Bononienses quod in loquendo,præ omnibus populis Appenninum citra, quamdam suaviloquentiam & lenitatem habeant. Idcirco lepidissima suaviaque pectora gestare Bononienses affimare non dubito, cum Græcorum sapientissimo Socrati,homines cognosci sermone placuerit. Jure igitur *Boccaccius*, qui multorum hominum mores vidit & urbes, quique cognovit in hac urbe amabiliter ac lepidè quoscumqs susscipi,admirans ait: *O singolare dolcezza del sangue Bolognese.*

BONONIENSIA SUBURBIA.

AD Occidentem versus stant in planicie Templũ *D. Joseph.* dicatum,Cœnobiumque Patrum Servorum,Carthusiani domus, & in eminentiori colle tribus milliaribus Bononiam extra,piissimæDei matris Imago à *S. Luca* picta,summa veneratione colẽda. Porta,quæ in Æmiliam ducit invisere facit Patrum Cruciferorum amplum & augustum Monasterium,quæque ad Meridiem vergit *Misericordiæ* Domum & Ecclesiam,in qua religiosè morantur Augustiniani Patres. Dum Bononiam egrederis è porta S. *Mamoli*, aut ad Australem locum, Jesuatorum, deinde Minorum, qui Observantes appellantur, sunt Cœnobia non ingrata curiosis,& in editiori loco Ec-

clesia *S. Mariæ in Monte* miraculis clara, ubi magni Cardin. *Bessarionis* & *Nicolai Peretti* ad vivum sunt imagines.

Si flectes ad Orientem, locum invise *S. Victoris* collibus clausum, in quo quasi hominibus ignotus triennio manst *Bartolus*, Ius Imperatorium penitus cognoscens Cardinalis *Vastevillani* opus Regium extollitur eo loci, & multa civium Palatia colles ornant, qui Euganeis nequaquam invident.

Similiter extra urbem in monte *S. Michaelis in busco* nuncupatum Monasterium locupletissimum visitur, novis & vetustis ædificiis sumptuosissimum: cujus templum, atque sacraria cuncta, marmorum nobilium omnis generis columnis, trabibus, atque cælatura præclara renident. Altaria Reliquiis Divum rariis, atque donariis pretiosis augusta resplendent, statuis, figuris, tabulisque pictis artificio ad miraculum excellentibus. Sedilia & subsellia sacrificum in lateribus templi dispositra ex secamentis & scandulis variorum lignorum studiose commissa, picturam quamdam elegantissimam repræsentant: uti castella, turres, arbores, animalia, campi, montes, ac regionum plagæ, nec non herbarum ac florum minutiæ suis coloribus vix penicillo possent à perito pictore diligentius exprimi. Oculos animosque mirificè delectant Monasterii ipsius sumptuosa & magnifica ædificia: inprimis Bibliotheca librorum & tabularum omnis generis plena: nosomychus, quod *Infirmarium*; & cœnaculum commune, quod *Refectorium* nunc appellant, pictura laudatissima *Georgii Vasarii* celebre, in qua Clemens VIII. verè conspicitur.

Item conclavia & cetera omnia ad unguem facta, suisque suppellectilibus apparata; ut præteream hypæthras, horros, & pomaria exculissima, nec non fontes & piscinas Appennini rivulis limpidissimis exundantes, & piscium saxatilium copia scatentes. Hæc omnia visu pulcherrima.

Cæ-

Capug.

In peristylio tumulatur *Antonius* à *Butrio* Legum peritissimus, & *Ramazottus* exercituum Ductor.

Schott.

Sed in primis juvabit ex eo Monasterio veluti è specula contemplari non solùm urbis situm, fora, templa, vias, turres ac ædificia cetera magna; verùm etiam Galliæ Cisalpinæ subjacentem amœnissimam planitiem, summè laudatam à Polybio historiarum libro secundo, extentam Δ literæ Græcæ forma, quēadmodum eam Polybius triangulatem depingit. Ostendit enim sese à sinistris Appenninus, Occidentem ac Sardoum mare versus excurrens. Hinc Alpium juga nivosa nubium specie à cœlo dependentia spectantur, à fronte in Septemtrionem ac Orientem, à dextris autem ad Meridiem. Nebulis obductum *Adriaticum pelagus* à longè videtur Alpes & Appenninum attingere, ubi Italiæ latitudinem à tergo hic obliquè transcurrit Senogalliam & Anconam usque. Hisce tribus limitibus decem millium (ut Polybius asserit) stadiorum concluſi Galliæ Cisalpinæ campi, Regis fluviorum *Eridani* amniumque plurium ramis atque mæandris intersecti & irrigati, mirificum ex alto præbent spectaculum: nam Ferrariam, Mantuam, Imolam, Mirandulam, aliasque circumjacentes urbes celebres multas prospicere hinc licet, quibus subiecti campi, tamquam rosis aut floribus pulchris sparsim distinguuntur & ornantur.

Capug.

Bononiæ censum cum perquisierim, Illum mihi benignè obtulit Dominus *Jean. Antonius Petra Melarius*. Eques S. Lazari, præstantis eruditionis ac eloquentiæ famâ illustris, qui in utraque lingua generosè admodum se exercuit, ut verè elegantissimus consensu habeatur. Anno elapso mense Septembrio reperti sunt Bononiæ viri 18652. mulieres 19782. pueri 7636. puellæ 5637. servi 2568. ancillæ 3984.

viri Regulares 1091 Moniales 2461. perſonæ morbis detentæ in ſæculi Xenodochiis 1193. quæ ſimul erunt 62844 In ſuburbiis verò cenſi fuerunt viri 4855 mulieres 5304. pueri 2951 puellæ 2248. ſervi 335. famulæ 444. ex quibus fit numerus 16137. Quòd ſi urbis & ſuburbiorum habitatores unà congregabimus, erunt 78981.

AGER BONONIENSIS.

BONONIA diſcedens inter Occaſum & Auſtrum, cœnobia Servorum *S. Joſeph.* Carthuſianorum, & *S. Luca*, de quibus ſupra diximus, poſita videntur. Occurrit antiquiſſimum Monaſterium, aut Prioratus *D. Maria à Rheno*, unde Summi Pontifices duo, Cardinales quamplurimi, Epiſcopi Beatique multi, ac Sancti, vitam ſuam expenderunt, quemadmodum in Hiſtoria Canonicorum Regularium S. Salvatoris legere eſt. Idque non obſcurè es cogniturus. Regia *Saragoſſæ* via incedens, ad alteram proſpicies & exteram, pulcherrimis ædificiis, fructiferis arboribus ornatos colles. Super *Rhenum* longus & lapideus invenitur pons in viculo, *Caſolecchii* via qua flumen ſuperatur, & magis ultra repagulum lapideum, forte & bene coagmentatum, vulgo *Chiuſa*, fluvium ſecans, ut aquis detur locus ad ingrediendum canalem aptiſſime inciſum, & cavum, quibus civitas artes commodaque plurima exercet, ac recipit, quique poſteà egreditur urbem illabendi gratiâ Ferrariam. Inter amnem & colles quædam eſt vallis, frugibus, vinis, oleo, fructibuſque opima, & ditiſſima *Rheni* valiis nuncupata, *Rubeorum* Palatio ornata quolibet Principe digno, ſuaque amœnitate, ſuiſque ornamentis conſpicuo. Iſtis autem locis per altiſſimam aſcenditur ripam, ferro apertam, ut per viam ſuper fluminis ripa pergi poſſit, quod ſane horribile eſt, cum ad lacum maxima intueatur abyſſus quà flumen perlabitur, *Saxuſque* dicitur hic locus, à ſaxo ferris inciſo. Supra occurrunt *Epiſcopi Caſtellum* & *Pani-*

Panicum, ubi Comites olim floruere illustris famæ, quorum familia penitus extincta est, nisi forsan adhuc Patavii superstes viveret. Planicies *Misani* perlustrabitur à viatore, in qua multa indies reperiuntur antiquitatis vestigia, & ædificiorum: postquam stat *Vergatus*, qui sedes est Senatoris unius Bononiensis, vicinis populis Jura dicens, quibus ab urbe milliaribus quindecim distat. Hinc vero progrediendo ad lævam, *Casum*, postea *Bargium* pervenitur, & deinde *Castellionem*, castellum *DD. Pepulorum* multam jurisdictionem ibi exercentium, & eorum stemmatum quibus Principes insignitos veneramur. Ibi optima temperatura extenduntur ferreæ laminæ, & viam habemus pro agro Florentino.

Sed si fluvium Rhenum ducem habuerimus, versus illius fontem incedentes, à dextris *Balnea Porretana* offendimus aquis sulphureis & magna virtute prædita, de quibus Balneorum Scriptores consule. Ibi est amplus pagus, cui præest *Reynutia* Domus nobilis Bononiæ, Comitis titulo & dominatu cuiq; antiquitus initium dedit *Capugnianum* vicus, ædificia quædam collibus duobus vallata construendo. Superiori loco stat *Capugnianum* ipsum: in quo vitæ meæ primordia fuerunt, sexcentaque à Deo Opt. Max. & infinita alia beneficia obtinui, quorum est maximum, quod superstes adhuc vivo, & illa memorare possum, illustrique Dominicanorum toga coopertus, animum ad virtutes appellere valeo. *Castelluccius*, *Lutinas*, *Gadius* vici ad *Frinicxum* (*Fregnano*) viâ ad dexteram flectentes, nos ducunt, in agrumque *Mutinensem*. Si ascendimus Appenninum qui vere ibi eminere incipit, sunt pinnæ & juga, S. *Peregrini* locus, *Scalarũ* mons altissimus. Inde datur accessus ad *Carnarie* & *Massa* loca, *Grassiam*q; Provinciam, & *Lucense* territorium. Si ex *Capugniano* respicies ad lævam *Pedius* & *Granalonus* vici sunt. Lustra quo atavi mei jam ante annos ccc, ex monte *Catino* Tusciæ pervenerunt, & in castro *S. Martini*,

nunc ſolo æquato, dominium quoddam exercuerunt. Hic *Rhenus* fluvius ad ima fluit, & ſua ſervat principia interiora Appennino, & prope Bononienſium & Lucenſium confinia Plinii ætate arundines prope hujus fluminis alveum naſcentes laudabantur, cum præ ceteris medulla abundarent, & idcirco, uti graviores, vento & flatibus reſiſtebant validius. Iis in locis Bononienſe ſolum ab Hetruſcis dividit, & cum inter ipſius montis eminentia ſimus, loca tamē fertilia, benè culta & domibus plena videntur. *Taſſorium* parum abeſt verſus Auſtrum, *Luca* ad Occidentem, ad quæ loca itinere brevi pervenitur.

Si denuo Bononiæ ſtabimus & loca quæ ad Occidentem ſpectant ſcire cupimus, quod ea effigiatim poſita fuere, dum Mutinâ Bononiam accedentes dextram ſiniſtramque Æmiliæ viæ perluſtrabimus; item ſi planiciem intra Ferrariæ & Mutinæ urbes, quæ eſt in medio ſolis occaſus & Septemtrionis, inviſere volumus, tum ſupradicta loca nobis apparebunt *Plebis* & *Centi* oppida, cannabis præcipue feracia, Bononiâ diſtantia, milliariis duodecim, magiſque ultrà ad *Padum* & *Finalem* proficiſcemur, ac *Mirandulam*. Multoties trajicitur fluvius Rhenus, quia arcum facit; ſuis obliquis viarum flexibus ad ulteriora tendens, & Padum prope Ferrariam; & quaſi retrocederet, in Padum ſe commiſcet, Ferrariam ſupra milliariis quatuor.

Qui ex Bononia Ferrariam, ſeu loca Mediterranea ad partem Septemtrionis, perluſtrare voluerint, extra portam *Galeriæ* exibunt, & poſt tria milliaria in viculo *Corticellæ* euripum Rheni, ponte lapideo permeabunt, & ampla & æquali via pervenient ad oppidum *S. Georgii*, quod Bononia abeſt milliaribus decem. Inde multis peractis paſſuum millibus *Centæ* & *Plebe* oppidis ad lævam relictis. *Podii* eris; pagus cui diu præfuit & præeſt *Lambertina* Domus Bononiæ præcipua, antiquitate, divitiis & natalibus clariſſima, hodiæ conſpicua redditur ſumma animi præſtan-

stantia, eximia scientiarum cognitione, à *Cornelio* Senatore suæ urbis Patricio, qui verè ad magna peragenda natus apparet. Hic incilis vestigia reperiuntur adhuc, quo Rhenus amnis olim fluebat & ad valles currebat, qui fluvius ad alteram partem Occidentem versus currit ad Padum, tuque, viator, ex Podio ad urbem Ferrariensem recto semper itinere pervenies.

Pars dextera viæ illius, & quæ respicit tum Septemtrionem tum Orientem, euripo Bononiam alluit, & aphractis secundo flumine navigatur, multis fulcimentis ligneis quibus aqua sublevatur plenus, *Corticellæ*, naviculas ingredimur. Ad dexteram hujus incilis apparet Palatium Regio sumptu ædificatum à *Joanne Bentivolo*, olim Bononiæ Regulo: & hinc viator deducitur ad Valles quasdam amplissimas, prope quas nullum datur viatori solamen, nisi hospitium, dicam infame nomine & re à cunctis vocitatum *Madalberge*, hinc ad alias valles transmeatur parvis supra modum naviculis, quas vocant *Sanduli*. Abest Ferraria spatio passuum trium millium, ad quam accedes difficili gressu, nisi equus tibi advenerit in loco dicto *la Torra della Fossa*. Ab hoc euripo si tendimus ad dexteram, sive ad Orientalem cœli partem, sunt loca Mediterranea, pagus *Minerbium*, & magis ultrà oppidum non ignobile *Butrium*, quibus in locis, cum summa planicie gaudeant, ubertate maxima, & affluentia rerum, cannabis potissimum viget, inter omnis Italiæ majoris pretii ac æstimationis; & magis ad Orientem, sive ad Æmiliam appropinquantes, *Mullinella* vicum, *Medicina* pagum offendes, *Ricardiam*que, ubi *Bartholomæus Colleonus* acerrimè cum Mediolani Duce dimicavit, & collatis signis depugnando illum prostravit. Valles ibi reperiuntur, quæ pertinent ad *Argentam* oppidum, & propius Æmiliam est castrum *Guelfum*, ubi Jura dicunt, & dominatione gaudent *Malvitii* Bononienses Patricii, qui famosis imaginibus multis antecellunt,

quique belli gloriâ & rerum præclare gestarum splendore indies clariores evadunt. Posthæc invises loca *Fori Cornelii.*

Dum Æmiliâ viâ ad Flaminiam proficisci volumus, seu Orientem versus, ad dexteram quinque passuum millibus confectis, colles jucundissimos, & verè Euganeos summa animi alacritate videbimus, viridariis, arboribus, Palatiis exundantes. Generant hi colles, magnas, dulces, & virides oleas, omnibus Italicis præferendas, quæ nec Hispanis cedere volunt. Prope hos colles Meridiem versus iter assumitur ad *Florentiam* invisendam & *Tusciam.* Quod si recto itinere gradieris occurret primum *Sapina* flumen, quod superatur ponte lateritiis coctis extructo. Et si ultrà progredieris, eam viam ab *Idice* fluvio divisam comperies, olim ornato pietate Comitissæ *Mathildæ* conte uno magnæ longitudinis, cujus vestigia juxtà apparent. Ad dexteram sunt radices Appennini, & colles villis & vicis pleni, ad lævam autem habebit viator planiciem optimam & superbam, valles, & Ferrariam. Et prope Æmiliam curiositatis indagator perscrutari poterit, ubi civitas *Cliternæ* olim fuerat ædificata, quam quidem reperies in agris Fratrum Dominicanorum sub saxis, cœmento & ruinis latitantem: fuit enim diruta anno CCCL. XXXV à Bononiensi civitate, nimium Cliternæ vicina. Non multum hinc abest *Butrium* oppidum. Cumque iter habueris passibus decem millibus Æmiliam à *Sileto* amne ex Appennino fluente ad valles divisam inspicies ponte quæ trajicitur lateritio, & ibi oppidum *S. Petri* invises, non quidem ignobile, à Bononiensibus ædificatum, cujus incolæ mercaturam exercent maximè herbæ, cujusdam pro tingendis pannis aptissimæ, & vulgò dicitur *Guado.* Ulterius ire prosequentes, super colles ad dexteram *Duciam* castrum videbimus, in quo eminet Comitis titulo *Campeona* domus inter Bononienses clari nominis, ex qua præstantes in scientiarum cognitione, illustrissi-

ſtriſſimi in Principatu Eccleſiæ,& invicti ac militaris animi viri plures emicuerunt. Ex qua cùm eſſet in vivis *Rodulphus* Comes,præclaro inſignium virtutum concurſu, multiplicique optimarum artium eruditione,ad eximium decus ornabatur. Et poſt aliquot paſſus *Paradellum* Cœnobium Patrum Tertii Ordinis S.Franciſci,à Julio II. Pont.Max.liberali impenſa conſtructum offendes, & uno milliario peracto, *Foro Cornelii* requieſces.

Perluſtravimus agrum totum Bononienſem, etſi pauca pro itinere Florentino addenda ſint; qua in re, ut ad amuſſim cunctis faciamus ſatis,addendum eſt, in toto territorio animas repertas fuiſſe anno jam præterito 128414. quarum viri ſunt 37404. mulieres, 42390. pueri, 22464. puellæ, 19489 ſervi, 4820. ancillæ, 1847. Quem numerum dum illi,qui eſt urbis & ſuburbiorum,addimus,videbimus urbem Bononiam ejuſque ſuburbia & territorium alere animas 207395. videlicet ducentas & ſeptem mille,trecentas,& nonaginta quinque.

ITER BONONIA FLORENTIAM, SENAS, ET ROMAM

Caput.

BONONIAM relinques à tergo dum Florentiam petes, exiens ad Meridiem & Orientem, & extra portam *S. Stephani*.iterque arripies planiciem & colles perluſtrando, in quibus Ceres, Pomona, Pan,& Liber lepidè certant, ut ſupra diſſeruimus. Leni greſſu paſſus attolles, & abſolutis decẽ milliaribus, *Planoram* vicum hoſpitiis & tabernis abundantem invenies. Inde ad altiora loca,& tandem ad pagum *Lojanum* accedes,ſuperiuſque vicum, ad quem cum aſper ſit aſcenſus, merito nuncupatur *Scarica l'aſino*, *Ramazotti* olim ſtrenui Ducis patrium ſolum,Occurrit

it deinde *Petra mala* : hinc descenditur ad *Fidentiolam*, (*Fiorenzola*) montibus clausam, pagum non ignobilem, ibi trajicitur flumen. Et ad pinnas, atque ad supremum cacumen Appennini superatis saltibus, telictisque ad lævam immensis profunditatibus, quæ, nisi fuerint viatori penitus invisæ, oculum abripient, & ad se vacillantem hominem præcipitari cogent. Angusta & difficilis est via, & passibus tribus millibus semper ascenditur, nec alicubi datur planicies, aut quiescendi locus quousque tandem in eminentissimum Alpium verticem pervenies, ubi tabernam etiam vilem offendes, quæ lasso dabit requiem. Hinc descendes & *Scarperiam* invenies vicum amplum, & inde amœna loca Hetruriæ oculis plenis conspicies, & *Florentiam* peractis à te passuum quinquaginta millibus Bononiâ relictâ.

FLORENTIA.

Caput.

MULTA se antiquitate efferre haud *Florentia* potest, paucis enim diebus ante Triumviratum exstitisse legitur, aut à *Fesulanis*, quibus regio illa propter Tiberim magis probata fuit, quàm quæ ab ipsis in monte colebatur; aut ab aliis finitimis, qui *Fluventini* vocitabantur, qui in unam, quæ à Romanis facta fuit, coloniam convenerunt, & pro *Fluentia* *Florentia* appellata est, cum totius orbis terrarum flos, nimirum Roma, qui eam colerent misisset. A veritate tamen non est alienum, usque ad Gothorum tempora parvum oppidum Thusciæ dictam esse. In planicie sita est, ab *Arno* que flumine dividitur. A ea parte quæ in Occidentem vergit, patentes campos latitudine milliariorum XL. & amœnos habet. Inter *Pisas* & *Aretium* extat. Eam ab oriente amœni colles fructiferis arboribus referti circumeunt, nec non multis in locis ab Appennino monte altissimo munitur. Est ambitus passuum quinque millium, & formâ potius oblongâ, quàm sphæricâ. Antè muri

can-

Tol. 182.

ACAD.
SCIENT. LITT
ET
LUGD

eam tuebantur atque octo portas habebat, quarum quattuor sibi principem locum vendicabant, reliquæ angustæ erant. Intus duæ & sexaginta turres extabant, quas è summo loco nati viri incolebant. Eas magna ex parte dejecit Gothorum Rex *Totila*, civibusque magnopere incommodavit: deinceps verò à Barbaris aliis, & à Fesulanis admodum exagitata fuit, ut eam habitatores dereliquerint, quo in statu permansit usque ad salutis nostræ annum D. CCC. II. quo tempore *Carolus Magnus* Alpes transmittit, & eius ambitum cum amplificasset, novis etiam muris eam cinxit, in quibus CL. turres, in altitudine C. cubitorum extollebantur; jussitque ut denuo recoleretur. Exinde semper eventus rerum feliciores experta est: libertatem suam retinebat, ac *Guelphorum* & *Gibellinorum* factionibus summis cladibus affecta fuit.

Trisco tempore à Consulibus Magistratu, *Ancianorum* posteà, deinde *Vexilliferorum* gubernata fuit, & multoties sui regiminis habuit vicissitudinem, cum Optimates contra cives, & cives contra plebem, & hæc contra eosdem, usque ad sanguinem decertaverint. Et quoniam acri ingenio Florentini sunt, opum multarum accessio facta est: quamobrem incommoda multa pertulit, cum nemo vellet aliquem dignitate secum exæquari. Multas Hetruriæ & Flaminiæ civitates & vicos sub jugum misit, & præcipuè *Pisas*; quæ Respub in Italia ingentibus viribus polluit. Nunc unius Principis imperio est addicta, eo quod ei libertatem eripuit Clemes VII. licet & illius civis, & illic ortus esset. Aër tenuis est & salubris, & maximè aerium ingeniorum ferax, magno flumine *Arno* fruitur, à quo eam dividi superius diximus, in quo speciosissimi quatuor conspiciuntur pontes, quibus conjungitur, & simul omnibus rebus, quæ sunt opus, est opulenta, propterea quod altis montibus, collibus amœnis, & patenti planicie cingitur. Huc accedit flumen navigabile, sui Principis Aula, latum

latum Imperium, & quòd ferè in media Italia est collocata, & summa industria; quapropter nullum Europæ forum Florentinos mercatores desiderat. Itaque jure Bonifacius Papa XI. quintum esse elementum Florentinos asseruit. Et quoniam, præter Romam, nulla extat in Europa civitas, quæ tot architectos, pictores, & anaglyptes emiserit, quot hæc civitas; hinc profecta sunt tot Palatia, tot templa, tot picturæ, tot statuæ, quæ summa admiratione afficiunt. Extra Palatium *Mercatus novi*, ubi quovis tempore sua negotia cives agere possunt, Mediceorum & Strozzaiũ Palatium omnes in sui admirationem trahit. Regium Principibus Palatium, artium quod admireris offert, pulcherrimis picturis & auro exornatum; in quo depicta summa arte videntur prælia, quæ *Cosmus* Magnus Dux confecit, & quibus hoc imperium imperet. Hujus Regii Palatii fons in platea limpidas aquas effundit, marmoreis figuris Neptuni & Faunorum ab *Ammanato* confectis insignis. *Pitbrum* Palatium, Principis magnificentiam ostentat, pulcherrimis recessibus, viridariis, fontibus, & nemoribus, quæ omnia summam admirationem afferunt. Præterea latens curriculum, quo tuto & clam ad alterum Palatium Princeps transfertur. Sub Regio admiraberis *Perſei* æneam figuram, omni artis excellentia præstantem.

Prope SS. Trinitatis Ædem ingens & sublimis columna extollitur, cujus in fastigio extat Justitia. Eam erexit *Cosmus* Magnus Dux, cui per urbem deambulanti illic de victoria renuntiatum fuit, quam *Melignani* Marchio in Senarum finibus anno M. D. LV. contra *Petrum Strozzium* obtinuit. Strata viarum admodum recta ac benè collocata, ædificiaque ea arte posita sunt, ut meritò inter omnes urbes Italas *formosa* appelletur. Qui graphidii aut architectonices magnitudinem, vel sculpturæ, vel picturæ inspicere amat, singulas Ædes sacras adeat, de quibus satis qui diceret, volumen plenum conficeret, tot tantaque

taque ſunt quæ à præſtantibus viris profecta ſumma cum admiratione conſpiciuntur. At nihilominùs ſilentio non involvam Templum ingens *S. Maria à Flore*, ubi ſepultus eſt *Ficinus*, cujus faciei marmorea effigies cernitur, & itidem *Giotti*, qui tum in pictura tum in architectonica magnopere excelluit: Epitaphiumque legitur; quod ei *Politianus* inſcripſit, Marmorei videntur duodecim Apoſtoli, quos varii ea in facultate præſtantes viri effinxerunt, & illa Ædis teſtudo admodum famâ celebris, quam *Brunelleſcus* deſignavit, quæ præclaris picturis à *Vaſario* & à *Zucchero* innumeris eiuſdem artis inventionibus decorata fuit, auctore *Vicentio Borghino*. Minoris non eſt turris ſacra, campalinè, quod *Giottus* architectatus eſt, ac plurimas exhibet ſtatuas, quas in elaborando principes ſculptores ſibi invicem æmuli extiterunt. Hujus Templi in conſpectu Baptiſterium formâ ſphæricâ eſt, quod veterrimum Templum *Martis* fuit habitum, ubi pretioſis marmoreis lapidibus ſuperbum vas extat, in quo Baptiſmum traditur, cujus oſtia ænea ſunt, & ea arte à *Laurentio Ghiberto* Florentino inciſa, ut in tota Europa præſtet. Hoc in ſpecioſiſſimo & exornatiſſimo Templo ſepulchrum æneum reperitur, quod *Donatellus* confecit, ubi legitur BALTHASSAR COSSA, OLIM JOANNES XXII. Ædes ſacra *S. Mariæ Novellæ* ſtructura inter præſtantiora Italiæ Templa refertur, & undique picturas ſpecioſiſſimas oſtentat. *Michaël Angelus* ſuam Venerem eam cognominabat. Hic inter cetera quæ extant opera inſignia, Conſtantinopolitani Patriarchæ monumentum aſpicies, qui Concilio Oecumenico ſub Eugenio IV. ſubſcripſit. In Cœnobio Prædicatorum Patrum vitam vivebat; ibi enim plurimi ſumma obſervatione Deo deſerviunt. Præter multos qui nunc excellunt annis exactis Cardinales duos, & Antiſtites octo de quadraginta, ſex Beatos edidit. Verùm *Mortuorum clauſtrum*, & Fratrum Capitolium videre ne omittas, architectonice enim & pictura

pictura ita excellit, ut cuique admirationi sit. Ac velim cures, ut ex illis Fratribus unus aut alter tibi imaginem *Joannis Cimabuc* indicet, qui anno M. cc. picturam in Italia restituere cœpit, cùm tot annis antè Græcis pictoribus usi fuissent, à quo, velut à primario Italo fonte, pictores omnes emanarunt à Barbarorum in Italiam adventu. Eo in templo est Sacellum *Gaddæ* familiæ, cum icone, quæ prima in Italia visa fuit. Hoc in Conventu Generalis Synodi sessiones habebantur, præsente tum Græca, tum Latina Ecclesia, Pontifice, & Imperatoribus, nec desiderabantur Orientales quatuor Patriarchæ, Generales. Cosmus M. superior *S. Laurentii* Templum præstantissimum *Donatelli* graphide confecit, cujus sepulchrum in media Æde cum Epitaphio est : PATRI PATRIÆ, DECRETO PUBLICO. In Sacello marmoreis ceterisque imaginibus maximè *Bonarotii* exornatissimo, stant Heroum Principum Mediceæ Familiæ corpora sepulta. Est Bibliotheca, tum Græcis tum Latinis libris referta. Templum *S. Crucis* Patres Minores Conventuales multa frequentia excolunt. Suggestum pretiosum animadvertas omnibus enim Italis anteponitur, unaq; *Leonardi Aretini* monumentum & statuam *Grotii* contemplator.

Verùm est cur magis suspicias *Michaëlis Angeli* sepulchrum, tribus marmoreis figuris supra modum admirandis, quod ingens inter sculptores, pictores, & architectos miraculum. Thensa pro SS. Sacramento, altitudine, specie præ ceteris excellit, quod opus iussu *Cosmi* Magni Ducis fuit institutum, cum organo, cujus duntaxat ars quater millium aureorum est. Quid de Æde sacra *S Spiritus*, ea architectonices cura extructa, tot ingentibus sublimibusque columnis exornata dicam, cui præsident Eremitani Patres? qui peristylium à Græcis pictum inhabitant, antequam Itali penicillo & arte pingendi ut cumque vigerent; aut de Templo *S. Marci*, cujus administrationi Dominicani Patres præpositi sunt, ubi Clau-

stium

ſtrum eſt, quod Græci pinxerunt, cum nondum Itali picturæ facultatem tenerent. Et prætereà ſumptibus maximis ædificatum Sacellum, quod *S. Antonini* Archiep. ſepulchrum ſervat, ſtatuis marmoreis & præclariſſimis ornamentis à viris Principibus *Salviatis* exornatum. Inſuper ibi legitur Epitaphium *Joannis Pici*, qui velut phœnix inter ingenia extitit, licet illius ſepulchrum in Fratrum Conventu ſit poſitum:

Joannes jacet hic Mirandula cetera norunt
Et Tagus, & Ganges forſan & Antipodes.

Conventus Fratres ducentos capit, tot enim fuerunt, *Savonarola* eum moderante; quique ea eſt arte digeſtus, ut quovis tempore, & quolibet, opertus eas, commodiſque nullus ex Italis ei conferendus eſt: & licet domicilia cuncta ſpeciem præ ſe ferant, ea longè præſtat Bibliotheca Græcis & Latinis lectiſſimis copioſiſſima, in auxilium Fratrum ex Obſervantia. Tacitus non præteribo ſacrum *Annuntiatæ* Templum, ita nuncupatum ab imagine, cui Angelus ſalutem dicit, quæ majora opinione omnium miracula profert. Ædes magnifica eſt, auro, argento, ſtatuis, & pretioſis muneribus aucta non minus ac quivis Italiæ locus, uno excepto *Laureto*. Ibi Deo deſerviunt Patres multi, qui Lycæum viris omni ſapientia præditis tuentur, & religioſè degunt in illis ædibus, quæ undique picturis præcellentibus præcipuè *Roſſi* exornantur Has inter plurimas ſacras Ædes ſilentio non præteriiſſe ſatis habeo, tamē meminiſſe juvat etiamnum extare Templa quæ Carolus Magnus erexit. Hæc ſunt *S. Mariam in Campo S. Petrus à Scaragiis, Sancti Apoſtoli*, ubi adhuc illius facies ad vivum formata perſpicitur; & plurimi faciendum Xenodochium Hujuſmodi priorum locorum numero ſunt ei citeriſeptem & triginta, itidem Parochiæ quadraginta quatuor, ſimul annumeratis Prioratibus duodecim. Monachiarum Cœnobia quattuor & quinquaginta connumerantur, & virorum Regularium

larium vinginti quattuor, puerorum novem: virorum plurimæ Confraternitates coëunt, quapropter videre eſt, Italas ferè gentes omnes proclivitate ad Religionem Florentinos anteire. cùm inter Regulares cujuſque generis innumeri ſint. Quamobrem multi è Florentia Sancti oriundi ſunt, inter quos eſt Archiepiſc. *Antoninus*, *Joannes Gualbertus*, *Andreas* Carmelitanus, *Philippus* ex Servis, & alii, qui aut Religiones inſtituerunt, aut reſtituerunt. Florentini fuerunt Leo X. & Clemens VII. Pontifices, quemadmodum Clemens VIII. à Florentino patre ortus eſt; & plurimi extiterunt Cardinales, Præſules, & alii, qui in Romana Eccleſia præſtiterunt. In re militari egregia virtute Duces multi fuerunt, quos inter *Petrus Strozzius*, Franciæ Mareſchallus, famâ celeberrimus fuit. In litteris verò innumeri excelluerunt, ex quibus meminiſſe ſatis eſt *Danthis*, *Petrarcha*, *Boccaccii*, *Calvalcantis*, *Benivieni*, *Politiani*, *Criniti*, *Ficini*, *Palmerii*, *Paſſavantii*, *Dini*, *Garbi* Medici. *Accurſii*, *Leonis Alberti*, *Faccis Uberti*. *Victorii*, *Donati*. *Acciaioli*: & alius maximus numerus ſupereſt. Sed quoniam de multis artificibus egi, ut paucis complectar. dicam, plures eſſe ex Florentia pictores, ſculptores, architectos, quàm qui ex reliqua tota Italia profecti ſunt, quas artes, ut proprias, ſub jure vendicare videtur. Idcircò de graphide altera Academia efloret, altera de vulgari lingua, cujus facultatis & principes & præceptores Florentini habendi ſunt. *Veſpuccius* Oceanum mare navigavit. oraſque non antè cognitas invenit. Florentini tum ad mercaturam, tum ad principatus naturâ idonei ſunt; nec prætermittendum eſt, quòd eo tempore quo Principes Chriſtiani Bonifacio IX. Pont. ſe ſubditos exhibuerunt, ad varios Principes ex Florentinis tredecim Legati ſunt; quemadmodum aliâs, nondum cẽtum anni præterierunt, ex genere *Strozziorum* Legati tres, unus pro Ferrariæ, alter pro Mantuæ Principibus, tertius nomine hujus Reipublicæ. Venetias ſimul

mul convenerunt. Magnæ nobilitatis, & verè illustrissimas habet familias, quarum aliquæ in Galliis titulis & Principatibus potiuntur. Sunt Romæ & Venetiis quam plures aliæ multum conspicuæ. Florentiæ animæ circiter LXXXV. millia vivunt.

Ex ea parte, quæ spectat in Septemtriones, Appenninum Florentia tenet; & quia pars illa montis, quæ impendet illi, ad Meridiem vergit, hinc oblectamentis effloret & sumptuosis locis, qui animos recreare possunt, *Fesulas* usque veterrimam urbem pertinentibus, ubi prodigiorum interpretes antiquitus degebant. Eam condidisse fertur *Atlas* ac *Hercules & Ægyptius* & *Stilliconi* Romanorum Imperatori contra Gothos suppetias tulit, quorum millia centum cæsa fuerunt. Anno D. cum Florentinis contendit, à quibus anno M. XXIV eversa fuit. Familiisque Florentiam transductis, non est restituta, nec antiquitatis vestigium ullum præter Episcopatum, instituit. Hinc & inde in collibus illis præclara ædificia apparent, quæ oblectamenti gratiâ Florentini collocarunt. Cernitur Patrum Canonicorum Regularium Abbatia, S. Dominici Fratrum Cœnobium, viridaria cujusq; generis arboribus scatentia, myrteta, rosaria, vineæ, pini. cupressi, laureta, rivuli limpidas lymphas fundentes: ad summam locus amœnissimus & summæ voluptatis est *Pratolinum* qui non admiretur, est nemo. Hoc *Franciscus* Dux Magnus poni jussit, & exornari rebus illis omnibus, quæ Principi amplitudini & otio esse possunt, statuis, picturis, uberibus fontibus; quæ omnia ea arte disposita sunt, ut inter principes ex Italia locos qui oblectamento animos perfundunt, referendum sit. Superiore in via, quæ Bononiam pergit *Scarparia* vicus est, quem gladiorum, forficum & rerum hujusmodi plurimi artifices colunt; hoc nomine appellatus, quod ad pedes Appennini situs est, Florentiaque millia passuum sedecim abest.

Eâdem iter facienti ad Ortum occurrit amœna Vallis

Vallis, villis & pagis referta, nomine *Mugellano*, quam interfluit flumen *Sava*. Hinc *Dinus* Juriſperitus famâ celebris ortus eſt, ibique otiabatur *Coſmus* II quando Florentiæ Dux indictus fuit, qui ibidem arcem munitam erexit. Palatium inſuper extruxit in *Careggio*, cui adjunxit ambitum amplum quo feræ detinentur ad venationem. Ulterior via *Faventiam* & in *Flaminiam* ducit. Appenniniq; jugum aſcenditur. Ulterius incipiunt *Caſentini* loca, qui à torrenti *Ronta* uſque ad flumen *Arnum*, & ad Aretinum agrum pertinet, qui ager fructuoſiſſimus eſt, & diverſoriis affluit. Magis exortum ſolis verſus ſemper inter colles eſt iter, & in medio Appennino ſacra eſt eremus quam *Camaldulenſes* incolunt. Inferius ſolis exortum ultra *Bibiena* oppidum eſt. Urbinique hinc ager oritur. Verùm ſi Florentiâ Orientem verſus recta profectus fueris, eris in *Caſentino*, & tibi vallis umbroſæ inter montes proſpectus perjucundus erit, ubi *B. Ioannes* ſuæ Religionis fundamenta jecit multò anteriùs & *Umbria* cernitur.

Ab altero vero latere, videlicet Occidentis & Septemtrionis, decem paſſuum millium iter rectum eſt ad Palatium *Poggi Cajani* in amœno colle ædificatum, quod *Coſmus* Dux muris cinxit, & ad ſpeciem arcis redegit à quo non procul parietem in gyrum duxit, ut vallo ſtarent animalia pro venatione. Hujus loci in conſpectu dextrorſum *Pranum* oppidum in Italia facilè princeps extat, ubi panis eo candore confici-tur, ut nivi exæquetur; & Matris Dei *cingulum* conſervat. Propius Appenninum extollitur mons *Murius*, ubi exules Florentinos Coſmus Dux fudit, qua victoria potitus, Principatum ſuum confirmavit.

Itinere millium paſſuum decem confecto. *Piſtorium* pervenies, urbem ſanè exiguam, at pulchram, opulentam, & nobilem, ubi multi ſummâ religione coluntur loci, & potiſſimum Eccleſia Cathedralis, & ædicula *S. Jacobo* ſacra: ſpecioſas lucernas, aromata

& ſe

ACAD.
SCIENT. ET ART.



& sediculas affabrè conficit. *Cyn* magni Jurisconsulti patria fuit, quæque discordiis & intestino bello sæpiùs ad perniciem seipsam deduxit. Fructuoso agro fruitur, & magnam planiciem habet in gyro.

Ulteriùs progredienti Appenninus occurrit, & ager Bononiensis, & *Rhenus* fluvius. In hac urbe si Occidentem inter & Septemtrionem iter converteris, *Grasinianam* accedes, & propior occasum sotis est *Tissia* oppidum sanè ornatum.

Pistorio viginti millibus passuum *Luca* distat, quæ sua libertate potitur, & optimè servat, undique munita, negotiis & industria multa pollens. Quamobrem, licet angustis includatur finibus, tamen copia omnium rerum abundat. Illic Domini nostri Dei Filii sanctum illum vultum & religiosum, miraculis celebrem, & *S. Fridiani* sui Episcopi corpus venerantur. Antiquitate gloriatur, & Romanorum colonia fuit. Eam *Desiderius* Longobardorum Rex quadris lapidibus cinxit; & loci natura, & multis donis munitur: quapropter *Narsetis* obsidium sex menses sustinere potuit. Sub Lucam mare versus Herculis ædis vestigia sunt. Ex Lucensi agro nascuntur homines ad bellum parati, & equorum multitudo nequaquam desideratur. *Serchius* amnis hujus territorium alluit, delicatiori pisce optime affluens Lucâ distans passuum decem millibus *Balnea* apud omnes Italos famæ celebris in pago *Villæ*, cujus meminerunt antiqui.

Florentiâ discedenti Occidentem versus, per planiciem quadraginta passuum millium est iter, primumque occurrit *Empoli* oppidum, & ex altero latere *Fuxechium*, cui propè est ingens lacus, & *Crucifixus* miraculis insignis. Deinceps in media via, quæ Florentiâ *Pisas* ducit, est *S. Miniati* oppidum insigne, quod positum fuit in eminenti loco à Rege Longobardorum Desiderio, & à Germanis, ob religionem ejus Regis erga S. Miniatum.

Pisas usque, quam urbem interfluit, ab latere tuo flu-

flumen Arnum non discedet. Pisarum urbs vetustissima est, & multo ante Romam à Græcis condita, de quibus non in unam sententiam Scriptores loquuntur. Ex duodecim Hetruriæ urbibus extitit: in mare multum valebat: contra Ligures magnas victorias sibi comparavit, Carthaginem sub jugum misit, Romam Regem suum deduxit, & Sardiniam in suam ditionem vindicavit: Panormum urbem Siculam Saracenis præripuit, Majoricæ Regem interfecit, & quo Terra sancta potirentur, Gallis auxilio fuit; ad Regem Jerosolymæ contra Saracenos quadraginta triremes auxilio misit, sæpiusque Pontificibus in labore opem tulit. Diu imperio, opibus, & prudentia ita felix fuit, ut S. Thomas in Tractatu de Quattuor rebus, eam inter potissimas quattuor urbes connumeret. Verùm à quo tempore Pisani in gratiam Barbarussæ Imperatoris Antistites multos Lugdunum ad Synodum proficiscentes interceperunt, semper deteriores rerum eventus experti sunt, itaque libertatem & vires amiserunt, mediocremque eam urbem dixeris, si quæ fuit olim perpenderis. Generale studium aperit, & Doctores omnium fama celeberrimos semper habet. Equitum S. Stephani Pisis est domicilium, ita quod tum horum Nobilium prospectu, cum Gymnasii amplissimi excellentia, urbs satis decorata prospicitur. Loci facies pulcherrima est; etenim non aliam eam videre videor, quam Plato urbem suam desiderabat. Procul à mari, millibus passuum quattuor, licet circiter octo modo distet, collocata fuit, ita ut in mari non sit, at propinqua: non in monte, at proximè in planicie sita est, & ab *Arno* flumine Regio dividitur, at & idem Plato jubet. Præterea insignibus quattuor & apud omnes homines admirandis rebus gloriatur, æde nimirum *S. Joannis*, Ecclesiæ Cathedrali turri sacra; quæ mira quidem architectionices arte septem cubitis incumbit, speciosa, & exorta. Eadem Ecclesia Cathedrali, cujus fundamenta jacta fuerunt manubiis, quas ex Sa-

Saracenis Panormo pulsis retulerunt. Postremum est *Campus sanctus*, tunc institutus, cum Barbarussæ Imp. Terræ sanctæ bellum inferenti triremes quinquaginta Pisani miserunt. Verum cum vitam in undis fluminis ille amisisset, navilia Terra sancta repulerunt, quam in hoc Cœmeterium contulerunt. Pisarum ex altera parte *Luca* est, ex altera vero *Liburnus portus*. Funditus eam Florentini anno M. D. IX. everterunt; quamobrem multi Pisanorum optimates alio emigrarunt, & fere deserta fuit.

Si Florentia Senas, & inde Romam iter habes, per portam, quæ in Meridiem spectat, egreditor, per quam Carolus V. olim ingressus fuit de Africa triumphans, non procul occurret Carthusiensium nobile Cœnobium, in quo B *Nicolaus Allergatus* Cardinalis, & Nicolai V. P. M. Mecænas tumulatur. Hinc *Cassianum* pagum, & *Tavernellarum* & *Stagia* vicos pervenies, qui inter se distant passuum novem millibus; & recto itinere gradieris, hinc & illinc colles amœnos, & planiciem fructiferam prospiciens. Hujus itineris ab latere dextro in eminenti colle *Certaldum* erigitur *Joannis Boccacii* solum, qui pedestris eloquentiæ in patria lingua primus sermones inchoavit & absolvit. Sepulchrum ejus cum marmorea effigie in Templo maximo *Certaldi* conspicitur, insculptis his carminibus:

Hac sub mole jaceret cineres ac ossa Joannis
Mens sedet ante Deum meritis ornata laborum,
Mortalis vitæ genitor Boccacius illi,
Patria Certaldum, studium fuit alma Poësis.

Ulterius, & mediterraneum est *S. Geminiani* oppidum insigne, quod vina vernatica lautissima effert, & speciosis Templis, Palatiis præclaris, virisque illustribus, & bona indole condecoratur. In fructuosissimo & pulcherrimo monte stat, unde fertur videri Florentinum Archiepiscopatum, Senarum, & Pisarum, insuper Volaterranum Episcopatum, Lucæ, Pistorii, Mutinæ, Bononiæ, Fesularum, & Aretii.

Ulterior Occidentem versus extat *Volatera*, annis c. ante Trojæ excidium, D. ante Romam ædificata. In sublimi monte sita est, cujus ad jugum trium passuum millium est iter, Muri ferè omnes in longitudinem pedum sex patent, quadri sunt, & sine bitumine coëunt: quinque portis aperitur, quarum ante singulas fons est, purissimas lymphas emittens, & in urbe duo exiliunt fontes multis antiquitatis vestigiis, statuis nimirum, Epitaphiis, & elaboratis lapidibus insignes. Magnò Hetruriæ Duci subdita est, & sulphurariis aquarum copia uberrimoque agro fruitur. Hæc *Persii* Poëte, & aliorum, qui de re litteraria benè meriti sunt, patria est.

Florentiâ Senas proficiscenti sinistrorsum obviàm est *Ancisa*, unde *Petrarcha* originem duxit. Ulterius *Fighinum* est, & alia oppida præclara.

At si ad Orientem perrexeris, *Aretium* pervenies, in planicie gratiosissimum, & inter duodecim Hetruriæ urbes relatum. Romanis in triginta millium aureis auxilio fuit, & [illegible] in Africam ituro frumenti modios centum viginti mille dedit. Vicissitudine suorum Principum multum detrimenti perpessum est, & diutinum Hetruriæ spectaculum miserabile extitit, quoad Cosmus Dux Florentiæ ejus administrationem recepit; ab eo enim tempore restitui cœpta est. Romanorum tempestate fictilia vasa Aretina, quæ in Italia effingebantur omnia excellebant. Aretinæ ædi sacræ sub *Valentiano* Imp. *Zenobius* Tribunus dotem dixit, quod in illius Templi lapidibus incisum legitur, in quo Martyrum *S. Laurentii* & *Peregrini* ejusdem civitatis concivium corpora venerantur, & *Gregorii* X. Pont. Max. miraculis clari. Hinc ortus est Mecænas litteratorum præsidium *Guidus*, qui concentum in notis. *Ut, re, mi, fa sol la*, excogitavit, *Leonardos Coma*, *Tortellius*, *Accolitus* Cardinalis, & alii, quorum ingenia summis laudibus ex ornata fuerunt; aër enim tenuissimus est. Cures, ut domus Petrachæ tibi demonstretur; adhuc enim

extat,

ACAD.
SCIENT. LETT.
ET ART.
LUND

Pl. 195

extat. Aretio relicto ad *Tiphernatum* urbem viator progreditur, quæ *Castelli civitas* à nostratibus vocitatur, & ab ea in Ecclesiastica ditione ingreditur.

Si ad viam regiam, qua Florentiâ Senas accedimus, post *Staggiam*, *Bonitium* (*Poggibonzi*) oppidum offendes, & si oculos attolles, *Podium Imperiale* (*Poggio Imperiale*) aspicies, arce optima à Florentinis extructa munitum: deinde *Asciæ* pagus stat in ipsa via, & Senatum hospes deinceps eris.

SENÆ.

Capug.

HÆC urbs, quæ *Senæ* appellata est à *Senonibus* Gallis, qui, cum contra Romanos essent in Italia sub *Brenno*, eam altis cinctam ripis, mœnibus fortissimis ac validissima arce in colle, ædificarunt, & à Romanis colonia est effecta. Quamobrem Romano Imperio primum, ut aliæ civitates, fuit subjecta; sed temporis intervallo parta sibi libertate, unum tamen Imperium recognoscens, cum *Florentinis*, quibuscum verus illi æmulatio erat, pugnans, victoriam insignem reportavit Et licet à *Petruciis* suis civibus primariis exagitata fuerit, libertatem tamen denuo sibi comparatam, usque ad annum M.D.L. V. conservavit, quo tempore Florentiæ Duci sese dedidit, à quo præsenti tempore gubernatur. Cœlo admodum subtili ac purgato subjacet, nec aquarum copiam desiderat; idcirco fons ille, qui *Branda* nuncupatur, non mediocrem spectantibus affert admirationem. Hinc in suo Inferno *Danes* illum est admiratus. At non minoris Palatia multa ducenda, inter quæ *Piccolomineæ* familiæ illud à *Pio* II Pont Max. quadratis lapidibus constructum, omnium illustrissimum existit. Platea multis quidem de caussis insignis, eo etiam magis est conspicienda, quod tali est artificio collocata, ut quotquot in ea deambularint, ad unum possint à quovis intueri. In *Compio regio*, Regio quidem, quo vocatur, nomine dignum Templum est

S. Dominici, in quo præter *S Catharina Senenſis* venerandum caput, multa Sanctorum corpora ſervantur, & ibi à Prædicatoriis Patribus religioſiſſimè Deo ſervitur. Magnum præterea pro infimis continet hoſpitii locum, qui ſtructuræ nobilitate inſignis quidem, pio tamen etiam munere, & inſervientium ordine extat ſingularis. Sacra primaria ædes, Beatiſſimæ Virgini Dominæ noſtræ dicata, pretioſiſſimis marmoreis lapidibus erecta, ſingulari artificio conſpicua apparet. Ejus pavimentum à *Duccio* pictore celeberrimo inceptum, à *Beccafumo* tandem perfectum eſt Ante S. S. Euchariſtiæ Sacramentum octo perpetuo cerei albi & purgati adſtant accenſi, quorum quattuor ab *Ava* nobiliſſima Magdeburgenſis Saxoniæ civitatis muliere jamdudum fuerunt imperati, quæ ut Deo ſerviret, in Senenſem ſeſe recepit ditionem, & Monialium *D. Benedicti* habitum ſuſcepit, ædificavitque in inſula Abbatiam, obiitque in ſuo Monaſterio, nunc diruto, ſuper montem *Madium* ab ea ædificato. Multorum fuit hæc urbs ſanctimonia inſignium virorum patens, præſertim vero *S. S. Bernardini* Confeſſoris, & *Catharina* Senenſis, Beatorumque *Joannis Columbani* Jeſuatorum fundatoris, *Jacobi* Dominicani. Fuerunt Senenſes viri pietate excellentes qui Canonicorum Regularium S. Salvatoris, & Mnachorum *Montis Oliveti* Familias inſtituere.

Itidem Senenſes fuerunt, qui dicti ſunt *Pii* nomine Pontifices II. & III. nec non etiam *Alexander* III. Pontificæ ſummæ dignitatis acerrimus defenſor, validuſque Sedis Apoſtolicæ propugnator. Multi Purpurati Patres, quos etiam *Cardinales* appellamus inter quos noſtra ætate emicat vigetque *Barbeſius*, qui morum, doctrinæ, ac prudentiæ præſtantia, purpurâ, qua inſignitur, apparet digniſſimus; & plurimi Epiſcopi, aliique Præſules innumeri, & *Vgo* tum Philoſophiâ tum medendi ſcientia ſingularis, cujus cadaver Ferrariæ requieſcit; *Marianus Socinus*

Senior,

Senior, omniscius *Junior*, Antesignanus Juris peritissimus, duo *Piccolomnei* Philosophi celeberrimi,& *Claudius Ptolomæus*. Neminem latet, quanta sit Universitas sive Gymnasium Senense, quibusque commodis,& scientiarum coryphæis fulgeat. Ad omnes necessarios usus accommodatissimi sunt Senenses,& mirificè præ ceteris ad percipiendas doctrinas natura ipsa duce instructi videntur. Academiis pro Italica lingua exornanda decorantur Senæ, & doctissimos in hoc scientiæ genere erudiunt plures. Et ne quidquam deesse posset, quod ad ipsius laudem facere videretur, multos etiam strenuos præclarosque Duces procreavit. Ager ejus necessariorum omnium ad humanam vitam percopiosus, & demum civitas est maximi facienda,interque Italiæ insigniores obtinet locum A *S. Ansano* Romano cive, qui martyrii palmam fuit adeptus,ab idolorum erroribus ad veram Christi Religionem conversa est. Præcipua devotione Deiparam Virginem colit veneraturque, quamobrem hunc versiculum in suo continet Sigillo.

Salve ô Virgo, Senam veterem quæ cernis amœnam.

Occidentem versus, sive ad ejus dexteram, quà Romam pergitur, *Volaterrana* ditio sita est,& inferius littora *Tyrrhena*, quæ ad septuagiota millium passuum longitudinem cum pabulorum tum frugum abundantia extenduntur. Cœlum in hac regione ita immane est ac pernicioſum ut ei pauci incolæ subjaceant. Quamobrem nulla ibi quæ insignia sint loca inveniuntur, præter *Massam*, urbem pervetustam, & inferius penes mare *Statonum*, quod dicitur *Scarlino*. Itaque ad regiam redeunti viam, primum videntur *Benconventus*, ubi *Henricus* VI. Romanus Imp.excessit è vita: deinde vero ad dexteram in excelso monte occurret *Mons Illicinus (Montalcino)* qui cœli temperie & benignitate optimisque vinis nominatur:& multis quidem de causis dignum est oppidum & amplissimum, & civitatem æmulari videbatur.

Alia parte, duodecim millibus paſſuum *Montis Oliveti* celebre Monaſterium abeſt, in quo Religio ea, quæ hoc nomine dicitur, tamquam è primis feminibus coorta eſt. Eſt autem Abbatia multis rationibus inſignis: non ſolum enim ædificiorum ſtructura, ac loci ſitu, verum etiam Monachorum numero religioneque, qui eo loci vitam degunt, eſt celebranda. Prope *Buonconventum* flumine *Oſa* tranſito, itur ad *S. Quiricum* caſtrum excelſo loco collocatum, & hoc (ut ajunt) nomine appellatum, quod ibi Templum eſt illi Sancto à vetuſtiſſimo tempore dicatum. Hac via montium radicibus fit iter, in quibus *Radicofonum* locatur, cui à Longobardorum Rege *Deſiderio* nomen hoc traditum fuit. Locus hic in altiſſimo colle ædificatus, & veterem arcem continet, & illi à *Coſmo* Florentiæ Duce (cujus imperio paret) alia nova paucis ab hinc annis addita eſt. Hic patrimonii fines extiterunt, quod à Comitiſſa *Mathelda* Romanæ Eccleſiæ fuit reſtitutum. Hic etiam ardui aſperrimique, nec inferiores Appennino montes extolluntur, inter quos *Balnea* ſunt *D. Philippi*, & *Roſella* civitas extitit jamdudum. & Senenſis agri adſunt fines, & *Arbiæ* fluminis initium reperitur. Inter oppidum *S. Quirici*, & fluminis tranſitum ad lævam *Pientia* urbs occurrit, quam, cum *Corſianum* diceretur, *Pius* II. Papa, qui ex ea in lucem editus eſt, à ſuo nomine *Pienam* voluit nominari. Ulterius in excelſo difficilique monte eſt *Cluſi* civitas, quæ duodecim illarum urbium, quas primas Hetruria continuit, una fuit. Hic *Porſenna* Rex Hetruriæ voluit ſepeliri qui inextricabilem labyrintheum errorum, aliaq; ædificia fabricavit, quæ millibus ab hinc annis ipſa ſunt penitus deſtructa; jam vero ea urbs paucos hac ætate, eò quòd inter montes jaceat, incolas habet. Altius ad Septemtrionem *Mons Politianus* invenitur, urbs non vetuſta quidem, ſed nobilis ac frequens. In amœno colle ſita eſt, fructibus abundat, & vinis albi coloris, & præſertim vernaticis gratiſ-

gratissimis *Marcellum* II. Pontif. Max & Cardinales edidit in lucem. *Taurusium*, & *Robertum Bellarminum* ipsius *Marcelli* ex sorore nepotem, qui spectatæ sinceræque vitæ gravitate, ingenii præstantia & acumine, per suas numquam satis laudatas & uno ore commendatas Controversias Novatorum opiniones acerrimè confixit. *Agnetem* Beatam ex filiabus *D. Dominici*, sanctitate insignem, & nunc gratiâ *Clementis* VIII. Pont. Max. Officiis in Ecclesia peragendis celebratam, generavit hæc civitas. Præter vero hoc, aliaque multa digna loca urbem Romam versus effluit *Tiber*.

Ex altera viæ parte, qua itur è *S. Quirici* castro ad *Albiam* flumen *Petrolum* invenies, cui balnea sunt, quibus ex antiquissimo Romanorum tempore Senenses uti consuevere; nec non flumen *Osa* reperitur, penes quod oppida multa sunt non contemnenda, maritimumque littus; non autem procul admodum à mari apud flumen prædictum iacet *Grossetum* urbs à *Cosmo* Florentiæ Duce inexpugnabiliter munita, & est Senensis urbis jurium. Ex hac parte, & ad *Radicofani* conspectum, surgit altissimus mons *Tamiatus*, glandibus abundans cujus ad radices coccum habetur ad purpuram tingendam. Nec non sub his montibus Terra *S. Fioræ* adiacet, Sforziâ familia, purpuratis Patribus, Ducibus, Heroibus & Heroissis, qui prodiere, & hoc tempore vivunt atque vigent, celeberrima. Et longius regiam versus viam locus competitur pulcherrimus, qui eo quod à dictis Nobilibus *Sforziis* pulcherrima structura, maximisque tum piscationis, tum venationis, aliarumque voluptatum commodis est ædificatus, ipsorum gentilitio nomine vocatur.

Sæpius in hoc itinere *Pallia* tibi flumen erit transeundum, quod sæpissimè maximi est periculi; sed antequam illud incipias transuadare, *Centinus* tibi *Pons*, ubi olim *Sentina* castrum, cujus *Cato* mentionem fecit, nunc vero pagus, obviam fiet; & *Pons*

dicitur, quia prope hic flumen tranſmeatur. Poſt autem tranſactum *Pontem* non multorum milliu̇m paſſuum iter nere *Aquampendentem* invenies, terram inſignem; quæ eo quod in pendenti loco ſita eſt, aquarum abundantia copioſâ. *Aquæpendentis* nomine appellatur. Eadem via ſatis amplum *S. Laurentii* oppidum comperies, ultra quod *Volſinii* caſtrum ad ſiniſtram lacus ſitum eſt: & quamquam non bene affecto cœlo ſit ſubactum, incolis non mediocriter abundat. Fuit autem ædificatum in ruinis unius ex duodecim primis illis urbibus Hetruriæ, nomine *Volſinii*, quam anterius captam vetuſtiſſimis temporibus, *Decius Murena* à Romanis miſſus priſtinæ reſtituit libertati. Hoc in loco Plinii ætate oleæ eodem quo plantabantur anno fructus efferebant. Et quidem ejus oppidi ager maximè fertilis eſt, & vinorum, præſertim Appianorum. Hic *B. Chriſtina* virginis venerabere corpus; nec ipſus veſtigia videre parvi facias in lacu, è quo incolumis xiit, cum in eum Chriſti; quem adamabat, amore fuiſſet à Paganis injecta. Hoc eodem in caſtro ſanguinis ex conſecrata Hoſtia, maximum illud ac ſingulare accidit miraculum in manibus ejus Sacerdotis qui de illius rei veritate dubitabat. Corporale vero ſuper quod ſanguis effluxit, in *Urbe veteri (Orvieti)* aſſervatur. Multos hic marmoreos lapides aſpicies litteris vetuſtis exaratos, & in lacu inſulam anguſtam quidem, cujus anguſtiæ proſpicit abunde fertilitas, in qua Religioſorum Patrum parvum eſt Cœnobium, cujus in Eccleſia *Farneſiorum* cadavera ſepeliuntur. Imo vero hoc loco *Amalaxiuncta* Regina, *Thædahati* Oſtrogothorum Regis Imperio interfecta fuit, quæ eximiis virtutibus, ac morum integritate maxima veneratione extitit digna. Tanta egregiæ illius mulieris erat ſermonis ſuaviloquentia & facundia, ut ii, qui extremo capitis ſupplicio eſſent condemnati, ſi ipſam audiviſſent alloquentem, ſummum ex melliſluis ejus verbis ſolatium, & magnam pectori conſtan-

ſtantiam perciperent, ita ut vitam omnino contemnentes, mortem non cordato ſolum pectore, verum etiam intrepido & libenti animo ſubirent.

Ad ſiniſtram lacus hujuſce *Urbs vetus* (*Orvieto*), & *Balneoregium* (*Bagnareo*) adſunt civitates; & ulteriùs *Tuber*. Ad dexteram autem *Sona* urbs, *Gregorii VII* Pont. Max. patria, nunc pæne deſerta: & inferius *Tittilianum* Urſinæ familiæ, *Farneſiumque* Farneſiæ Domus oppida non ignobilia. Et magis inferius *Caſtrum* urbs eorundem Farneſiorum titulo Ducis, rupibus caverniſque obſita permultis ſed à Farneſiis optimè munita. Hinc mare verſus *Thalamon Orbetellum*, ſive *Coſſa*, *Mons Volcentanus* (*Monte Argentaro*) *Fortuſque* demum *Herculis* inveniuntur, celebres loci Regis Hiſpaniarum. Ex lacu prædicto optimi piſces extrahuntur, ex quo etiam *Marta* amnis effluit, qui fluit ad mare, & cujus ad dexteram *Aſcanius* Æneæ filius oppidum ædificavit, quod etjam adhuc eſt, & *Aſcania* olim dictum, nunc *Tuſcanella* nuncupatur; & ſuper ipſius januam nonnulli verſus leguntur pervetuſti, qui ipſius originem declarant. Sed viâ, quæ Romam tendit, ab oppido *Volſini* ad lucum Vulſinenſium pervenitur, in quo ſolemni pompa, ac multis cæremoniis *Junoni* ſacrificare veteres conſueverunt. Præter hunc locum in excelſo monte urbs jacet, quæ dicitur *Faliſcum*, quæ ab *Alexio Argivo*, eſt ædificata, & ideo antiquitate maxima gaudet, & loci ſitu optimo; quamobrem à *Camillo* expugnari non potuit. Olim caput erat *Faliſcorum*, nunc non magni momenti, & vinis optimis abundat, & *Monte Fiaſcone* dicitur. Inde in latam planiciem pervenitur, in qua *Viterbium* eſt ædificatum, quod nomen eſt novum quidem, cum *Vulſinia* aliàs diceretur; ſed *Deſiderius* Rex Longobardorum, cum proximis aliis duobus caſtris adjunxiſſet, *Viterbium* appellavit. In hac urbe ejuſdem Deſiderii edictum in alabaſtrino lapide cernitur inciſum.

Capug.

In platea aquarum abundantia magna profluit: ædificia multa continet perpulchra, & in Cathedrali Ecclesia Summorum Pontificum corpora conduntur sepulchris, Joannis XXI. Alexandri IV. Adriani V. & Clementis IV. Extra urbem vero spatio passuum mille Templum est B. Dei *Genitrici* dicatum, sub nomine *Quercus*, maximæ quidem religionis, eò quòd multæ ibi à petentibus gratiæ impetrantur, & in eo Patres Dominicani Deo famulantur ut etiam in urbe, in *S. Mariæ de gradibus* Monasterio. Extant sacræ ædes *S. Rosæ*, ubi hujusce Beatæ corpus adhuc integrum servatur. Viros urbs ista peperit doctrinâ & dignitatibus Ecclesiasticis insignes, quos inter *Joannes Annius* Apostolici Palatii Magister fulget. Optimo gaudet agro, & undecim fluminibus, qui semper aquis abundant, è quibus pisces optimi extrahuntur. Sunt etiam multi calidarum aquarum fontes, è quibus sunt balnea illa pernobilia, quæ *Buricani* vulgò appellantur. Ubi nunc *Viterbii* civitas est, Viterbienses olim *Hetruriam* civitatem asserunt fuisse, à quo *Hetruria* regio dicta fuit, quæ *Tuscorium* usque longè patet. Eam autem veteres inter civitatem & regionem differentiam adhibebant, quod civitatis nomen absque aspiratione, Provinciæ verò cum ea scribere consueverunt. A *Lano* ædificata fuit, totiusque Provinciæ caput erat.

Via qua Romam tenditur, ad dexteram in *Martæ* fluminis ripa, quod è lacu effluere jam diximus, *Corythi* urbs prætermittitur, quæ in colle sita tribus millibus passuum à mari longe abest.

Ejus insigne *cornu* fuit unde modo *Cornetum* appellatur, & antiquitus *Castrum Inui* dicebatur, hoc est *Pan*, cui fuerat dedicata civitas ab Hetruscis. Multa eo in loco extant vetustatis indicia, licet angusta sit, quod à regia via procul abest.

A *Coryto*, seu *Corneto*, ulterius procedens in mediterraneis locis *Tulpiam* invenies, è cujus montibus elici-

elicitur alumen,& longius in maris littore *Centumcellas*, quas nunc dicimus *Citta vecchia*, quæ portus cum ſit, eſt arcis in morem communita; ſed quoniam cœlo ſubjacet iniquo, incolas habet non multos.

Ad ſiniſtram autem regiæ viæ multa ſtant oppida, & civitas *Horta (Horti)* urbs vetus quidem, ubi ex hac parte Hetruria terminatur. Ulterius *Tiber*, eſt, lacus *Vadimonis*, de quo pluta miranda leges apud Secundum Plinium ult. libro ſuarum Litterarum. Iis in locis ſtat *Baſſanellum* oppidum *Malianum*. *Civitas Caſtellana*, *Galeſium*, & *via Flaminia* ex Arimino protenſa *Romam* uſque.

Vix *Viterbio* relicto montem *Cynum* adcendes eminentem,graviaſcenſu, in cujus cacumine habetur oppidum *Canapinum*,ad lævam viæ mille paſſibus diſtans. In eo monte viderunt priſci *Corythi* oppidum, nunc dirutum, à *Corythe* Tuſcorum Rege ædificatum: ſimiliter ſilva ſupra modum opaca, quæ timorem omnibus inferebat, & in ea nullum itineris veſtigium habebatur, & protinus invia erat quaſi *Hercinia* foret, aut *Caledonia*; nunc, ſublatis arboribus, cunctis pervia eſt apertaque. In radicibus montis *Cymini* Auſtrum verſus, eſt locus *Cyminus* à Virgilio libro 7. Æneid. nominatus, nunc dictus *Lacus Vici*, cum ei *Vicus* pagus adſtet,& Ptolomæi tempore *Ficus Elbii* vocabatur. Oppidum *Sorianum* adjacet monti, cum arce inexpugnabili, à qua vix annorum ſexaginta ſpatio Britanni milites expelli potuerunt.

In via quæ Romam ducit, *Roncilio* pagus non ignobilis occurrit, cui inferius adhæret *Capranica*,& propius verſus mare *Sutrium* civitas vetuſtiſſima, cum ſuos ædificatores agnoſcat *Pelaſgos* Græcos ante *Saturni* adventum in Italiam, quæ à Livio *Romæ periſtylium* dicitur, cujus opportunitate valebant Romani Hetruſcos invadere. Hic propè Romanis cedentibus,profligati ſunt Umbrorum & Hetruſcorum

ium mille ſexaginta. Habet *Satrium* aërem inſalubrem, paucoſque incolas. Supra *Roncilionem* ſpectandus eſt *Capparolæ* pagus, ubi ædes apparatu, ſtructura & magnificentia mirabili, nec quidquam oblectamenti deſiderari poteſt quin hic reperiatur, ab *Alexandro* Cardin. *Farneſio* poſitus Nempe civitas non multum diſtat, cum Romanis Annibale afflictis ſuppetias ferre abnegaſſet, pœnis mulctata fuit in duplum. Civitas eſt non magn facienda.

Iterum via magna incedentes, *Roſulum* pagus inviſitur, cui propè haberur lacus magnæ profunditatis. Ad lævam *Campagnanum* eſt, pagus itidem, paſſuum duobus millibus diſtans. In Ipſamet via conſpicies ſtagnum ex quo ad Tiberim fluit amnis, & *Cremeram* oppidum ibi contemplaberis à *Fabiis* olim erectum, poſteà à *Veientibus* dirutum, quo in loco Vejentes ipſorum Fabiæ familiæ CCC. VI. & famulorum D. trucidarunt. Inde *Baccanum* viculum pro itinerantibus perluſtra, & *Silvam Meſiam*, à noſtris vero *nemus Baccani* vocitatam, retroactis temporibus viris ſicariis & latronibus plenum, maleficiis & omni facinore inſignem, ita ut proverbio dicatur, dum tumultus vel turbationes ſignificare volumus: *Pare, che ſiamo nel Boſco di Baccano*. Hoc tempore iter planum eſt, tutum omnino, & non ſuſpectum, Pontificum maximâ ſolertiâ & juſtitia.

Ad dexteram hujus loci, mare verſus, *Anguillaria* ſita eſt. Comitatus titulo gaudens, multi nominis & famæ, cum ejus Reguli Italiam præclaris victoriis decoraverint, nunc ab Urſinis poſſidetur, Inferius etiam Urſini ipſi *Braccianum* habent oppidum illuſtre, prope lacum *Bracciani* conſtructum, quod etſi à Romanis multa fuerit perpeſſum, à ſuis tamen Domicellis gloriâ ſit conſpicuum, & Ducatus eminet faſtigio. Ab eo lacu effluit amnis *Laurus* (*Arone*) à quo Romani in urbem aquam *Sabbatinam* ducebant: hoc nomine appellata, quia lacus dicebatur *Sabbatinus*, à regione *Sabbatia*, antea à *Sabbatio Sanga*, patre Sabbi,

Sabbi, quem Sabini & Samnites genitorem agnoſcunt. Hic propè fuit antiquitus *Tarquinia* urbs à *Tarconte* extructa, qui primas duodecim urbes Hetruriæ ædificavit, cum *Turreni* filii *Atis* vices gereret Et cum ampliſicata foret, à Romanis *Tarquinia* dicitur, ex quâ poſteà *Tarquinii* Reges prodiere. Obtulerunt vela pro tritemibus huius urbis cives Romanis, cùm in Africam Scipio tranſmeare vellet, & de ea Silius libro 8. *Corſona ſuperbi Tarcontis domus.*

Magis ad mare eſt *S. Severæ* Monaſterium arce communitum, & *Cerium (Ceri)* oppidum deinde Mare mediterraneum.

Ad lævam viæ regiæ, eſt Flaminia via, Relicto *Baccano*, inviſes poſt ſex milliaria *Inſulum* vicum, deinde *Stortam* viculum, & peractis paſſuum ſeptem millibus, Romæ in communi patriâ fueris.

Itinere alio Romam accedere poſſumus Bononiâ, videlicet *via Æmilia*, in qua ſunt *Forum Cornelii*, *Faventia*, *Forum Livii Ceſena*, & *Ariminum* urbes, quas quidem deſcribere volebamus una cum ſuis mediterraneis, at properante Chalcographo, illas inviti prætermiſimus.

ITER MEDIOLANO CREMONAM, MANTUAM, FERRARIAM, ARIMINUM, USQUE.

SI Mediolanenſi ex urbe proficiſcenti, *Cremonam*, aliaque loca ſita extra Æmiliam viam, videre animus tibi perſuaſerit, ubi Laudam Pompejam perveneris, *Cremonenſi* porta egrediens ex urbe, & ad *Abduam* fluvium deflectens Orientem verſus, multos pagos invenies, & duodecim millium paſſuum itinere confecto, *Caſtillionem* cernes, terram optimam, multiſque privilegiis inſignitam. Inferius vero, quo in loco *Abdua* cum *Eridano* undas commiſcet, ineſt *Caſtrum novum*, qua *Picceleonem* nobile oppi-

oppidum adibis, ubi *Franciſci* Galliæ Regis Ticini ab Imperialibus capti locum intuebere, ubi detentus fuit. Poſtque milliaria quindecim recta facilique via pervenies *Cremonam*.

CREMONA.

CREMONA eſt in plaga Occidentali, & climate ſeptimo, ac regione ſalubri gaudet, ſe protendens oblique in longitudinem à Meridie ad Septemtrionem, & in latitudine ab Ortu ad Occaſum, ſpatio paſſuum circiter bis mille quingentorum, circumdata pro parte mœniis, aggeribus, vallis ac foveis, & propugnaculo ante eam ad Ortum, circumſepto muro conſtructo ex lateribus coctis & calce, quinque portas habens. Suos primos ædificatores non agnoſcunt Cremonenſes, quamvis originarii, & coloni Romani, dum ipſis eorumque Imperatoribus paruerint, & poſtquam ſe in libertatem vindicarint, & in ea perſeveraverint, & ſemetipſos gubernarint. Imperium gubernantibus *M. Anton. Lep.* & *Aug.* multa adverſa perpeſſa eſt, cum præda fuerit militibus, unde Maro potuit dolenter ſcribere.

Mantua vah miſeræ nimium vicina Cremonæ.

Quæ fuerit ejus mala conditio, dicente *Cornelio Tacito* audiatur. Illam barbarè Gothi, Longobardi, & Slavi afflixerunt & penitus evèrſa fuit anno ſalutis DC. XXX. Tranſactis deinde annis DC. à *Federico Ænobarbo* funditus diruitur & deſolatur. Poſtque mala reviviſcere cœpit, & ſua libertate frui, donec civilibus odiis denuo agitatam *Ubertus Palavicinus* ſubjecerit: quo expulſo, Reguli *Cavalcabos*, vel *Ponzonius*, vel *Fundulius*, vel *Vicecomes* in ſervitutem redigunt, ſeipſos inſequentes, & civitatem ad ruinam deducentes, quoulque *Veneti*, *Galli*, *Sforziada*, & *Hiſpani*, vi & armis ſuam fecerunt, ex quibus Rex Hiſpaniarum Cremonæ Dominus & Princeps ſolus in præſentia exiſtit & agnoſcitur.

In gratiam *Fundoli Sigiſmundus* Imp. conceſſit pri-

privilegium ut posset haberi Cremonæ Gymnasium, in quo vacarent homines scientiis, & eisdem fruerentur gratiis quibus Luteria & Bononia.

In ipsa civitate domus amplæ, dicam & Palatia quamplura videntur excelsa, & mira fabricandi arte constructa, inter quæ eminet illud *Affaitate*, & *DD. Trettorum*, & illud Episcopi, Prætoris & Jurisconsultorum. Nobile est forum majus Capitanei, piscarium, boum; multæ sunt plateæ, viæ latæ, multa viridaria & horti. Tam intra quàm extra urbem sunt molendina descendente ab euripo publico *Cremonella* aquæductu. Turris omnium totius orbis altissima conspicitur, in cujus summitate steterunt simul *Joannes* XXII. Pont. Max. & *Sigismundus* Imp. unà cum *Gabrino Fundulio* urbis Regulo, qui postea de seipso conquerebatur crudeli animo inflatus, quod præclari facinoris occasionem prætermisisset, cum & Papam & Imperatorem ea die à summo turris adimanon præcipitaverit, *Herostrati* exemplo, qui *Dianæ Ephesiæ* templo ignem apposuit, ut perpetuitatem suo nomini daret.

Major Ecclesia nobilissima videtur & ditissima, tum redditibus, cum pannis pro Dei honore & cultu. Et complures in ea Sanctorum plusquam C.LX. Reliquiæ venerantur; ossa maximè *D. Hymerii* & *Archelai* asservantur, & *D. Homoboni* ex familia *Tucengorum* non ignobili Cremonæ, summo cum honore coluntur, ob ejus sanctitatem & miracula quibus continuè claret. Admireberis *D. Dominici* sacras ædes multum conspicuas, & urbis ornamentum, in quibus solemniter invocatur beata *Dei Mater* amplissima Confraternitate *Rosarii*, per ipsos D. Patris asseclas magno numero ibi Deo famulantes, Monasterium illustre fabricis, picturis, maximè *Antonii Campi*, egregii pictoris, Bibliothecâ & aliis partibus opportunè instructum, habitantes. S *Sigismundi* Templum custoditur à Patribus Hieronymianis, & inter pulchriora ædificia numeratur Cremonæ. In qua civi-

tate

tate adsunt quoque Hospitalia multa, multis redditibus opima. Ecclesiam *S. Petri* incolunt Canonici Regulares Lateranenses, in qua asservatur corpus *D. Mariæ Ægyptiacæ*, heroissæ inter pœnitentes, & ostenduntur ibi multa aliorum Sanctorum ossa & cineres, ut etiam in aliis Ecclesiis Regularium, & Parœciis. Ex familiis Cremonensium aliquæ sunt originariæ, sed paucæ; aliquæ processerunt à Romanis, ex urbe Cremonam bis transmissis habitatum; & aliquæ à militibus veteranis, pro præmio fundo camporum sibi concesso; & nonnullæ à Gothis, & Longobardis, Gallis, Germanis, & aliis populis Italiæ. Ex Cremonensibus fuerunt & sunt Prælati venerandi, & celeberrimi viri litteris, ut *Odofredus* inter Jurisc. maximi nominis, & mille alii in Poësi, Græcę & Hebraicæ linguæ peritissimi, ut præteream Philosophos & Theologos acutissimos, & *Antonium à Campo* egregium pictorem, cujus artem magnificè videbis, & eam admiraberis. Et cum plerique ex Cremonensibus fuerint & sint industrii, nonnulli ex eis ad esum lautum hominum excogitarunt & præparaverunt fercimen ex carne suilla seu bovina minutatim incisa, & mixta pulvere aromatum, alligata in eorum intestinis: alii adinvenerunt tegumentum dictum *Pignolato*, & *Valissium* ex filo lini & bombycis contextum; & aliud ex stamine seu filo lanarum ovium, nuncupatum *Sarza*; & aliud contextum filo lanarum & lini, quod dicitur *Mezalana*, & aliud ex pilis bubali & aliorum quadrupedum ad operimentum. Cremonæ venduntur gladii valdè egregii, & subtili arte præparati. In suburbiis ipsius civitatis Monasteria & Ecclesias conspicies; & extra portam *Pulicellam*, ubi olim fuit Gymnasium publicum, templumque ad honorem *D. Guilelmi* erectum, est puteus, qui, cum haberet aquas lutulentas, & potui insuaves, per SS. Dei *Dominicum* & *Franciscum* Cremonæ degentes, facto super eas signo Crucis, ab omni immunditia purgatæ, dul-

dulces & ſuaves extiterunt. Apud portam *S. Michaëlis* habebant priſci Templum Deæ *Februæ* ſuperſtitioſè dicatum. cujus veſtigium nullum apparet.

Ad Septemtrionem & Orientem Cremonenſis regio circumdatur *Ollio* flumine illam interlabente, unde per euripum derivantur aquæ quibus irrigatur, ac flumine *Abduæ* ipſam & agrum Laudenſem dividente à plaga Occidentali, & interſecatur à *Serio* toriente deſcendente à montibus *Bergomi*, ac flumine *Padi* confluente prope ipſam civitatem, per cujus alveum illuc undequaque fere vehuntur merces, & confluunt populi. Eique territorio ab Occidente adhærent agri *Laudenſes* & *Placentini*, à Septemtrione *Bergomenſes* & *Brixienſes*, ab Oriente *Mantuani*, & à Meridionali plaga *Placentini*.

Habet Cremonenſis civitas XLI. loca, terras, & caſtra inſignia, ex feudo multis Nobilibus conceſſa, quorum aliqua ultra Padum Parmenſes ſibi vendicarunt.

Cremonæ territorium, in quo non ſunt montes, nec loca ſilveſtria, eſt fertiliſſimum, & granis abundat, vino, pomis, oleribus, lacticiniis, melle, lino, lana, fœno, lignis, ac multis aliis, quæ ſunt ad eſum & uſum cunctis hominibus & animalibus.

Via vero, quæ Cremona diſcedentes Mantuam perducit, plana eſt & æqua, nullumque illi oppidum ineſt celebre, vel magnum, præter *Platinam*. *Bartholomæi Platinæ* patriam; nec procul inde *Oleus* vadit fluvius, cujus ſiniſtram ripam occupat *Canadus*, quà *Padus* aditur. Altius vero *Aſula* eſt & *Aqua nigra*. In media autem via regia *Bozzolum* ineſt, oppidum percelebre, & inde S. *Martinus* tribus millibus paſſuum, non longius, ſitus eſt, ubi non *Gonzagæ* tantum familiæ, ſed Purpuratorum etiam Patrum lumen *Scipio* requieſcit, & non longè *Oleus* tranſvadatur; quo quidem tranſacto, *Marcaria* pagus ſeſe aſpectui præbet, & non multo poſt occurrit lævâ

Gazo-

Gazoli, ubi Regia cernitur habitatio, Principis usui maximo pulcherrimoque artificio constructa: & hæc tria loca in *Gonzaga* familia Dominatus nomen sibi vendicant. Procul hinc duodecim millibus passuum *Mantua* invenitur.

Sed cum Cremonâ discedituꝛ Mantuam versus, *Padus* ad sinistram paulatim elongatur, primumque in regia pœnè via *D. Jeannis* castrum præ se fert, nec non *Riccardus*, terra pulchra atque elegans aspectu. Locis in mediterraneis nihil dignum apparet. Quod si *Eridani* ripas prosequi commodius fuerit. *Ponzonũ* Cremonensis familiæ castrum aderit ad sinistram, una cum *Guscioto Majori*que *Casali*; quæ loca licet non generosa admodum exprimant vina, eorum producunt tamen copiam perquam magnam. Tribus millibus passuum superiùs *Sabboneta* Imperialis urbs, pereleganti architecturæ artificio fabricata, Ducisque *Vespasiani* jussu undique depicta collocatur. Ulterius *Viadana* in est, terra permagna, urbanitatem nobilitatemque reddens eximiam, Quattuor & viginti mille agros possidet, & eo amplius, una cum *Pomponesco* castro pulcherrima arte communito. Inde ad *Pagum fortem* patet via, quo loco *Eridanus* transitur, & octo millium passuum itinere *Mantuam* pervenitur. Dum trans *Eridanum* primum *Pagum fortem*, deinde vero *Mantuam* versus itur, *Monticulus* Pallavicinæ familiæ inuenitur; & *Roncabidæa Taroq;* transacto cernitur *Turcella*: & ulterius (in mediterraneis tamen) *Colornum* ad est, terra Parmensis ditionis, & à *Casali majore* tribus millibus passuum abest. Longius quoque *Brixellum* situm est Estensium Ducum arx, non pauci momenti. Fuit autem urbs à Longobardis destructa, penes quam Longobardorum Rex *Albuinus* Gothorum Regem *Torilam* interfecit, Italiæque Imperium adeptus est Hinc ad pagum itur, cui nomen *Gonzaga*. in quo Mantuæ Ducis superbum adest *Palatium*; deinde verò *Regiolum* Comitum à Sessa, sed Imperiale feudum, atque etiam


Fol. 211.

etiam *Rotolaram*. Sed penes *Padum* eſt *Luzara* pagus, penes quem eſt *Guaſtalla*, Principatus Gonzagæ Domus; cui loco, ut nulla re indigeret quæ nobilé ingenuumque deceret oppidum, *Ferdinandus Gonzaga II.* large proſpexit, qui præter avitas excellentias, pulchris variiſque doctrinis eluceſcit, optimique ingenii fructus illuſtriſſimos quamprimum commonſtrabit. *Guaſtalla Burgoforum* & *Mantuam* pergitur.

MANTUA.

Schott.

MANTUAM conſtat antiquitate cum quavis Italarum urbium certare poſſe: ante Romã etenim non ſolum, ſed etiam ante Trojæ excidium (quod Romæ natalem, ut Euſebius, D. Hieronymus, aliique teſtantur, annis pluſquam cccc. xxx. præceſſit) conditam fuiſſe, probat *Leander Albertus*, & ante Chriſtum natum annis M. C. LXXXIII. Quemadmodum igitur antiquitate præcellit alias, ſic extra controverſiam nobiliſſima eſt ejus origo, quam probatiſſimi quique Auctores ab *Oeno Bianero* Hetruſcorum antiquiſſimo Rege conditam fuiſſe conſentiunt, conflatamq; civitatem ab initio fuiſſe ex tribus nobiliſſimis populis, nempe Thuſcis Thebanis externis, & Venetis vicinis. *Oenus* enim conditor, *Tiberini* Thuſci Regis atque *Mantus* Thebanæ filius, eam à nomine matris ſuæ *Mantuam* appellavit, ut inter alios Poëtarum princeps *Maro* Mantuanus ipſe Æneid. lib. x. teſtatur, qui nobilitatem ſuæ patriæ celebrans, *Mantuam* avis divitem, gentem illi triplicem, ac populos ſub gente quaternos ipſam caput, & populis Thuſco de ſanguine vires ab origine fuiſſe, canit; magis eam illuſtrans ingenio carminibuſque ſuis, quam vel longa Thuſcorum Regum ſeries, vel ipſius urbis ædificiorum magnitudo nobilitare umquam potuit.

Urbis quidem ut ſitu eſt munitiſſima, ſic & ædificiis

ciis publicis privatiſque perampla, rectis ac ſpatioſis plateis apparet admodum decora & venuſta. Habet enim magnificas ædes, ſacra Templa, porticus, & Palatia ſumptuoſa, & abundat mercibus, omniumque rerum neceſſariarum copia, propter aquarum commoditatem. Etenim populus ipſe, ut ad arma, litteras, artes, ita ad mercaturam aliaſque negotiationes valde gnavus & promptus eſt.

Capug.

Mantuæ in ædibus ſacris Prædicatoriis oſſa quieſcunt *Joannis Medicei*, Magni Ducis *Coſmi* patris, ſub cujus ſepulchro legitur:

JOHANNES MEDICES HIC SITUS EST, INUSITATÆ VIRTUTIS DUX, QUI AD MINCIUM TORMENTO ICTUS, ITALIÆ FATO POTIUS QUAM SUO CECIDIT. M. D. XXVI.

Eo in Templo aſſervatur corpus integrum *Oſannæ Andreaſeæ* mulieris ſanctiſſimæ. Penes vero Carmelitas inviſitur tumulus *Baptiſtæ Hiſpanioli* ex Mantua, hujuſce familiæ Præfecti Generalis, de quo eſt inciſum:

REVEREND. P. MAGISTER BAPTISTA MANTUANUS CARMELITA, THEOLOGUS, PHILOSOPHUS, POETA, ET ORATOR CLARISSIMUS, LATINÆ, GRÆCÆ, ET HEBRAICÆ LINGUÆ PERITISS.

In pulcherrimo Templo *S. Andreæ* Sanguis eſt Domini noſtri miraculoſus, & *Longini* Martyris oſſa, & effigies *Mantiniæ*, ſub qua dicitur æneis litteris:

Eſſe parem hunc noris, ſi non præponis Appelli.
Æneæ Mantinæ, qui ſimulachra vides.

Supra verò ſepulchrum ſtat:

OSSA ANDREÆ MANTINIÆ FAMOSISSIMI PICTORIS CUM DUOBUS FILIIS, IN SEPULCHRO, PER ANDREAM MANTINIAM NEPOTEM EX FILIO CONSTRUCTO.

In

In majori Templo corpus integrum venerantur *D. Anſelmi* Epiſcopi Lucenſis, & in his ædibus contemplaberis ingenium *Julii* Romani ſummi architecti.

In Templo Minoritarum ſunt oſſa *Capiluporum* Poëtarum Principum urbis, & in *S. Ægidio, Bernardi Taſſi.*

In ſuburbiis eſt Palatium dictum T.ubi Echo mirabilis reſpondet vocitanti, & *Julii* Romani picturæ viſuntur conſpicuæ, & artificium.

Lacu clauditur, cujus circuitus omnis eſt paſſuum viginti millium, & in ſua majori latitudine habet milliaria duo. Civitas ipſa aperitur portis octo; perſonas alit quinquaginta millia, & ambit milliaria quattuor.

Mantua diſtat milliariis quinque, in eminenti colle ad Occidentem, Templum beatiſſimæ Virginis Dominæ noſtræ, gratiis plenum, in quo reperies ſepulchrum *Balthazaris Caſtillionii*, cum hiſce verbis.

BALTHASARI CASTILLIONIO MANTUANO, OMNIBUS NATURÆ DOTIB. PLURIMIS BONIS ARTIBUS ORNATO, GRÆCIS LITTERIS ERUDITO, IN LATINIS ET HETRUSCIS ETIAM POETAE; OPPIDO NEBULARIA IN PISAUR. OB VIRTUT. MILIT. DONATO; DUABUS OBITIS LEGATIONIBUS, BRITANNICA ET ROM. HISPANIEN. CUM AGERET, AC RES CLEM. VIII. PONT. MAX. PROCURARET, QUATTUOR LIBROS DE INSTITUEN. REGUM FAMIL. PERSCRIPSISSET: POSTREMO CUM CAROLUS V. IMP. EPISC. ABULAE CREARI MANDASSET, TOLETI VITA FUNCTO, MAGNI APUD OMNES GENTES NOMINIS, QUI VIXIT ANNOS L. MENS. IT. DIEM. I. ALOYSIA GONZAGA CONTRA VOTUM SUPERSTES FIL. P. M. ANNO DOMINI M.D.XXIX.

S. Be-

S. *Benedicti* Monaſterium Mantuâ duodecim millia paſſuum diſtans, ad Meridiem inviſitur. Quod quidem celeberrimum eſt, illud Cœnobium ſitum in planicie intra duo flumina, *Eridanum* & *Gabellum* (*Secchia,*) quod fluit inter urbes *Mutinam Regiumque*, cujus quidem (ut multi exiſtimant) *Bonifacius*, Mantuæ Marchio, *Conoſſa*que Comes, & Mathildæ item avus, primus extitit auctor. Cum autem locus hic multis tum divitiis, tum etiam ædificiorum pulchritudine & magnificentia, potiſſimum vero Religionis obſervantia, inter Italiæ celeberrimos ſibi locum vendicet, cum ſilentio omnino prætereundum non exiſtimavi. Quadringentis ergo annis ipſius regimini *D. Benedicti* Inſtituto degentes Patres, qui *Cluniacenſes* appellantur, præfuere: at vero nunc ducentos pænè jam annos *Caſſinenſi* Congregatione gubernatur, quæ ibi glorioſe admodum Deo inſervit. Quamobrem ex ea multi, tum litteris, tum morum integritate, vitæque ſanctimonia, Patres egregii perpetuo prodiere. Ejus agri circuitus longè admodum lateque patet. non redditibus modo, verum etiam multis ditionibus inſignis, atque, ut in Paſchalis II. Pontificis privilegio perlegi, caſtra *Governolum Quilum*que poſſediſſe; duo etiam de quadraginta Parochialibus Eccleſiis in Diœceſibus *Mantuæ, Lucæ, Bononiæ, Brixiæ Ferrariæ, Parmæ, Metamauci Clodiæ*que, & earum ditionibus temporaneis, ſpiritualibus locatis præfuiſſe certum eſt. Comitiſſa *Mathelda* præſtantiſſima illa mulier eſt, cui quam ex Chriſti fidelibus comparem non bene perſpicio, tot tantaque in Romanam Eccleſiam contulit beneficia: quæ quidem ſexageſimum nonum agens annum obiit extremum diem, anno ſalutis M. C XVI. nono Kal. Auguſti, & in marmoreo ſepulchro excelſo loco ſita eſt in baſilicæ Virginis Sacello. Anno autem M.CCCC.XXXVI illius cadaver inſpectum, quamvis in arca illa trecentos vingiti anno permanſiſſet, integrum tamen adhuc fuit adinventum. Ejus effigiem ſupra monumen-

tum

tum equam virili more conscensam, rubeoque indutam habitu oblongo, gravi, & ornato, possumus intueri, Punicum malum dextera sustinentem, quamvis autem multis cohonestetur epitaphiis, hoc tamen vetustissimum existit:

Stirpe, opibus forma, gestis, & nomine quondam
Inclyta Mathildis hic jacet astra tenens

Cœnobii vero pars illa in qua inferne ligna communis culinæ usui inservientia, superne autem frumenta asseruantur, domicilium seu Palatium fuerat *Mathildæ*. Quid multa? Tanta est hujusce domus magnificentia, ut cum in eam perveniset *Paulus* III. Pontifex anno M D XLIII. *Busetto* deveniens, magnum esse Cœnobium & admirabile valde tessatus sit; & merito: huic enim Monasterio, præter ædificia quæ diximus miranda, tot subjacent agri, quot boum paria tria millia octingenta & duo invenire possint. Nec non agger, de quo supra, meminimus, & qui magnam hujus Cœnobii agrorum partē circumsepit, in septem millium passuum longitudinem extenditur, cujus in extructione viginti & septem millium nummorum aureorum, quos *Ducatos* vulgo denominamus. Patres, præter ea quæ debentibus colonis remisere, insumpserunt. Quod quidem opus anno M.D.LXV ut *Padi* alluvionibus prospicetur, paucis sane mensibus perfectum est

Mantuâ relictâ, dum fluvium *Mincium* navigare incipies, quod è lacu emanat versus *Padum* & *Ferrariam* currens, ad dexteram *Andes* vicum (*Pietoli*) contemplare, ubi *Virgilius* Poëtarum maximus suum habuit ortum, nec eius aliquid habetur memoriæ. Inde *Mincio* cum *Pado* commixto *Hostiliam* oppidum ad lævam & *Reveretum* ad sinistram offendes, multaque alia ad loca utramque partem in mediterraneis. Pervenies in agrum Ferrariensem & primum *Stellariam* in ora Padi versus Meridiem, *Ficarolum* autem ad Septemtrionem conspicies flumenque ipsum Venetias adiens, ubi etis in viculo dicto *Lago*

scuro;

ſcuro; & amne relicto, terram teres milliaribus, & Ferrarienſis tibi aderit civitas. *Sullata* inſpice alveum, nunc pænè exſiccatum, *Padi* antiquiſſimum, quo recto itinere vehebaris *Ferrariam*. & *Rhenum* amnem Bononienſem accuſa.

FERRARIA.

Schott.

RESPLENDET Padi ad ripam ab Oriente & Meridie poſita, pulchris & egregiis ædificiis, peramplis & apertis plateis, quarum præcipuas *Leonellus* Marchio primum coctis lateribus ſtatuit. Magna pollet nunc temporis Nobilium familiarum opulentia, atque civium locupletum frequentia; nec non celebris eſt Gymnaſio litterario publico diſciplinarum omnium, à *Fredrico* II. Imp. Bononienſium in contumeliam inſtituto. Quamvis igitur non fumoſis aut carioſis Trojanorum, Græcorum aut Romanorum imaginibus ſuperbiat (nondum enim mille ſunt anni, quod primum cingi muro cœperit. Imperatoris *Mauritii* auſpicii ab ejus Exarcho *Smaragdo*, uti Blondus & Volaterranus aſſerunt) tanta tamen in hunc uſque diem incrementa Principum ſuorum curâ ſumpſit, tantiſque ornamentis expolita eſt, ut inter principes Italiæ civitates merito non poſtremum locum obtineat. Crevit enim mirificè ſub inclyta gente Marchionum *Ateſtinorum*, maximè *Nicolao* III. & *Herculе* I. tam opibus quam publicis ædificiis; adeo ut de hujus urbis laudibus non fictè, non ineptè Poëta egregius Julius Cæſar cecinerit:

Inclyta quæ patulo fruitur Ferraria cœlo,
Reginas rerum limine ditat aquas,
Aurea nobilitas, ſtudiorum nobilis oti,
Ingenia audaci pectore, promta manu,
Magnanimique Duces genus alto à ſanguine Divum.

Sed hæc de Ferraria ſatis, quando de hac alii multo, plura facundè & curioſè ſcripſerint. Nuper anno M. D. XCVIII. Clementis VIII. Pont. Max. ope-

Fol:
FERRAR

ACAD.
SCIENT. LITT.
ET ART.
LUGD

opera, Sedi Apostolicæ ditio illa est restituta.

Carthusianorum celebre hic est Cœnobium in septis; quod quidem sumptuosissimum ædificium ante annos plus centum struxit & dotavit *Borsius* Nicolai F. Atestinus Marchio, & Ferrariæ Regulus, ubi & sepulturam sibi instituit.

Spectari inprimis merentur Palatii insignia atque regalia ornamenta: item novi castelli structuræ magnificæ & sumptuosæ, Bibliothecæ novæ præparamenta; magna videlicet veterum manuscriptorum librorum copia, atque rarissimæ antiquitatum reliquiæ, nimirum statuæ marmoreæ artificii singularis, signa, tabulæ, sigilla ærea ac marmorea, item nummorum antiquissimorum & elegantissimorum ex auro, argento, & ære omnis generis: item gemmarum cælatarum capsulæ plurimæ, quæ toto quatriduo exactè perlustrari non possent. Multa ex his collegit ad ornatum Bibliothecæ *Pyrrhus Ligorius* architectus ingeniosissimus, & antiquitatum studiosissimus peritissimusque vir. Inter cetera Instrumentum hic est Longobardicis litteris peregrinis exaratum, ex antiquissimo volumine papyraceo descriptum, venditionis fundi cujusdam cum designatis mansoribus (ut Instrumenti ipsius verbis utar) eorumque peculio, finibus, terminis, limitibusque suis omnibus, & cum omni generaliter, jure, instructu, instrumentoque suo Maciniis emptoribus per æs & libram factæ cum subscriptionibus testium. Ex quo Juris antiqui formulæ & vetustæ Latinitatis phrases haud contemnendæ animadverti poterant. E gemmarum atque nummorum argumentis quædam singularia & epigrammata pauca è marmoreis æneisque tabellis excerpta, studiosorum antiquitatis in gratiam hic adjicere non pigebit. In ænea tabella, ab ara & signo Jovis detracta votum.

PRO, SALUTE
IMP. CÆSARIS
M. AURELI. SÈVE,

RI. ALEXANDRI
PII, FELICIS. AUG.
JOVI. OPTIMO. MAXIMO.

Hic *Alexander*, poſt *Caracallam* & *Halagabalum* peſtiferos tyrannos, auctoritate Senatus Imperator Cæſar adoleſcens appellatus eſt, *ad remedium* (ut Lampridius ait.) *humani generis*. Qui cunctis hominibus ob virtutes amabilis fuit, ab aliis *Pius*, ab omnibus certè *Sanctus*, & utilis Reipublicæ judicatus, cujus imperium tredecim annorum Senatui boniſque civibus ἀναίμακτον fuit. Itaque non mirum, quod *vota* pro ejus ſalute plurima ſuſcepta atque ſoluta ſint. *Severus* tamen à militibus eſt nuncupatus, ob auſteritatem diſciplinæ, inſuetam ejus ſæculi moribus, quod priorum Principum ſocordiâ & luxu vigor & virtus militiæ veteris prorſus concidiſſent, quod in cauſſa; uti tandem pravorum conjuratione fuerit occiſus.

In alia tabula marmotea grandi, togatus ſenex ſacrificat ad aram tripedem cum patera, ſtans ante ſimulachrum *Spei*, quam ut deam Romani coluere ſacrificiis & templis, tam publicè quam privatim quiſque domi: credentes eam cum *Genio bono* ſingulis in lucem editis hominibus adeſſe præſto nec ab iiſdem ante extremum vitæ diem decedere. Non malè igitur *Genialem Spem* vocarunt, cum *Genii* individuam comitem opinentur. Quapropter non ſine cauſa deam hanc ſenes etiam inprimis colebant, quia caducam & fragilem vitam ſpes ſedulo ſuſtentat & fulcit. Hanc ideirco pulcherrimè Pindarus Poëta γηροτρόφον, id eſt, *ſenectutis nutricem* optimam appellavit, ut Plato de Republica, & Juſtinus Martyr ac Philoſophus teſtantur. Simulachrum deæ, ut in numiſmatibus Imperatorum antiquis reperitur, ſic in eodem marmore ſculptum eſt virginis ſtolatæ formâ, quæ ſiniſtræ manus ſuſpenſæ digitorum duorum extremis articulis ſtolæ ſuæ laciniam progrediendo librat, &

non-

nonnihil attollit; dextra elata floris calyculum, tamquam fructus nascituri spem quamdam ostendit. Quo gestu declarare videtur, ex parvis quibusque initiis spem nasci; sed meticulose & dubie semper promoveri. Additur in tabula hæc obscura epigraphe:

GEN. GENIALIS. SPEI. HELPIDIS.

quam alibi ex instituto commodius explicabimus, ut & sequentis inscriptionis argumenta, quam ex basi simulachri *Bacchici* exscripsimus:

LIBERO. AVG. SIGNVM.
SILLENI. ET SATYRI
M. ULPIVS, ONESIPHORVS. ET
APPVLEIA. D D. MARCELLA.

Est & *Juvenis* laurea coronati signum æneum pulcherrimum & vetustissimum, in cujus collo torques, in sinistro superiore brachio armillæ bullis dependentibus plenæ, rotundis alternatim, & humani cordis specie factis: diceres *Apollinis bullati* signum esse qui & βουληφόρος vel βουλαῖος appellatus est, propter *oracula*: & à βουλὴ *bullam* dictam Festus auctor est; quæ à collo in pectore prætextatorum dependebat nobilium, aurea & humani cordis figura, teste Macrobio, ut ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent, & consilio uterentur. In femore quidem signi sinistro antiquissimis characteribus insculpta est inscriptio Etrusca, quæ a paucis legi, à nemine fere intelligi potest. Sunt epitaphia plurima, & quædam cum testamentis ac donationibus sepultorum: sed alterius (ut diximus) est instituti, hæc omnia latius recognoscere.

Caput.

Non est tamen prætereundum, quod jacet in majori Templo ad lævam chori tumulo marmoreo *Urbanus* III. Pont. Max. & ibi propè legitur de *Lilio Gregorio Giraldo* viro doctissimo,

QUID HOSPES ASTAe? TYMBION

VIDES GIRALDI LILII,
FORTVNÆ VTRAMQVE PAGINAM
QVI PERTVLIT, SED PESSIMA
EST VSVS ALTERA, NIHIL
OPIS FERENTE APOLLINE,
NIL SCIRE REFERT AMPLIVS
TVA, AVT SVA. IN TVAM REM ABI.
LIL. GREG. GIRALDVS PROTON. APOSTOL.
MORTALITATIS MEMOR, ANNO LXXXII.
V. S. P. CVR. M. D L.

Apud Prædicatores D. Dominici perluſtra prope gradus majoris Sacelli ſepulchrum *Giraldorum* in quo oſſa conduntur *Joannis Baptiſtæ Cynthii Giraldide* Italica lingua benè meriti. Item illud in quo aſſervantur *Caſparis* & *Alexandri* filii Sardiorum Hiſtoricorum. Eo in Templo ſtat mortuus *Peregrinus Priſcianus*, qui Ferrariæ hiſtorias compoſuit, utrique Strozzii pater & filius, Poëtæ, & prope oſtium in fine Templi ad dexteram introitus nobili & lapideo ſarcophago inſculptum eſt:

D. M.
NICOLAO LEONI CENO VICENTINO, QVI SIBI FERRARIAM PATRIAM MALVIT, VBI AN. LX. ITALOS ET PROVINCIALES MAGNA CELEBRITATE GRÆCE ET LATINE INSTITVIT CONTINVA SERIE, APVD PRINCIPES ESTENSES MAGNO IN HONORE HABITVS, VNVS OMNIVM MAGIS PECTORE QVAM LINGVA PHILOSOPHIAM PROFESSVS, RERVM NATVRÆ ABDITISSIMARVM EXPERIENTISSIMVS, QVI PRIMVS HERBARIAM PÆNE DESITAM, ET SILVAM REI MEDICÆ INJVRIA TEMPORVM NEGLIGENTER HABITAM, IN DISQVISITIONEM MAGNA OPE MORTALIVM REVOCAVIT, IN BARBAREI CONDITORES PERTINACITER STYLVM PERSTRINXIT, ET STVDIO VERITATIS, CVM OMNI ANTIQVITATE ACERRIME DEPVGNNAVIT, ANNOS

NOS NATUS SEX ET NONAGINTA, CUM JAM ÆTERNIS MONUMENTIS IN ARCEM IMMORTALITATIS SIBI GRADUM FECISSET, HOMO ESSE DESIIT.

ALPHONSIS ESTENSIS DUX TERTIUS, ET S. P. Q. FERR. BENEMERITI POSUERE SEXTO IDUS JUNII M. D. XXIV BONAVENTURA PISTOPHILO GRATO IPSIUS DISCIPULO PROCURANTE.

Capuæ.

In Fratrum Cœnobio Bibliothecam ingrediens, offendes cineres & Epitaphium *Celii Calcagnini*, qui eum locum suis librorum thesauris locupletavit.

Jacent in *Francisci* Ecclesia *Joannis Baptistæ Pigna* ossa, & in peristylio *Vici Parmensis*, antiquarii nostra ætate.

Apud *Benedictinos* stat clarissimum Templum quod habet in parte sinistra, & in una columnarum, epitaphium, quod de Vate maximo Italico composuit *Laurentius Frizelius:*

D. O. M.

LVDOVICI AREOSTO POETÆ PATRICIO FERRARIENSI, AVGVSTINVS MVSTVS TANTO VIRO, AC DE SE BENE MEREN. TVMVLVM, ET EFFIGIEM MARMOREAM, ÆRE PROPRIO P. C. AN. SALVTIS M. D. LXXVIII. ALPHONSO SECVNDO DVCE. VI. XIT. AN. LIX. OBIIT AN. SALVTIS M. D. XXXIII. VIII. IDVS JVNII.

Et paulo inferius in peristylio quadri prædicta continentis, infra scripta verba in lapide incisa reperiuntur:

Hic Areostus est situs, qui Comico
Aures theatri sparsit urbanas sale,
Satyraque mores strinxit acer improbos,
Heroa culto qui furentem carmine,
Ducumque curas cecinit, ac prælia

Vates corona dignus unus triplici,
Cui trina constant, quæ fuere vatibus
Grajis, Latinis, vixque Hetruscis singula.

Et si Monasterium ingressus fueris, parvum & vetus Sacellum invises, in quo diu asservata extiterunt hujus *Areosti* ossa, & in altero parietum adhuc reperies:

Qui giace l'Ariosto Arabi odni
Spiegate, ò aure, à questa tomba intorno,
Tomba ben degna a'immortals honori.
Ma troppo a sì gran busto humil soggiorno.
Ossa felici, voi, d'incensi, è fiori
Habbiate il viso ong'hor sinto & adorno,
E da li Hesperii lui è da li Eoi
Vengan mille bell' alme à veder voi.
Quì giace que che'l seme di Ruggiero
Cantò, e'l valor del gran Signor d'Anglante;
Voi, che mossi d'ardente alio pensiero
Fermate i passi el suo sepolcro avante
Dite (nè pur in parte andrete al vero)
Che'n quanto è sotto al gran peso d'Atlante
Di cui non fù di Cinto al sacro Regno
Spirto più tel, nè più sublime ingegno.

Apud Carmelitas in peristylio ad lævam videbis *Manardi* memoriam de quo leges:

JO MANARDO FERRARIEN. VIRO UNI ONIUM INTEGER. AC SANCTISS, PHILOSOPHO ET MEDICO DOCTISS. QUI ANN. P.M.LX. CONTINENTER TUM DOCENDO ET SCRIBENDO, TUM INNOCENTISS. MEDENDO, OMNEM MEDICINAM EX ARCE BONARUM LITTERAR. FOEDE PROLAPSAM, ET IN BARBAR. POTESTATEM AC IROFLIGATIS HOSTIUM COPIIS, IDENTIDEM, UT HYDRA RENASENTIBUS IN ANTIQ PRISTINUMQUE STATUM AC NITOREM RESTITUIT. LAUREAM OMNIVM BONORUM CONSENSU ADEPTUS VI, ET

LXX.

LXX. ANNO AGENS, OMNIBVS OMNIVM SVI DESIDERIVM RELINQVENS HVMILI SE HOC SARCOPHAGO CONDI JVSSIT, JVLIA. MANARDA VXOR MOETISSIMA QVOD AB EO OPTABAT POSVIT.

Hæc brevis exuvias magni capit urna Manardi.
Nam virtus latè doctis per ora volat:
Mens pia cum superis cœli colit aurea templa,
Hinc hospes vitæ sunt documenta tuæ.
M. D. XXXVI. MEN. MART.

Canonici *S. Salvatoris* sub titulo *S. Mariæ Vadi*, habent Sanguinem miraculo venerandum, & suo venusto Templo hospitem delectabunt.

ITER FERRARIA.

VENETIAS.

Capug.

FERRARIAM relinquens, & ad partem tendens quæ est inter Orientem ac Septemtrionem, confectis quinque milliaribus, *Francolinum* pervenies: unde scaphis *Padum* navigabis, ad lævam *Rhodigai* loca habens, & ad dexteram agros Ferrarienses optimos & amplos. Cum fueris in vicis dictis *Papozze* & *Corbola*, ad Meridiem tendit alveus unus fluminis, *Arrianum* oppidum *Turcorum* Nobilium alluens, & mari se commiscens, ubi est portus *Gori*. Sed alveum magnum navigans, *Adria* urbs antiquissima, & in mediterraneis magis *Gavarzerus* in ripis *Atheſis* ædificatus tibi erit: ad sinistram lacunæ vallesque palustres amplissimæ usque *Lizzam Fusinam* protenduntur. *Loretum* videbis, & mare ingrediens *Clodiam* perlustrabis. Est civitas portu munita, ex aquis utriusque *Medeaci* & lacunarum, victoria Januensium contra Venetos, & Venetum adversus Januenses memorabilis. Alluitur aquis pænè tota, & navigandi peritia ac exercitio eminent Clodienses, sicuti pi-

ſcatione, hortorumque cultura. Inviſitur ea in urbe imago cœlorum Dominæ ſuum filium Dominum noſtrum in brachiis habentis, ac plangentis. Ibi aggerem triginta millium paſſuum longitudine Orientem verſus à natura factum incipere videmus, quo tamquam repagulis aut muro aquæ Adriaticæ impediuntur, ne ad libitum & ultrà dilabi poſſint. Quot cinaræ, braſſicæ, caules Sabellicæ, pepones, cardui, & herbæ, quæ acetaria fiunt, à Clodienſibus Venetias deferantur, nequaquam dici poteſt. Hinc ad Meridiem verſus *Anconam Piſaurum. Ariminum, Ceſenam*, & *Ravennam* itur navigando. Terreſtri vero itinere, & ſuper Adriatica littora ex *Clodia* iens ad portum *Gori*, inde ad portum *Abbatis*, deinde ad *Volanam*, & ulterius ad *Magnam vaccam*, poſtremo ad *Primarii* portum, & *Ravennam* laborioſe pervenies.

Viginti milliaribus diſtant *Clodia* Venetiis, ad quas properans, habebis prope continens & Patavinos agros, *Brondu'i* portum aquis Medoaci abundantem, arenoſum quamvis & alga plenum. Ulterius occurrunt *Metamaucus* inſula, primævis temporibus ſolio Principis Veneti conſpicuum, aquis ejus Medoaci itidem in portu, olim ob ſuam profunditatem magni diſcriminis, circumdatum. *Pupillum (Foveja,)* quod fuit multorum habitatio naſcentibus Venetiis, nunc dirutum jacet, nec ſpectandum aliquid habet præter Domini noſtri Salvatoris imaginem in cruce pendentis, à fidelibus frequentatam. Per lacunas navigio veheris, & ubique reperies xenodochia, viridaria, & Monaſteria opulenta & magnifica, Venetamque urbem, cujus aſpectu lætitia geſtiet, totuſque geſtiet, admiratione prope exagitatus.

ITER FERRARIA.

RAVENNAM ET ARIMINUM.

Capug.

IN ſuburbiis Meridiem verſus *Padum* ponte & ligneo

gneo & longo trajicies, offendesque Templum S. *Georgii* in quo *S. Maurelii* corpus asservatur Ferrariensis Episcopi, quod divinis Officiis colitur à Patribus Olivetanis.

Padi alveus hic secabatur, quorum unus ad lævam planiciem & arva alluebat, ad mare tendens, suisque aquis irrigans loca multa, præcipuè vero *Milliarinum*, *Milliarinum*, *Massam*, & super Adriatici littora *Velanam*: alter vero, qui olim ampliſſimus erat, immo totus ipse Padus, magis ad Meridiem flectens post milliaria XVIII. *Argentam* habet oppidum non ignobile, sic vocatum, cum argentum quotannis solveret Ravennati Ecclesiæ. Habet hic alveus Padi ad dexteram valles *Bononienses*, *Consilicis*, & eas quas *Argentani* possident, quæque piscibus abundant, maximè vero tinchis & luciis. Ab eodem latere Padus trajicitur relicto *Argenta* post tria milliaria, statimque offendes arcem dirutam vocatam *Bastia*, ubi *Julii* II. *Alphonsi* I. Ducis Ferrariensis milites acriter decertarunt. Inde decem milliariis confectis *Lugi* eris, quæ terra illustris & clara existit, cui ad sinistram *Tiberiacum* (*Bagnacavallo*) oppidum est nobile, & *Cotignola*, Sfortiadum Principum natalitium solum, *Cunium*, seu *Barbianum* pæne dirutum, *Alberici* militaris gloriæ inter Italos antesignani patria & alia multa loca.

Ad dexteram vero *Massa* Longobardorum, *Forum Cornelii* civitas, & in ipsa Flaminia *castrum Bononiense* celebre; magis versus ad Austrum, est *Faventia*, urbs vasis fictilibus (*Majolica*) illustris.

Ad sinistram partem ejus Padi usque *Argentam* pæninsula (*Pollesine*) *S. Georgii* conspicitur, in qua villæ, agrique fertiles, & Palatium *Belloguardi* Principum Atestinorum, omni Regio cultu paratissimum habetur, cumulatissimè deliciis refertum, ingenti mole conspicuum. His in locis antiquitus vici erant duodecim, quorum homines congregati *Ferrariam* construxerunt, & illorum primus *Vicus*

Egenum dicebatur, nunc *Vigonza*. Portus oppidum *Conſandulum*, & alii multi pagi, arva pulcherrima & fructifera, ea loca implent.

Ulterius Padum ſequens, viginti paſſuum millibus plures videbis pagos, quaſi in amnis littore, & loca amœniſſima, inter quæ *Longaſtrinum* habetur, & *Filum*, cui rectus Padi trames, per ſex milliaria protenſi inſtar fili nomen *Fili* dedit. Infe.ius eſt *S. Alberti* vicus, & *Primarium*, juxta quod *Eridanus* Adriatico mari ſua tributa ſolvit. Alveus iſte *Eridani*, ſuis aquis furenter olim interminans, nunc arenâ Rheni Bononienſis ſupra Ferrariam elevatus, exſiccatus exiſtit, & aquæ omnes alveum Venetias tendentem tumefaciunt implentque,

Hinc ſi ad Orientem flectes iter, Venetias perges, *Primario* relicto, *Magnavacca*, *Volano*, *Portu Abbatis*, *Coro*, & *Glodia* poſtremum conſpicit *S. Alberti* vicus ad lævam civitatem *Comaclenſem*, ripam maris tenus, ſtagni circuitum habens duodecim milliaribus protenſum, cephalorum & anguillarum plenum, quibus multis Italiæ urbibus ſubvenitur, quarum ad pondus viginti quinque & triginta librarum aliquæ expiſcantur. Ex portu *Volano* illuc maritimæ aquæ fluunt. Olim *Comaclum* potens fuit civitas, nunc aquis evulſa, *Pompoſa* Abbatia antiquiſſima, & nemora opaca, valles, & lacunæ multæ hic & illic videntur.

Prope *S. Alberti* vicum dextero latere paluſtres agri ſunt, in quibus *foſſa Meſſanitia* ab antiquis effigiata videtur, anguſto nunc alveo ſcaphis dumtaxat navigabilis, quaque Ravennam itur. Cum Italia vix habitaretur, erat his in locis magnus Padus. *Paduſa* ob Padum flumen appellata, quæ, dum ſuum principium *Ravennæ* agnoſcebat, *Mutinam* uſque protendebatur paſſuum videlicet millibus quinquaginta. Nunc valles *Bononienſes*, *Conſelicis*, *Argenta*, & *Ravennæ* illam continent, parvam & limoſam.

RA-

RAVENNA.

Schott.

EST antiquitate magis quam ædificiorum pulchritudine modo celebris, à *Theſſalis*, uti *Strabo* memoriæ prodidit, primum condita, ſed poſteà ab *Umbris* atque *Sabinis* poſſeſſa, cum Tuſcorum injuriis vexati Græci, ultro his coloniam inhabitandam ceſsiſſent, in Græciam redeuntes. Umbros poſteà Galli Boji, Bojos demum Romani expulerunt. In quorum ditione ac fœdere ad finem uſque, Imperio ſtante, permanſit, donec ab *Odovacre* & *Herulis* illæ provinciæ ſubigerentur. Quem debellatum *Theodericus* Oſtrogothorum Rex cepit, atque *Ravennam* ſibi ſedem Regni conſtituit. Tenueruntque deinceps illam Oſtrogothi ultra annos LXX. donec à *Narſete* Juſtiniani Imperatoris Præfecto Italiâ pellerentur. Poſt Narſetem tenuerunt urbem *Exarchi* Imperatorum Byzantinorum per annos amplius CLXX. quibus aſſidua cum Longobardis à Narſete in Italiam adverſus Romanum Imp. accitis bella fuerunt. Quorum potentia tandem intercidit *Exarchatus* cum *Aiſtulphus* Rex Ravennam bello cepiſſet. Verum is poſtea Francorum viribus ac *Pupini* Regis ductu victus, urbe eadem, atque toto Exarchatu, Romano Pontifici Eccleſiæque Apoſtolicæ cedere coactus fuit. Cujus ſucceſſor *Deſiderius*, poſt diſceſſum *Pupini* ex Italia, pactorum fide ſpreta, cum Exarchatum rurſus occupaſſet, *Carolo Magno* atque Francorum armis is etiam victus & captus, Italiæ Regnum ſimul cum Ravenna & *Exarchatu*, Longobardis ubique pulſis, amiſit. Sic itaque hæc urbs fortunæ temporumque varietates, atque plures bellorum clades ab initio perpeſſa fuit. Nec non patrum memoria à Gallis crudeliſsimè, ſacris ædibus expilatis, direpta non ſolum, verum etiam inteſtinis factionum calamitatibus adflicta jacuit. Eam vero Strabo tradit ætate ſua in mediis paludibus poſitam, ædificiiſque ligneis conſtructam to-

tam fuiſſe, aquis ubique ſubtus intercurrentibus, ideoque pontibus ac lembis peragrari ſolere. Maris etiam auctibus, cum inundaretur hinc fluctuum, inde amnium concurſu; nonnumquam cives ac inquilinos in ædium altiora tabulata compelli, inferiora vero cœni lutique ſordibus elui aquarum aſpergine. Atque ideo fieri perhibet, ut huic urbi, non ſecus ac Alexandriæ in Ægypto, ſumma in paluſtribus locis cœli fuerit ſalubritas. Nunc paludibus exſiccatis, circumquaque patentes atque fructiferos habet campos, ſegetibus inprimis felices, hortis cultos, atque paſcuis abundantes optimis. Divum Auguſtum ampliſſimo portu, & altiſſima pharo *Ravennam* nobilitaſſe, Suetonius, Dio, Appianus Alexandrinus, & alii Hiſtoriei memorię prodiderunt; ubi & claſſem ad tutelam Superi vel *Adriatici* maris conſtituit: adjecitque in ſuperiore portus ac faucium cornu è regione *Ravennæ* caſtra hiberna claſſiariorum: quæ in oppidi formam ædificata, mœnibuſque munita, *Claſſi Ravennæ* poſteriore ſæculo nuncupari cœpit. In medio portus vertice, verſus mediterranea, *Ceſaream* aliud oppidulum fuiſſe volunt à *Longino* Exarcho deinde foſſa valloque ſeptum, uti Blondus auctor eſt. Itaque continuis ferè trium oppidorum ædificiis ſe micirculari forma *portus Ravennas* olim locupletiſſime coronabatur. Nunc vero vix ulla viſuntur portus aut ædificiorum veterum veſtigia, præter quaſdam ædes ſacras, Religioſorumque Cœnobia: ſed omnis illa plaga maris atque ſtagnorum inundationibus cœno & arenis oppleta eſt.

Ravennam portis ac muris novis muniiſſe *Claudium* Imp. teſtatur titulus portæ marmoreæ, quam *Speciosam* vel *Auream* nunc vulgus ob architecturæ vel artificii pulchritudinem appellat, ab antiquo inſculptus qui talis eſt:

TI. CLAUDIUS. DRUSI. F. CÆSAR. AUG. GERMANICUS PONT. MAX. TR. POT. COS. DES. III. IMP. III. P. P. DEDIT.

Eam-

Eamdem denique adampliatam, murisque restauratam à *Placidia Galla*, Arcadii & Honorii Impp. sorore, ejusdemque filiis Valentiniano & Tiberio, Blondus asserit. Mox eam sibi in Regiam occupans *Theodericus* Ostrogothorum Rex, exornatam variis ædificiis, spoliisque Provinciarum ditatam successoribus suis reliquit. Horum Templa, Palatia, & ædificia varia adhuc ibidem cernuntur.

Circa forum D. Mariæ in porticu peramplum Cœnobium videbis, & *Dantis Aldigerii* Etrusci Poëtæ nobilis sepulchrum marmoreum excitatum magnificentissimè à *Bernardo Bembo* Veneto Ravennatum quondam Prætore.

Capug.

Templum hoc epigrammate luculenter exornavit *Patricius* ille *Petri Bembi* Cardin. pater:

Exigua tumuli, Dantes, hic sorte jacebas,
Squallenti nulli cognite penè situ;
At nunc marmoreo subnixus conderis arcu,
Omnibus & cultu splendidiore nites.
Nimirum Bembus, Musis incensus Hetruscis,
Hoc tibi, quem in primis hæ coluere dedit.

Ipse vero *Dantes* dum morbo langueret, adeo mentis compos fuit, ut sequentes versus sepulchro incidendos componeret:

Jura Monarchiæ, Superos, Phlegethonta, lacusque
Lustrando cecini, voluerunt fata quousque;
Sed quia pars cessit melioribus hospita castris,
Actoremque suum petiit felicior astris
Hic claudor Dantes patriis extorris ab oris,
Quem genuit parvi Florentia mater amoris.

Schott.

Sed inprimis Archiepiscoporum sedem adibis, Templum urbis maximum ac sumptuosissimum, quatuor columnarum pretiosissimi marmoris ordinibus suffultum: supra cujus altare summum visebatur ante annos circiter LXXX. quattuor innixum pulcherrimis columnis marmoreis cœlum argenteum

tem triginta sex millium aureorum cum limbis fastigiorumque sigillis, atque parergis inauratis & elegantissimis: quod sacrilegæ *Ludovici* XII. Gallorum Regis cohortes simul cum urbe, sacris profanisque rebus omnibus nefandissimè, ut dixi, diripuerunt; cujus noxæ non diu post pœnas atroces justa Numinis vindicta dedere, prœlio vel ad internecionem cæsi, vel in *Padi Ticini*que gurgites detrusi, ac suffocati. Ostenduntur sacræ Divorum Reliquiæ, vestes & donaria pretiosa. Item Sacelli majoris hemisphærica testudine, opere museiario Græcanico effigiati primi illi duodecim sancti Antistites, qui columbæ candidæ supra caput apparentis indicio, Ravennates Archiepiscopi sunt electi.

Capuę.

Ravennæ Christi fidem tradidit, S. *Appollinaris*, qui una cum *S. Petro* ab Antiochia Romam secessit, ac unus ex LXXII. Discipulis creditur. Qui cum naturæ sua debita concessisset, quilibet ex discipulis, quos reliquerat se tanto oneri imparem existimabat. Qua de re cuncti in Ecclesiam convenerunt, ubi Deo preces fundebant, ut edocerentur cui dignitas eximia demandanda esset. Quamobrem Spiritus Sanctus, forma columbæ assumpta, devolabat supra eum quem Deus probabat. Hoc miro quidem modo undecim Archiepiscopi delecti fuerunt. Ecclesiam igitur, quæ *Spiritus Sancti* dicitatur, ingredere, & oculis elevatis super fornicem principis aræ fenestram ex parte clausam cernes, per quam ea descendebat columba; atque eamdem cùm introieris Ecclesiam, sinistrorsum tendes, & tumulum ex lapidibus coctis cernes, penes quem in angulo commorabatur *Severa* homo simplex, supra cujus caput omnibus visus postremo descendit Spiritus Sanctus.

Schott.

Perges hinè ad *Aureum cælum* Theoderici Regis Ostrogothorum, ab eo quondam splendidissimè ædificatum: quod *D. Martino* prius, nunc *D. Apollinari*

sa-

ſacratum eſt fanum, & grandium columnarum ſolidarum rari & exotici marmoris, quas Byzantio Rex adſeyri curaverat, binis ordinibus, variiſque aliis marmoribus nobiliſſimis ditiſſimè exornatur, quæ Româ & aliis Italiæ locis tranſtulerat. Perluſtra & alias ædes ſacras *D. Vitalis* rotundam, cujus ſumma teſtudo & tholus aræ majoris columnis item marmoreis nobiliſſimè ſuſtinetur. Quin tota fuit olim cum pavimento, ac parietibus tabulis marmoreis, operequeteſſellato cum emblematis circumquaque veſtita atque incruſtata, veluti ex reliquiis operum, quæ adhuc ſuperſunt, colligitur. Tranſi inde in vicinum *DD. Gervaſii* atque *Protaſii* fanum, opulentiſſimè a *Placidia Galla* conſtructum, & marmoribus nobilibus excultum In quo etiam *Galla* duorumque ejus filiorum ſepulchra marmorea pulcherrimè exſculpta viſuntur. Item *D. Joannis Evangeliſtæ* Templum accede, ab eadem *Placidia* Honorii Arcadiique Impp. ſorore ſtructum; in cujus teſtudine Imperatorum imagines opere muſejario teſſellato effigiatæ ſunt, qui de proſapia conditricis fuere. Legitur elogium vetuſtum, memoriam continens, quo tempore conditum ſit Templum, & quomodo ab ipſo divo Evangeliſta *Joanne* mirabiliter apparente conſecratum fuerit. Hæc atque ſimilia plura Templa perluſtra, & ingentis Palatii ruinas, quòd Theoderici Oſtrogothorum Regis fuiſſe volunt.

Antiquitatum monumenta per urbem ſcrutari ſi libet, reperies *Herculis Herarii*, vel (ſi mavis) *Aſtrologi* ſtatuam marmoream non prius viſam, in crate re fontis; ſelectaque epigrammatum, epitaphiorum ac inſcriptionum antiquarum, quæ paſſim inveniuntur; ſilvam colliges, propriis etiam ſtudiis profuturam; laboremque & tædium multiplici ac varia Philologiæ veteris doctrina ſubinde levaturam. Laudabis inprimis ſtatuam illam *Herculis*, ut pulcherrimam; qui poſita clava velut Atlas innixus genu ſiniſtro, è terra ſemet erigens, ambobus lacertis atque cervi-

cervice geſtat horologium ſolare ſemirotundum & convexum; in cujus concavitate per gnomonis ſeu umbili ſolis umbram horæ diurnæ lineis diſtinctis demonſtrabantur. Nec diſſimilem vidiſſe me memini *Herculis* ſtatuam Romæ in vinea *Stephani Bubalii* repertam; qui non horographium ſciotericon, ſive vas horoſcopum cervice ſed cœli ſphæram ingentem Zodiaci atque fixarum ſtellarum imaginibus pulcherrimè ſculptis exornatam geſtabat: Atqui Diodorus Siculus auctor eſt. Hyperiona ſolis, & lunæ, aſtrorumque motus obſervaſſe primum, atque diem in horas ex umbræ ſolis dimenſione diviſiſſe: ideoque ſolis ac lunæ parentem ipſum apud Atlantides creditum fuiſſe. Ægyptiorum quidem Samothracum, aliorumque populorum vetuſta religio fuit, ut crederetur *Hercules* ſolis vis, poteſtas & varia virtus in inferiora mundi corpora; *Hyperion*, cœli aut ætheris. Quid enim aliud *Hyperion*, quam ſuperior mundi plenitudo, perpetuuſque motus? quid *Hercules* quam aëris ac terræ gloria? ſi Græcorum nominum etymologiam, velut Macrobius & alii veteres, interpretemur. Magna porrò inferioris mundi gloria & pulchritudo, ſolis illuminatio: qui annuo circuitu per Zodaici ſigna XII. totidem, ut de Hercule fingitur, obire certamina videtur, atque caloris ſui radiis vitalibus generationem ac vitam corporibus infundere, corruptionem ac peſtes diſpellere putabatur. Hac quidem meteora mixis veterum Philoſophorum ac Poëtarum fabulis involuta penitius perſcrutari alterius eſt loci, & noſtri inſtituti hic non eſt. In præſentiarum declaraſſe ſatis erit, quam non ineptè (cum *Hercules* ſolis in inferiora vis & effectus intelligatur eſſe) Poëtarum, pictorum ſculptorumque ingenia & artes eum nobis repræſentent ſtelliferum & horarium, id eſt. cœlum gestantem, aſtra temperantem, atque diei ſtationes æquas partientem, ſplendoreque ſolis indice docentem temporis articulos. Unde & *Aſtrologium Herculem*

em appellarunt veteres, variisque fabulis datus est locus, quod solis obscurationem præviderit & prædixerit, cum se flammis esset injecturus; ut Sex. Pompejus Festus auctor est: quod poculo ingenti aureo à sole donatus fuerit, quo tamquam navigio Oceanum transmisit, Geryonis boves abacturus, ut Pherecydes & Panyasis. Græci scriptores egregii posteris tradidere: quod cœlum humeris sustentandum aliquamdiu susceperit ab *Atlante Lybico*, vel, ut alii volunt, *Ægyptio*, ut ejus auxilio aureis potiretur malis. Prætereo Hesperidum hortos, draconem pervigilem, Atlantides nymphas, & Argo navem, ejusdem ferè cum solis poculo argumenti; aliaque plura, quæ ad cœlestium terrestriumque rerum observationem, agriculturæ, maritimæque navigationis inventionem & experimenta prima respiciunt; ingenioseque demonstrant, *Herculeum* & heroicum, id est, recti cupidum, fortem, atque constantem animum, cœlestia terrestriaque omnia Superis faventibus, felici indagine pertentasse; nec non artes, & cuncta vitæ humanæ necessaria commoda reperisse, atque in usum produxisse: Nam eximia quæque inventa, publicaque beneficia magna heroicæ virtutis, atque divini prorsus sunt spiritus opera; cum horum sint ubique comites & assectæ perennis honos, atque fama immortalis. Sed hæc latius differere, alterius, ut diximus, loci atque instituti est. Nos obiter hæc tantum statuæ Herculeæ istius occasione voluimus attingere, uti cunctis manifestum fiat, quam pulchrè & jucundè adolescentum studia promoveri historiæ veteris atque rerum antiquarum explicatione possunt; eorumque animi ad virtutis amorem, ad sublimes animos generosaque studia inflammari.

Ad portum *Cesenaticum* visitur ædes rotunda *D. Virg. Mariæ*, quæ ante *Ravennam* est antiquissima & pulcherrima. Ædificium est formâ rotundum & eximium, opere reticulato, è spisso quadrati saxi muro, cujus interior circulus amplitudine per diametrum

trum xxv. pedum eſt. Pavimentum ex varii coloris lapillis ingenioſe teſſellatum bellis retinet emblematis. Tectum totum ex uno ſolido ſaxo granoſo, ſed præduro forma hemiſphærica concavo; in cujus umbilico medio foramen rotundum diem ac ſolis radios immittit. Miraculum apparet, atque hæſitant cuncti ſpectatores; & divinare nequeunt, quanam induſtria, quibuſve inſtrumentis tanta ſaxi moles in ædificii illius culmen evehi potuerit. Cujus amplitudo rotunda per diametrum xxxv. plus minus pedum eſſe conjicitur; conſiderato nimirum exteriore ædis circulo, atque murorum, quos tegit illa moles: & craſſitudine menſa cum cymatio, coronicibus, zophoris, atque epiſtyliis columnarum, quæ forinſecus ædem exornant. In faſtigio tecti ſupra foramen in columellis ſteterat olim *Theoderici* Oſtrogothorum Regis ſomatotheca nobilis, ex lapide Numidico porphyreo leucoſticto ſolida, longa pedes octonos, alta quaternos, cum operculo ex ære Corinthio inaurato, ſignis, Parergis, & emblematibus elaborato quàm opulentiſſimè. Quod monumentum, uti plures ſcribunt, Amalaſiunta Oſtrogothorum Regina patri poſuerat, ſed bello Gallico *Ludovici* XII. barbari milites prædæ ſpe ſarcophagum illum tormentorum ictibus dejecere, cujus adhuc reliquiæ quædam viſuntur ibidem.

Caput.

Quia Exarchatus mentio facta eſt, ne incognitum quidquam relinquamus, dicere volumus. Exarchus ſupremum Magiſtratum deſignat, quem in Italia, ubi defecerunt Romæ Conſules, Græci Imperatores conſtituere. Illorum primum Juſtinianus Imp. miſit anno DLVII. & noviſſimus præfuit anno DCC. XXXII. ac omnino ſedecim Exarchi extitere, qui pulſi fuerunt, quo temporis Longobardi Imperium occuparunt. Exarchi poteſtas totum illud agri continebat, qui *Arimino* ad *Papiæ* fines per viam Æmiliam pertinet, latitudineque ab Appennino ad Veronenſes

nenſes paludes, & Vicentinas, & ad Mare Superum patebat. Qua propter quàm maxime floruerit Ravenna, hinc percipi poteſt.

In ſuburbiis civitatis ad tria milliaria, in ea regione quæ ſpectat inter Meridiem & occaſum ſolis qua ad *Forum Livii* itur, ad dexteram *Roncus* flumen fluit, cujus in ripa Crux lapidea extat. Hæc te docebit, *Gaſtonem Foiſſeium* Gallici exercitus Imperatorem, anno M. D. XII. eos campo inſigni certè victoria, ſed ſuo interitu, nobilitaſſe. Inflammatus namque immoderato ardore, delendi hoſtis, cum jam planè victor, ſtratis adverſariorum alis, incitato equo cum paucis recipientes ſeſe hoſtes perſequeretur, ſub aggere ejus profluentis amniculi confoſſus interiit. Millia hominum XVIII. ea die, quæ fuit dedicata Salvatoris noſtri morti, cæſa perierunt, Galli videlicet. Hiſpani, Itali, Germani, Helvetii.

Ravennâ perluſtratâ, & ulterius progrediendo, à dextera valles & lutulenta loca conſpiciuntur, & ſilva pinis conſita, cui parem Italia non habet, cujuſque fructus haud Provincia hæc tota deſiderat. Poſt aliquot milliaria, non procul à via, *Cervia* urbs inviſitur à dextris, parum frequens hominibus, quod aëris ſalubritatem experit. Hic montes tolluntur ſalinarum, quos erexit induſtria habitantium, aquâ maris coarctatâ, & ſolis verberatu ita affecta. Candidi videntur colles, quibus ſalis copia Italiæ toti ſuppetit, Pontificis Romani utilitate ſumma. Trajicies deinde amnem *Iſapem (ſavio)*, qui cum portum faceret, *Octavianus* Auguſt. claſſem magnam in eo poſuit. *Portum Ceſonaticum* pagum ulterius vides, & magis ultra ſuper littore amniculi *Piſſatelli* omnino ſiſtes.

Schott.

Perluſtra *Rubiconem*, perduellione *C. Julii Cæſaris* famoſum: & cogita, ut ille fluviolus, florente Imperio, præcipuam urbis Romæ provinciam Italiam eo loci inter *Appeninum* & *Hadriaticum mare* diſtermina-

minarit à Gallia Ciſalpina Provincia: utque *C. Caſar*, ſpretis majorum Legibus, quibus vetabatur omnis Imperator extra Provinciæ ſuæ limites injuſſu Senatus populique Romani legiones ducere, per nefas bello periturus patriam, exercitum eo traduxerit, & vanis oſtenti Panici ſuperſtitionibus militem ad civile bellum impulerit, moxque urbem Romam atque Italiam infeſtis armis occuparit.

Capug.

Viator ex Ravenna Ariminum petens, ad lævam fretum conſpiciet, ad alterum verò latus poſt arva & planiciem opimam & lucem, viam Flaminiam & Appennini colles, cujus radices habent *Forum Livii* urbem magnificam in qua potiſſimum herba *Gaudo* oritur pro pannis tingendis aptiſſima, & aniſorum cumini, ſaccaro condiendi. *Brittonorium* poſt *Forum Livii* in eminentiori colle ſe extollit, oleo, vino, aqua, & cœlo ſaluberrimo dives, in quo tamquam ſuper ſpeculam, *Adriaticum mare Dalmatas*, *Croatios*, *Venetos*, & *Romandiolam* totam perluſtrare poteris. Habet Flaminia ipſa *Forum Pompilii*. (*Forlimpolo*) & *Ceſenam*, arce in monte excavata, vinis penes cunctos illuſtriſſimis, collibus fructiferis, & apud Franciſcanos Bibliothecâ omni antiquorum librorum genere plena, & à *Malateſtis* donata, urbem verè conſpicuam. Eminet in uno collium Templum auguſtum Dei Matri ſacratum *Mons Mauri* alias nuncupatum, in quo multa leguntur antiquorum Epitaphia, quorum ſub altare habetur.

SEIAT. F. MARCELLINA SIBI ET VIBENNIO MARCELLINO FILIO VIVA POSVIT. QVOD VOLVIT, ET POTVIT. QVOD POTVIT, ET VOLVIT.

ARIMINUM.

Schot.

ANTIQUITATUM haud contemnenda eſt ibidem copia, cùm antiquiſſima ſit civitas, quam

An-

Augustus Cæsar & Imperatores Romani plures publicis ædificiis sumptuosis ac splendidis exornarunt, quemadmodum reliquiæ adhuc demonstrant. Coloniam quidem Romanorum factam tradunt Livius, Strabo, Vellejus, & Eutropius, simul cum *Benevento* ante bellum Punicum primum, P. Sempronio Sopho, & Ap Claudio Cæci F. Coss. anno post R. C. CCXXCV, Habitaque deinceps est ea colonia velut propugnaculum adversus Gallos in eo limite, quo etiam plerumque Romani Duces, qui Galliam, aut ulteriorem aliquam Provinciam sortiti fuerant, diem conveniendi ad signa militibus post delectum dicere, legionesque inde in Provinciam ducere solent, ut ex Liviana historia manifestum fit. Nominis etymon à leone, vel Hercule, aut Marte qui deducere volunt, Anniana somnia sequuntur: mihi potior visa sententia, qua plures opinantur à flumine quo alluitur *Arimino* nomen traxisse, cujus Strabo & Plinius mentionem faciunt Ab initio *Picentum* fuit, postea his devictis, & ab *Ap. Claudio* triumphatis, cùm ab *Æsi* ad *Rubiconem* protulissent Imperii fines, urbs *umbris* attribui cœpit: quæ in planicie sita fœcundissima, ab Ortu & Occasu frumentarios habet campos, à Meridie hortorum, olivetorum, vinearumque plenos Appennini colles, à Septemtrione Hadriaticum mare. Quare rerum omnium ad usum hominum abundans est. Ædificiis novis est pulchra & commoda: inter quæ Palatia sunt quædam sumptuosa majori ex parte à *Malatestis* olim urbis Principibus condita. Item fons in foro, marmoreo cratere, ac parergis omnibus ornatissimus, atque siphunculis pluribus dulces ac limpidas evomens aquas.

Spectabis castrum, Curiam, theatri lateritii antiqui reliquias ingentes versus mare, pontem marmoreum ex quadratis saxis grandibus in *Arimino* flumine constructum ab *Augusto* qui Flaminiam viam Æmiliæ, urbemque suburbio jungit. In longum ducentos pedes arcubus quinis innititur, in latum pedes

des quindecim habet. Ab utroque latere ſpondis marmoreis opere Dorico pulcherrimè laboratis munitus eſt, in quarum una magnis litteris inſculpti leguntur tituli *Imper. Cæſ. Auguſti*, in altera è regione *Tiberii* Cæſaris; ex quibus colligimus, anno poſt Urbem conditam D. CC. LXXVIII. C. Calvisio, Cn. Lentulo Coſſ. opus hoc abſolutum fuiſſe, quod Auguſti auctoritate Flaminiam ſumptuoſiſsimè munientis inchoatum antè fuerat. Videbis & antiqui portus veſtigia, qui modicis quidem nunc navigiis aptus, & arenis oppletus: ſed quam ſplendidus & amplus olim fuerit, cognoſces per ſtructuram magnificentiſsimi Templi *D. Franciſci*, quod ex marmoribus antiqui portus Ariminenſis *Sigiſmundus Malateſta* ejus urbis Princeps quondam exſtruxit.

Proficiſcens *Piſaurum* verſus, in tranſitu conſpicies veteſtiſsimum ac inprimis elegantem arcum marmoreum Auguſto Cæſari in via poſitum in ejus ſeptimo Conſulatu, cum jàm octavum deſignatus eſſet, quinque celeberrimis Italiæ viis, conſilio Senatus, populique Romani ex voluntate munitis. quemadmodum ex elogii fragmentis in arcu adhuc extantibus colligere licet. Atqui conſtat, ex his poſtremam non fuiſſe *Flaminiam*, quam *Auguſtus*, teſte Sueronio, ſibi deſumpſit ab urbe muniendam Arimino tenus: cùm reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia ſternendas diſtribuiſſet. Ad hujus beneficii publici memoriam propagandam, plures etiam nummos antiquos cuſos reperimus, cum *Auguſti* effigie & titulo ab una parte; & ab altera cum arcu dithyræo, vel bifori, id eſt, duarum portarum in via ſuper pilas fornicata poſito, in cujus ſupremo faſtigio *Victoria* quadrigam triumphalem agitans expreſſa videtur; & cauſſa tanti honoris adſcripta his paucis verbis: QVOD. VIÆ. MVNITÆ. SINT. Cujus quidem arcus marmoribus proſus omnibus ſpoliati reliquias magnas in eadem Flaminia via adhuc

hinc extantes, Romam usque pergens videbis.

Caput.

Qui *Arimino* breviori itinere Romam proficisci desiderat, colles urbis ad Meridiem transiliet, in quibus occurrit *Mons florus* oppidum, & amne *Isauro* transvadato, confectisque XXXIV. millibus passuum, *Urbinum* civitatem reperiet viator. Inter *Aqualagnam* octo milliariis distantem, & ad viam Flaminiam descendet, locaque perlustrabit (de quibus erit sermo cùm de Itinere ex *Fano Forum Sempronii* dicemus,) & *Umbriam* ingreditur. Est civitas *Urbini* Ducatus *Feltrii* metropolis, ac ledes:aëre purissimo fruitur, ingenii acumine, & rebus vilu dignis, ac memoria. Palatium à *Feltrii* Principibus extructum in ea videtur, tanta majestate & ædificandi arte insigne, ut nulli alteri possit invidere, Bibliotheca itidem, supellectili magna librorum ornata. Supra *Urbinum*, *castrum Durantis* locatum est, *à Gulielmo Durante*, libri qui *Speculum* inscribitur, auctore, constructum. Ibi *Urbini* Reguli elegantissimum Palatium, multaque voluptaria loca, & ad venandum & ad piscandum Aulæ oblectamenta condidere Ibi vasa figlina, quæ facilè cum *Faventini* nobilitata contendunt, finguntur. Ea in regione sita est arx inexpugnabilis S. *Lei*, quæ inciso lapide vivo extollitur adversus Feltrensium hostes, suntque Alpes & Appennini montes.

In ipsa Flaminia, si oculos tollis ad dexteram partem, pinnas *S. Marini* vides, post quas oppidum servitutis omnis expers apparet, in altissimo dorso montis positum, & illustris titulo non indignum. Distat Arimino viginti milliaribus cui ostendit faciem lapidis magnæ altitudinis, penitus invii, ac omnis ascensus omnino privati.

Lagus *Rimino* quindecim milliariis distans insuper eodem itinere Flaminiæ obviam fiet *Catholicæ* nomine, ubi vere planicie initia sumit, quæ nullo monte divisa, ad Alpes usque *Cottias*, quæque Italiam ab Gallia

Gallia ſejungunt, pervenit ampliſſima, civitatibus, populis, & rebus maximè Itali præ cunctis aliis extolluntur, ditata & abundans. Hic & Illic ſunt pagi & vici, Promontorium *Focara* (*Monti di Peſaro*) fructetis & deliciis onuſtum, unde parum abeſt Palatium nuncupatum *Poggio Imperiale*, cujus fundamentis lapidem primum Fridericus III Imp. ponere voluit Feltrenſium Regulorum ergo. Amplum, & omni venuſtate decorum exiſtit, & à multis æmulari, ab univerſiſque conſpici debet viatoribus.

PISAURUM.

Schott.

URBEM ejuſque arcem ad littus à *Joanne Sfortia* Principe conditam, munitiones ac propugnacula à *Franciſco Maria* & *Guidobaldo* conſtructa, nec non ullam extra muros ſumptuoſiſſimam, item ædes ſacras ac Monaſteria, aliaque viſu digna perluſtrabis. Eſt etenim *Piſaurum* ædificiis atque plateis perelegans, mercimoniis dives, emporiumque Italiæ celebre, ad cujus nundinas frequens mercatorum fit concurſus ex variis Provinciis, ſtatis anni temporibus. Portus tamen urbis illius, propter vada & arenas, onuſta & majora navigia non admittit: ut ab agaſonibus ac mulionibus, qui merces invehunt, magis quàm à nautis urbs frequentetur. Colonia Romanorum ſimul cum *Pollentia* facta eſt anno poſt Urbem conditam D. LXIX. *P. Clandio Pulchro, L. Porcio Licino* Coſſ. quadriennio poſt *Bononiam* deductam, uti Livius & Velejus Paterculus auctores ſunt. Eamdem paulo ante bellum Actiacum, cum eo *M. Antonio* III. vir colonos rurſus deduxiſſet, terræ hiatu abſorptam periiſſe, Plutarchus in Antonii Vita memoriæ prodidit.

Vita datis civitate, ad Palatium Ducis ibis, ubi inter cetera Armamentarium videas, bellicorum inſtrumentorum armorumque elegantiſſimorum copia & varietate inſtructiſſimum.

Hinc

ACAD.
SCIENT. LITT.
ET ART.
LUGD

Hinc rectà per *Fanum Fortunæ*, atque inde per littus *Senogalliam* proficiscere.

Caput.

Ad portam quæ ducit *Ariminum*, *Isaurus* (*Foglia*) fluvius lapideo ponte trajicitur, ibi Piceni finis, Flaminiæque initium. Sinistra pulchrum est oppidum *Nuvolaria*, à nobilitate aëris sic appellatum. Quarto ab eo lapide in ipsa via oppidum *Montis Abbatis*, excelso in loco positum, prospectum jucundissimum habet.

Ulterius *Mons Baroccius* loco longe editiore conditus totum Picenum respicit, & oppida circiter quindecim in collibus amœnitate illustria, & aspectu pulcherrimo oculos oblectantia.

FANUM FORTUNÆ.

Schott.

A CELEBRI quondam *Fortunæ Templo* nominatum oppidum non ignobile est, in Via Flaminia positum, in agro bono fertilique, oleo persuavi, frumento vinoque præstantissimo, abundanti. Coloniam eo deductam ab *Augusto* colligunt plures, cum is, ut Suetonius scribit, duodetriginta colonias deduxerit; & ab ipsius nomine hanc coloniam *Juliam Fanestrem* appellatam antiquitus fuisse, Pomponius Mela, & plures antiquæ inscriptiones testantur, quæ ibidem repertæ sunt. Eamdem ab *Augusto*, cinctam muro & à Constantini Magni filiis *Constantio*, & *Constante* restauratam fuisse, demonstrant muri vetusti reliquiæ, & arcus marmoreus portæ, qua per Flaminiam Româ venientes intrant, pulcherrimè & magnificentissimè cum suis titulis elaboratus: qui integer ferè ad *Pii* II. Pont: Max. tempora permanserat. Tum bello contra *Fanenses* tormentis ferè dirutus, cujus tamen effigies in proximo Sacello *D. Michaëlis* ad rei memoriam insculpta parieti est, impensa publica Fanensium. Apparent item in oppido marmora cum titulis vetusta ædis *Fortunæ*, aliorum

quæ publicorum ædificiorum vestigia multa: quamvis Gothicis; variisque cladibus aliis sæpius destructum fuerit.

Flaminiâ relictâ, cum *Metaurum* transieris, ostenduntur à dextris non multis parasangis inde sita in eo tractu loca cruentis prœliis insignia, & magnorum Ducum victoriis celebria; ubi M. *Livius Salinator*, & C. *Claudius Nero* Consules *Asdrubalem* Pœnum Annibalis fratrem acie victum occiderunt, ad *Metauri* ripas. Quæ clades Annibalem, viso fratris capite, de fortuna Carthaginis desperare coegit. Item ulterius, quibus in campis *Totila* Gothorum Rex cruento prælio sit superatus à *Narsete* eunucho, *Justiniani* Imperatoris Legato: cujus istâ præclarâ victoriâ jugum Gothicum ab Italiæ cervicibus sublatum fuit, cum *Totila* graviter saucius è prælio in Appennini juga fugiens, non procul à Tiberinis fontibus ad *Capreas*, velut à Procopio lib. III. historiæ Gothorum narratur, vitâ decessisset.

ITER FANO, USQUE FULGINEUM, VIA FLAMINIA.

Caput.

A Fano ad Occasum flectens vicos montanos invenies, inde per mediterranea. dextra Metauri fluminis ripa Viam Flaminiam, quâ vergit ad Meridiem, tenens, te conferes ad *Forum Sempronii*, quæ urbs inter collem & flumen in planicie ferè jacet. Nova civitas est cum antiquam *Gothi* aut *Longobardi* diruerint. Pro summi Templi foribus, quod inter cetera pulcherrima ædificia principem locum tenet, antiquæ leguntur litteræ, vetustatis insignia. Extra urbem lapideo ponte *Metaurum* transibis, & Via Flaminia progrediens, vinetis amœnissimis utrimque consitis animum recreabis. Tertio supra Forum Sem-

Sempronii milliario fluvius illabitur *Candianus*, ubi trans flumen Feltrensium Duces caveam omnis generis plenam ferrarum ad animi relaxationem instituerunt.

Iis in locis mons est *Asdrubalis*, ab *Asdrubale* Carthaginensi, à *L. Salinatore* & *Claud. Nerone* superato, nomen habens. Hinc via Flaminia ab Augusto Romam usque strata apparere incipit, ubi incredibili impensa durissimo saxo ferro perfracto circiter D. passus curribus etiam viam apertam per inaccessas montium altissimorum rupes obstupescès. Inter hæc summa apprehenderis admiratione, cum saxum ipsum ferro apertum fornicem habere conspicies longitudine passuum centum, latitudine duodecim, & altitudine totidem, ab Italis *Furlo* nominatum, quasi *saxum perforatum*. Quædam ibi legebantur litteræ nunc vetustate pæne oblitteratæ, quibus docebantur *T. Vespasianum* arduum hoc opus peregisse. *Candianus* amnis à læva sui flexibus obstrepit inter montes passuum milibus tribus, quousque hæc ostia prætergressus, campos per decem milliaria patentes invenies, in quibus *Aqualagna* vicus reperitur. Hic tibi redeat in memoriam, *Totilam* Gothorum Regem fusum fugatumque à *Narsete*, in propinquis locis quo se ex fuga receperat, expirasse.

Ulteriusvia Flaminia *Callium* urbs, postea ad fluminis dexteram *Cantianum* oppidum ex *Luceoli* ruinis, (quam urbem, ubi nunc pons lapideus, constat fuisse) ædificatum invenias, à *Narsete* excisam, ubi *Eleutherius* Exarchus, perfidiâ nomen captans Imperatorium, de medio sublatus est. Procedenti Alpium jugum Picenum terminans apparebit. Inde pagos *Saheggiam*, *Sigillum* & *Gualdum* in colle ædificatum à Longobardis, tandemque *Nuceriam* offendes ad sinistram in summo Appennini colle, pulcherrimis olim ligneris vasis celebratam, *Alpathenia*que ad aliarum *Nuceriarum* differentiam vocatam. Diruta antiqua est, hæc recens & parva, Pontificio Impero

subjecta, vino muscatello abundat. Ad radices montis, qui tenet urbem, vallis *Tinia* à flumine ejusdem nominis, quod eam interfluit, appellata, de quo flumine Silius;

.... Tiniæque inglorius humor.

Inglorium autem vocat, quod navigationi pervium non sit. Iter per Vallem periculosam; sæpiùs enim necessario flumen vadantes limo ejus, tenacissimo inhærent, subterraneisque voraginibus in mergantur. Vallis duodecim millibus passuum exporrigitur, in qua *Pons centesimus*. Quinque millibus passuum *Fulgineum* abest: nomen inde vico datum, quod Romam centum milliaria inter essent; sed nostro tempore, factis longioribus milliariis, minori distat intervallo.

ITER FANO FULGINEUM, ET ROMAM, FACILIORE, AT PROLIXIORI VIA SENOGALLIA.

Schott.

OPPIDUM celebre & pervetustum *Sena* prius à conditoribus *Gallis Senonibus*, dein ad differentiam alterius ejusdem nominis, quæ in Hetruria est, *Sena Gallica* nuncupata, cum adhuc *Æsis* fluvius Italiam a Gallia Cisalpina discerneret. Hinc *P. Dolabella* Consule Senonibus ad internecionem extinctis, eorumque agris occupatis, Romanorum est colonia facta simul cum *Castro* & *Hadria*: quo fere tempore, inclusis *Umbris* Italiæ limes ad *Æsi* ab *Rubiconem* usque productus est. Marcum Livium Salinatorem Consulem cum exercitu adversus *Asdrubalem* Italiæ ingruentem *Sena* consedisse, & quingentos inde fere passus hostem abfuisse constat, cum *C. Nero* collega maximis itineribus profectus è Lucanis cum ex-



245



expedito sex millium peditum & mille equitum exercitu nocte veniret illi auxilio: tunc junctis viribus altero mox die fugam ultra *Metaurum* molientem *Asdrubalem* cum toto exercitu trucidarunt, ut antè diximus, & Titus Livius pulcherrimè libri XXVII. fine narrat.

ANCON.

Schott.

EST *Ancon* ut antiquitate, sic & opibus, pulchritudine, atque emporio propter portus commoditatem celeberrimo, famosa & insignis, ideoque Græcorum, Illyricorum, ac Pannonium, immo totius Europæ gentium mercaturâ continua frequentatur. De ejus origine consentiunt Auctores vetusti ac fide digni, Strabo, Plinius, atque Solinus, Græcam urbem esse, eamque *Syracusios*, ob *Dionisii Siculi* tyrannidem profugos, condidisse Falluntur, qui *Dores* ejus conditores arbitrantur fuisse, Juvenalis Poëtæ versiculo decepti, quod *Doricam* appellat *Ancona*, ludens in rhombum ingentem *Domitiani* Cæsaris, Satyra quarta:

Incidit Hadriaci spatium mirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon

non animadvertentes, venustè Poëtam una illa voce primam urbis originem, atque simul vetustam civium linguam denotare, qua Syracusii conditores, ut & Siculi fere omnes, antiquitus usi, quemadmodum Theocriti, Moschi, Epicharmi, Syracusanorum Poëtarum, non solum scripta testantur, sed antiqui Siculorum nummi plurimi, adhuc extantes, *Doricam* eam fuisse Colonia Romanorum quando facta, fuerit, non planè liquet. Verisimile est, post Tarentinum bellum circa annum Urbis c. DXXCV. devictis à *Sempronio* Consule Picentibus & Italiæ finibus ad *Æsim* amnem usque prolatis, *Anconem* in limitibus colonos fuisse deductos. Constat quidem ex Plinio, coloniam Siculorum primum fuisse, qui libro III. c.

cap. XIII. in Piceno *Numanam* à Siculis conditam scribit, & ab iisdem coloniam *Ancona* appositam promontorio *Cumero* in ipso, flectentis se oræ cubito. Hinc *Ancon* Græca voce dicta fuit, quod & urbs & promontorium formâ cubiti se incurvent, & portus stationem tutam faciant. Agrum vero posteà Anconitanum per Romanos limitibus Gracchanis per centurias in jugeribus assignatum colonis fuisse. variorum Auctorum vererum liber *de Limitibus* memoriæ prodidit. Itaque sub Imperio Romanorum hanc urbem ob portus opportunitatem semper admodum floruisse. Auctores multi demonstrant. Cujus quidem portus, *Trajani* Aug. impensis magnificentissimè restaurati, ingentes & præclaræ adhuc extant reliquiæ.

Spectabis itaque urbem ædificiis nitidam, & opulentam mercatura, & negotiantium inquillinorum frequentia copiosam. Quæ oppositа promontorio *Cuncro*, mari atque opportunissimo portu à Septemtrione clauditur portis, propugnaculis atque muris undique munitissima Summorum Pontificum industriâ. Portus quidem ille capacissimus cum naturâ ac promontorii situ, tum, opere atque arte veterum clausus atque adeo tutus est, ut inter primos atque pulcherrimos orbis terrarum adhuc celebretur: quamvis horum atque superiorum temporum supinâ negligentiâ, turpique avaritia, quibusdam in locis oppleatur. Extant adhuc magna ex parte marmorea septa, quibus undique vestitus fuit. Item suis interstitiis columnæ, ad quas naves alligabantur; gradus item perampli, per quos ad aquas descenditur, nec non onera ac merces extrahi è navibus evehique in terram solent. Habuisse spatiosas porticus multis columnis innixas, cognoscimus ex nummis antiquis in honorem *Trajani* excusis, in quibus portus ejusdem forma effigiata visitur, & qualis olim fuerit cum *Neptuni* signo arundine coronati in undis ante fauces decumbentis juxta delphinum cum navis

vis gubernaculo in dextra. Apparent catenæ duplices, quibus fauces occludebantur, & in ipso portu quinqueremis Prætoria, celoces, triremes, phaseli, aliæque naves multæ. In ejus medio inter porticus noscitur arcus ille sublimis, quadrigis & trophæis in fastigio onustus; à Senatu populoque Romano in ejus beneficii memoriam *Trajano* ibidem erectus, & adhuc temporis extans: qui licet quadrigis trophæis, imaginibus, signis litterisque æneis inauratis, omnibusque suis ornamentis sit spoliatus (quemadmodum ex vestigiis, in quibus ænea signa, literæ, parerga, aliaque sigilla marmoreo operi suis locis plumbo ferroque infixa fuere, colligimus) non minus tamen, quasi nudæ Veneris simulachrum quoddam eximium, spectantium oculos in admirationem rapit atque detinet; dum scilicet accurate considerant ejus molis artificium, pulchritudinem, ac justam symmetriam partium. Quandoquidem numeris omnibus absolutissimum corpus illud marmoreum paucis immanium lapidum coriis, id est, ordinibus in altum æqua crassitudine evehitur: atque tam frontis quam laterum undique scenographiam perfectissimam venusta cum quadam eurithmia repræsentat. Idque inprimis eximium videtur, architectique summam peritiam atque securitatem ostentat quod arcus ipsius partes & ornamentorum membra quæque, nimirum stylobatæ, atque spiræ columnarum, item capitulorum abaci, plinthi, echini, flores ac teniæ, nec non fastigii & apsidum projecturæ, fasciæ, coronæ, zophori, triglyphi, cymatia, simæ; sic & titulorum tabulæ, & quidquid est appendicum, quibus arcus honorarius similis exornari soler, non foris adjuncta, sed ex vastis marmorum quadris, è quibus totum opus constat, sint simul exsculpta, & artifice manu ad amussim expolita, coagmentaque tam concinnè, ut inter quadrorum commissuras ne cultelli mucronem quis inserere posset, & ex uno Parii montis saxo totus arcus excisus à

longè videatur. Elogium, quod detractis æreis inauratis literis in arcus fronte ſupra apſidem exſtat, cauſam declarat, cur eo loci *Trajano Aug.* ejuſdemque conjugi *Plotinæ Aug.* & ſorori *Marcianæ* jam tum inter Divas relatæ in honorem exſtructus fuerit. Nec ingratum fore ſtudioſis autumo, idipſum hic ſubtexere exſcriptum correctius, quam à quibuſdam aliis Scriptoribus publicatum fuit.

IMP. CÆSARI. DIVI NERVÆ. F NERVAE.
TRAJANO. OPTIMO. AVG. GERMANIC.
DACICO. PONT. MAX. TR. POT. XVIII.
IMP. IX. (CIPI
COS. VI. P. P. PROVIDENTISSIMO. PRIN-
SENATVS P. Q. R. QVOD ACCESSVM
ITALIÆ HOC ETIAM ADDITO EX PECV-
NIA SVA
PORTV TVTIOREM. NAVIGANTIBVS. RED-
DIDERIT.

In latere dextro:	*In latere ſiniſtro:*
PLOTINÆ AVG.	DIVÆ MARCIANÆ
CONJVGI AVG.	SORORI AVG.

Perge ad arcem Anconitanam, & ad portas, ac propugnacula nova videnda, quibus adverſus piratarum Turcarum impetus ac inſidias urbs illa munita pridem fuit; primum *Clementis* VII. dein *Pauli* III. atque ſucceſſorum Pontificum auſpiciis, atque maximis impenſis.

Non detractabis ſcandere *Cumerum* promontorium (*montem Anconitanum* appellat Plinius) & rebus ibi videndis horas aliquot impendere. Viſita cathedrale *D. Cyriaci* fanum antiquum, marmoribus rariſ, atque ſtructura ſumptuoſa peramplum & eximium, in cujus Templi ſacrariis quamplurimæ Divorum Reliquiæ, ac donaria pretioſa, pietatis ergo conſervantur. Non procul inde in promontorio *Veneris* ædem fuiſſe, ex Juvenalis Poëtæ citatis ante verſibus palam fit, cujus nullæ nunc viſuntur reliquiæ. Ex alto ibidem volupe ſit contemplari ſpatioſa maris

æquo

Fol. 249.

ETVM.

æquora, urbis atque portus curvaturam ac ſitum, per continentem Appennini juga, cui promontorium hoc ita cohæret, ut nonnulli eum illic finiri memoriæ prodiderint. Ramum quidem Appennini eſſe, credi facilius poteſt qui hinc ad *Garganum* per oram Hadriatici maris, atque inde in Meridiem ad *Leucopetram* Brutiorum promontorium perpetuis jugis in Epiroticum mare procurrit, ac veluti ſpina dorſi totius Italiæ continentem roborat ac firmat. Monſtrantur hinc vicinæ civitates, atque circumjacentia caſtella & oppida. Sub promontorio ad littus *Sirclum*, nobili nunc etiam vino celebre, quod etiam à Plinio *Anconitanum* vocatur, & inter generoſa numeratur. Inter Appennini montes *Urbini* & *Auximi*, aliorum oppidorum ſitus declarantur. *Cingulum T. Labieni* ad Muſonis fluenta in colle poſitum; qui C. Cæſaris procos. Legatus in Galliis, longo bello tantum ſibi corraſerat ex prædis divitiarum, ut oppidum hoc privata impenſa condiderit; cujus oppidi imaginem nummis argenteis expreſſam cum ejus titulo non ſemel vidimus. Invidioſas ejus opes taxant Cicero & Valerius Max. Silius, & Dio Nicæus, aliique.

ÆDES LAURETANA.

Schott.

HINC per xv. milliaria *Lauretum* uſque proficiſcere, ubi inclytum religione fanum *Divæ Mariæ Deiparæ virginis* viſitur, peregrinatorum concurſu ab univerſis Chriſtiani orbis regionibus eo confluentium mirifice frequentatum, pietatis & votorum cauſa. Silva olim laurea in colle ad *Muſtonis* amnem inter *Ricinetum* & mare, à qua *Laureti* nomen: in eodemque colle, ſunt qui opinentur, *Cupram* Tuſcorum oppidum cum antiquiſſimo *Junonis Cuprenæ* delubro fuiſſe. Nunc vicus, vel potius oppidulum, muro, foſſis, & turribus cinctum, atque propulſatoriis inſtructum abunde, ne piratis ac Turcis, impiove militi, ut antea, ad direptionem pateat; utque tuto com-

commodeque nunc habitetur, & advenas hoſpites
aute mundeque in diverſoriis excipiat & tractet.

Templum ipſum ex quadrato ſaxo, ſumptu atque magnificentia ſublime & peramplum eſt: in cujus medio ſacroſanctum illud *D. Virginis* conclave per ſummam religionem ab advenis aditur, concluſum Sacello marmoreo quadrato, ſculpturis artificioſiſſimis extrinſecus elaborato tam laxe tamen, ut novum hoc opus veteres & venerandos illos ſacri conclavis muros nuſquam contingat. Atqui opinioni prorſus receptum, & re ipſa conſtare tradunt divini Numinis hoc fieri nutu, ut parietes illi, intra quos nata educataque fuit cœlorum Regina ſemper virgo Maria, & intra quos, Archangelo Gabriele nuntiante, ipſa Deum ac hominem concepit, operarias hominum manus non admittant, renovari ac ornamentis illis veſtiri nolint. Nec ambigunt piorum animi, quin divinitus idipſum conclave per Angelos eo tranſlatum è Palæſtina fuerit, cum propter graviſſima Scriptorum hac de re teſtimonia, cum miraculorum celebritate perculſi, quibus locus *iſte* jam à tot ſæculis inauguratur, & illuſtratur indies. Obſtinata & ſaxea corda poſſent mollire primo ingreſſu, & ad venerationem poſſent impellere, tot inſignia miraculorum documenta, atque donaria votiva per Templi parietes columnas, fornices, atque tholos, circumquaque ſuſpenſa; veluti ſtatuæ ſigna, imagines, arma, exuviæ, veſtes, aliaque inſtrumenta infinita, ſimul cum tabulis pictis ſcriptiſque: quibus ſingulis luce clarius oſtenditur, & memoriæ mandatur, quam pro ſalute humani generis inexplicabilia ſuæ potentiæ ſigna palam Deus opt. Max. oſtendat, qui ſuo nutu cuncta regit: & ut in locis ſibi pie dedicatis facile proſperet atque perficiat bonæ voluntatis conatus, gloria & majeſtate domum ſuam adimplens, in qua nomen & cor ejus (ut Salomoni Regi eſt oraculo pollicitus) cunctis diebus permaneat: quo in preces implorantium ejus auxilium, cum auctario præſertim

tim intercessionis gratæ *D. Virginis*, matris suæ, aliorumque coheretum cœlestium (quorum hic imitatores esse debemus) oculis apertis, & arectis auribus attendat. Jam vero quam obnixe succurrat in rebus desperatis, cum ibi, tum ubique terrarum multa miraculorum millia documento sunt: quæ tamquam in speculo nobis etiam representant; quàm non repudiat advocatos nostros, & quàm temerarium sit, ejus exquirere consilia in eligendis sui cultus locis.

Per Templum, tragica, multipliciaque humanarum calamitatum pegmata tamquam in theatro quodam perlustràbis; in quibus tamen semper benignus ille Deus ἀπὸ μηχανῆς ἐπφανὶς felicem cuicumque tragœdiæ catastrophen imposuerat. Verum quis varios rerum casus memorando describet, diluvia, tempestates, naufragia, fulmina, terræmotus, ruinas, præcipitia, lapsus, ossifragia, morbos, cædes, latrocinia, ficas carceres, laqueos, furcas, & infinitos ærumnarum crateres, quos nobis in hac lacrymarum valle noverca fortuna propinat? sed ut Poëtæ verbis hoc concludam.

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim,

queis non solum apud inferos summum Numen suâ justitiâ noxas vindicat, sed quibus etiam hic nos delirantes sua clementia in ordinem redigit, cœlo nos reservare cupiens. Deus etenim nobis fortunæ calicem miscet ad salutem.

Ostenduntur singulatim pretiosa & rara Principum atque Magnatum donaria, quæ religionis ac voti causa *D. Virgini matri* in sacrosancto illo delubro dedicata fuere. Item in Sacrario vestes ac vasa sanctiora ex auro & argento, gemmis & unionibus onusta.

Nec votivæ tabulæ prætereundæ, quibus etiam laudes Deiparæ Virginis Lauretanæ à præclarissimis

ingeniis decantatæ continentur, inter quas *M. Ant. Mureti* non vulgaris est.

M. ANT. MVRETI
AD BEATISS. VIRGINEM DEI MATREM,
Quæ in Ædе LAURETANA religiosissimè colitur.

UNDE mihi insolitus præcordia concudit horror,
Et perfusa metu trepidat, velut icta Deo, mens?
Fallor, an hoc facit ipse locus, stimulosque paventi
Subjicit, atque animum præsentia Numina urget?
O cœlo dilecta domus, potesque beati,
Quos ego jam pridem tota mihi mente cupitos,
Nunc primum, veteris voti reus, advena viso!
Salvete, adspectique mihi feliciter este.
Vosne per æthereas Judææ à finibus oræ
Aligerûm, mandante Deo, vexere manipli?
Hic Virgo genitura Deum genitricis ab alvo
Prodiit, & blandis mulsit vagitibus auras.
Hic quoque Virginei servata laude pudoris
Sancta salutifero tumverunt viscera fœtu.
Ille opifex cunctorum, illa æterno unica Proles
Æqua Patri, ille homini primæva ab origine lapso
Spem cœlo vitamque ferens, hac lusit in aula
Parvulus, & sanctæ blanda obtulit oscula matri.
Quænam igitur Regum sedes, qua Templa per orbem
Huic se ausint conferre loco? Ter & amplius omnes
Ante alias felix Piceni littoris ora,
Cui Solymæos spectare domi, cui munera Divum
Fas calcare domi est pedibus vestigia Christi.
En ego jam supplex procumbam, atque oscula figam
Parietibus sanctis, spargamque hoc pulvere crines.
Aspice me superis è sedibus, aspice Virgo,
Prostratum, atque imo gemitus ex corde ciantem.

Et pec-

Et pectus tundentem, & fletibus ora rigantem:
Ne, quamquam culpis ad opertum turpibus, arce
Adspectume Diva tuo, si pectore toto
Te veneror, si te, dubiis in rebus, ad unam
Confugio, teque auxilium sanctissima posco.
Pœnitet ex animo vitæ me Diva prioris.
Pœnitet, & meritas horret mens conscia pœnas.
Quòd nisi tu casto pendentem ex ubere Natum
Concilias placasque mihi, quò tendere cursum,
Quóve malis fessam tentabo advertere puppim?
At tu (namque soles) placida dignare querelas
Aure meas, & ades lapsis mitissima rebus.
Certè equidem tota pendentes Æde tabellas
Aspicio quæ te miseris præstò esse loquantur.
Hic te animo spectans, torrentem viscera febrem
Depulit; ille hyadas tristes hædumque cadentem
Spectavit tutus, vertentibus æquora ventis,
Et duce te patrias enavit salvus ad oras.
Criminis ille reus falsi, sub Judice duro,
Dum mortem exspectat, tenebroso carcere clausus,
Munere Diva tuo detecta fraude, revisit
Uxorem, & natos, exoptatumque parentem.
O ego nunc morbis multò gravioribus æger,
Naufragiumque timens longè exitiosius illo,
Et jam pridem animum peccati compede vinctus,
Si possim morbis liber vinclisque solutus,
Fluctibus & ventis laceram subducere puppim;
Quas tibi lætus agam grates dum vita manebit?
Te, cùm luce nova sparget sol aureus orbem,
Te recinam, quoties abscondet opaca polum nox?
Et tua præcipuo venerabor Numina cultu.

Extat & votum Virgini matri Lauretanæ, viri clari *Lovini Torrentii*, Episc. Antverpiensis,

CELE-

CELEBRITAS ET MAJESTAS ÆDIS LAURETANÆ.

Ex HORATII TURSELLINI, *Societ* JESU *Libris quinque.*

NULLUM omnino tempus anni, nullus menſis, dies nullus abit, quin SS *Virginis* cella à plurimis advenis celebretur. Nec *Picentium Italorum*que propria hæc laus pietatis, ſed communis Tranſalpinis, Tranſmariniſque maximè vero *Illyricis Francis, Belgiſque*. Nec deſiderantur *Hiſpani, Luſitani, Poloni*, atque *Germani*. Duo tamen ſunt anni tempora, populorum gentiumque omnium frequentia ac celebritate præcipua, Ver, Autumnus, quorum alteri dies concepto inibi Deo ſacer, alteri natalis *Deip Virginis* initium facit celebritatis. Utraque autem celebritas trimeſtris eſt, quo temporis ſpatio maximis populorum concurſibus *Ædes Lauretana* celebratur pænè quotidie Namque agri Piceni nulla urbs, oppidum, pagus, vicus eſt, quin quotannis catervatim populatimque Lauretanam Virginem interviſat. Quorum exemplum finitimos circa populos *Samnitem, Umbria, Flaminiæ, Æmiliæ*, ceteræque Italiæ ad ſimilem pietatis laudem invitat. Veniendi fermè ratio talis. Præeunt Sodalitates ſuis quæque inſignibus vexilliſque diſtinctæ. Plerique enim præter Chriſti crucifixi effigiem, Deiparæ alierumque Divorum imagines pulcherrimè pictas præferunt. Agmina claudunt Sodalitatum moderatores, Sacerdoteſque, cum ſua cujuſque agminis ſymphonia. Sequuntur dona, argenteæ coronæ, calices, cerei nummis obſiti, pretioſæ veſtes urbium oppidorumque argentea ſimulachra, votivæ tabellæ, divinorum beneficiorum *B. Maria* deprecante partorum indices. Interponuntur ſæpè ſacrorum Vatum Sibyllarumque de B. Virgine vaticinantium aliæque perſonæ habitu

habitu vestis insignes; sæpè etiam excipit incondita & promiscua cujusque populi turba. In itinere carmina Deo, Dei parenti, Divisque per intervalla invicem canunt. Obvias urbes cum transeunt, eas ad Lauretanæ Virginis religionem cultumque exemplis pietatis accendunt. Simul ac vero Ædes Lauretana in conspectum se dedit (ea, quia in edito colle sita est, procul conspicitur) extemplò universi prosternunt corpora, & obortis præ gaudio lacrymis, Deiparam consalutant. Inde in ordines abeunt, instructisque agminibus procedentes canunt Litanias Hymnosque. Nec desunt, qui exuris propere vestibus, paratos ad id saccos induant comitesque subsequantur, nuda sibi terga cædentes. Ad Laureti portam peregrinis Sodalitatibus Lauretani Sacerdotes linteati procedunt obviam, easque in templum deducant cum egregia symphonia, festoque campanarum ac turbarum sono. Ubi ad Ædis vestibulum ventum est, advenæ denuo prostratis corporibus, impense salutant Virginem, tanto utique animi ardore sensuque, ut ceteri qui adsunt, illorum vocibus emolliti, cellacrymare cognantur. Posteaquam ad colluc entẽ facibus lychnisque Deiparæ cellam perventum est, Divæque effigiem intueri contemplarique cæperunt, incredibile dictu est, quæ voces, qui gemitus, quæ lacrymæ, quæ suspiria passim exaudiantur. Deum præsentem adesse facile sentias. Plerique porro divino simul horrore gaudioque perfusi, adeò sacris illis parietibus adhæresunt, ut inde avelli abstrahique vix queant. Dumque aram Apostolorum, sacrum armariolum, obstructam januam, ipsumque caminum venerabundi contemplantur; dum meditantium animis B. Virgo in iis locis aliquid agens occurrit, nullum intuendi finem, nullum osculandi modum facerent, nisi plurimorum idem petentium ardor obstaret. Finitimorum populorum fermè hæc est ratio. Ad exterarum gentium peregrini alii aut pedibus, equis alii aut vehiculis gregatim confluunt, plesi

plerique peregrinorum habitu ac notis insignes. Verum in dispari habitu advenarum eminet Ædis Lauretanæ cultus idem. Omnium ferè hoc commune est, ut delictis expiati cœlesti mensa reficiantur, plérique autem B. Virginis aram iactata pecunia & pretiosis cumulent donis. Quamquam dona insigniora Sacelli custodibus tradi solent, ut in codicem referantur, quo eorum, & simul donantium, extet memoria ad posteros. Aram Apostolorum scilicet, & Deiparæ effigiem, pro varietate temporum, magnifica semper adornat vestis, incredibilisque cultu gemmarum aliorumque donorum. Sacellum ipsum candidis semper cereis lychnisq; argenteis plurimis collucet: assiduis propè symphanicorum, musicorumque personat cantibus: & quod caput est, præsenti Dei numine semper affluit, quod in intrantes redundat advenas: sic prorsus, ut pios insolito quodam gaudio, improbos horrore perfundat; ægris remedio, mœstis solatio torpentibus incitamento, præsidio periclitantibus, perditis sit saluti. Porro præcipua Lauretani Sacelli frequentia est circa ferias Paschatis, Pentecostes, & Natalem Virginis diem: nam præter alios innumerabiles qui pedibus, equis, quadrigis sub Pascha Lauretum petunt plurimi ex Longobardiæ, Venetiæ, Dalmatiæque oppidis gregatim navigiis Anconam delati, ad Lauretanam ædem fermè pedibus pergunt. Hic ferè postridie Paschatis, quo die in Sacro Evangelium de peregrinis Emmauntem petentibus recitatur, peregrinorum habitum sumunt, & post faustam Antistitum suorum precationem, cum Sacerdotibus innocentiæ custodibus pariter se dant in viam. Quorum quidem tanta est multitudo, ut duodena millia facilè excedant. Inde excipiunt finitimorum oppidorum urbiumque concursus incredibiles, ac subinde agnina plurima ac maxima fœnisecarum mellorumque. Ceterum natalis dies B. Mariæ longè maxima advenarum frequentia est insignis, toto pœnè Piceno (ut de ceteris Regioni-

ibus taceam) Lauretum confluente. Satis
ſtat, illo biduo ſupra c c. hominum millia
retanam ædem nuper acceſſiſſe. Itaque ne-
itas Cuſtodes ſacroſancti Sacelli cogit in te-
i ejus parti cancellos per id tempus extrinſecus
mdare, ut in expedito ſit admittere quos ve-
aut excludere, turbaſque vitare. Omnibus por-
ani temporibus militum cohortes ac turmæ e-
tum proficiſcentes ad bellum divertere ſolent
retum, ubi ritè expiati, ludicris certaminibus
litari more celebrant Virginem. Atque hæc in-
dibilis advenarum frequentia vias Lauretum fe-
tes frequentiſſimas diverſoriis fecit. Itaque ho-
iorum oppottunitas, commoditaſque viarum
ſtrem quoque peregrinationem, quamvis deli-
is ac debilibus, haud ſanè difficilem præbent. Ad
c itinerum celebritas tanta eſt, ut per ea tempora
ſim occurrant varii peregrinorum greges, ingens
incitamentum pietatis, vel levamentum laboris.
go ipſe *M. Antonio Columnæ* (ut de aliis taceam) vir
opibus & bellicis rebus inclytus, votivam pere-
inationem Lauretanam exſequi ſuſtinuit pedi-
is. Omnino, ut Lauretum tandem ad conſpectum
iparæ ventum eſt, ſuperfundente ſe piis mentibus
eo, tantam omnes hauriunt cœleſtis lætitiæ volu-
atem, ut maximum quamvis laborioſæ peregrina-
onis fructum ſe cepiſſe fateantur. Hic ego quid
emorem, quàm multi faciant B. Virgini vota? quam
ulti reddant? quot è flagitiorum emergant cœno?
ot in explicabilibus inceſtarum illecebrarum vin-
lis animum exſolvant? quot veteres inimicitias, &
veterata odia deponant? quot homines deſperatæ
lutis, qui fœdus pepigerant cum inferno, ex infe-
orum faucibus erepti reviviſcant? Nam quanto cor-
oribus animi præſtant, tanto plura ac majora in a-
imis quàm in corporibus hominum curandis exi-
unt Virginis Lauretanæ miracula; ut hæc & alia,
ux attigimus, explicare velle oratione, hominis ſit
divi-

nibus taceam) Lauretum confluente. Satis nstat, illo biduo supra c c. hominum millia auretanam ædem nuper accessisse. Itaque ne-ssitas Custodes sacrosancti Sacelli cogit in te-ori ejus parti cancellos per id tempus extrinsecus cumdare, ut in expedito sit admittere quos ve-nt, aut excludere, turbasque vitare. Omnibus por-anni temporibus militum cohortes ac turmæ e-uitum proficiscentes ad bellum divertere solent auretum, ubi ritè expiati, ludicris certaminibus ilitari more celebrant Virginem. Atque hæc in-redibilis advenarum frequentia vias Lauretum fe-ntes frequentissimas diversoriis fecit. Itaque ho-itiorum opportunitas, commoditasque viarum edestrem quoque peregrinationem, quamvis deli-atis ac debilibus, haud sanè difficilem præbent. Ad æc itinerum celebritas tanta est, ut per ea tempora assim occurrant varii peregrinorum greges, ingens el incitamentum pietatis, vel levamentum laboris. rgo ipse *M. Antonio Columnia* (ut de aliis taceam) vir opibus & bellicis rebus inclytus, votivam pere-rinationem Lauretanam exsequi sustinuit pedi-us. Omnino, ut Lauretum tandem ad conspectum Deiparæ ventum est, superfundente se piis mentibus Deo, tantam omnes hauriunt cœlestis lætitiæ volu-tatem, ut maximum quamvis laboriosæ peregrina-ionis fructum se cepisse fateantur. Hic ego quid memorem, quàm multi faciant B. Virgini vota? quam multi reddant? quot è flagitiorum emergant cœno? quot in explicabilibus incestarum illecebrarum vin-culis animum exsolvant? quot veteres inimicitias, & inveterata odia deponant? quot homines desperatæ salutis, qui fœdus pepigerant cum inferno, ex infe-rorum faucibus erepti reviviscant? Nam quanto cor-poribus animi præstant, tanto plura ac majora in a-nimis quàm in corporibus hominum curandis exi-stunt Virginis Lauretanæ miracula; ut hæc & alia, quæ attigimus, explicare velle oratione, hominis sit divi-

divinam potentiam (quæ Laureti vel maximè se ostendit) humana imbecillitate metientis. Itaque satius duco succumbere oneri, quàm enarranda suscipere ea quæ utique pertractando detererem. Hoc unum liquido affirmare possum, Lauretanam celebritatem majestatemque tantam esse, quantam qui oculis non subjecerint, haudquaquam concipere animis possint; ut si deinde cum narratis audita conferas, famam re ipsa minorem invenias. Adeo una in tertis Lauretana res non fidem solum, sed famam quoque ipsam, quæ cuncta in majus celebrare solet, incredibili majestate ac fastigio vincit.

PRÆCIPUUS LOCUS, SITUSQUE ADMIRABILIS ÆDIS LAURETANÆ.

Horat. Tursel.

CEterum è Galilæa migrans in Dalmatiam, indeque in Picenum in silvam, hinc in collem duorum invicem dessidentium fratrum, in illis locis sedem sibi Deipara Virgo elegerat, ad diversandum magis quam ad habitandum, minimè scilicet diuturnam. Quippe cum eo demum loco, ubi nunc est, ab initio sedem animo destinasset stabilem, & (nisi incolarum accolarumve aliquod delictum obstet) ut speramus, æternam. Neque enim ambigi fas est, quin Dei mater & Dalmatarum in Illyrico indiligentiam, & immanitatem latronum in silva, & in communi duorum fratrum colle fraterna odia, ut providerè à principio, sic vitare potuerit. Nimirum illa istarum rerum satis gnara, ex quo primum tempore Nazaretho Domus excessit, relicto natali solo hunc sibi locum elegit, ubi stabilem ac perennem figeret sedem. Verum enimvero opus fuit ad fidem tam insolito in audito que anteà miraculo affirmandam, ejusdem miraculi frequentatio, ut rem per se incredibilem crebra in-

tra

tra paucos annos mutatio credibilem faceret. Qui enim ambigerent deinde mortales, an Domus illa ex Galilæa esset advecta, cum eamdem illi ipsi audissent suo ævo, ex Illyrico in Picenum migrasse, qui vidissent in ipso Piceno intra spatium vix mille passuum, anno nondum circumacto, ter mutasse sedē locumque? Incidit quippe tertia hæc & postrema migratio in annum à Christo nato M. CC. XCV. qui adventum sacræ Domus in Italiam est consecutus. Operæ autem pretium est de admirabili ejus situ cognoscere: situs enim ipse sacrosanctam illam sedem non humana, sed divina prorsus arte manuque locatam facile declarat. Sita igitur est, si qua usquam, ad quatuor cœli mundique regiones, ex Mathematicorum disciplina: neque id solum, sed ex veteri etiam sanctorum Patrum instituto, qui aras sacrarum ædium ad solis spectare ortum jubebant. Namque anterior paries, ubi fenestra visitur Angeli ingressu (ut ferunt) nobilis, ad occidentem solem vergit; posterior, ubi arca est ante B. Mariæ simulacrum posita, vernum fermè Orientem spectat, adeo quidem directo, ut per utrumque Æquinoctium, decem circiter dierum spatio sol oriens posteriorem, occidens anteriorem aspiciat partem. Itaque per eam sub occasum sol, quam dixi, fenestram ingressus ad B. Virginem velut vespertinus salutator accedit, quando matutinus esse nequit, objectu parietis exclusus. Id adeo etiam post sacrum Domum Templo inclusam observatum ferunt, priusquam adversa Templo facies Pontificiæ domus objiceretur ab Occasu. Ceterum non dubito quin ejus janua (perfecto deinde opere) patefacta, illud idem solis Deiparam à Templi aditu per Sacelli fenestram quodam modo salutantis, sit præbitura spectaculum. Sinister porro sanctissimi Sacelli paries ad Septemtrionem vergit, dexter ad Meridiem. Ac proinde Pontificalium rectorum porticus sane magnifica ad Meridiem versa (B enim Virgo suæ cellæ seu situm Pontificiarum ædium velut præscri-

psit:

pli: architecto) quotidie, cùm adversum recta excipit solem, meridiem haud dubium indicat. Hunc autem tam admirabilem sanctissimi Sacelli situm non casu occupatum sed divinæ quæsitum consilio, vel illud argumento est, quod in ipsa quoque silva, eumdem plane situm à B. Virgine optatum (ut egomet intentius observavi) vestigia, quæ exstare diximus, satis ostendunt. Idem fortasse in colle fratrum accidit; nam ex obscuris vestigiis indicari non potest Fortassis idem quoque in Dalmatica sede usu venit; nihil enim comperti habemus. Sane res ipsa consentanea est: sacrosanctam quippe Domum duo præcipua mysteria, ortus B Virginis, & æterni Verbi conceptus insignem fecere: quorum ille ferè in autumnale, hic in vernum incidit Æquinoctium. Igitur haud immeritò eam sol per utrumque Equinoctium lustrat, sic prorsus ut vel illorum mysteriorum memor, & sub ortum & ante occasum Deiparam Virginem pæne ambitiosè adire, & quodammodo salutare videatur.

BAPTISTÆ MANTUANI TESTIMONIUM.

Schott.

BAptista igitur Mantuanus. Theologus idem ac Poëta egregius, initio suæ Historiæ egregium Æ di Lauretanæ tribuit testimonium, quod ab re non erit nostræ Historiæ intexere. (*Cum nuper* inquit. *veni ssem ad sacratissima Virginis Mariæ sanctum domicilium, vidissemque qualia & quanta Deus ostendit in eo loco miracula, & suæ virtutis atque clementiæ signa manifestissima; me subitò horror invasit, & visus sum audire vocem Domini loquentis ad Moysen: Non appropinques huc, solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Inde præfatus legisse se in Templo Lauretano Tabulam parieti affixam, situ & cariæ corrosam, in qua, unde & quonam pacto locus

ille

ille tantum ſibi vendicaſſet auctoritatem, conſcripta erat hiſtoria, hæc inquam præfatus adjecit: *Hiſtoria igitur in Tabella continebatur ejuſmodi: Templum B. Deiparæ Lauretanæ quondam ipſius Virginis cubiculum fuit, in quo nata, nutrita, ab Angelo Gabriele ſalutata, & Spiritu Sancto fœcundata obſtupefacta.* Cetera inde perſequitur, quæ à *Prapoſito Terenano* memoriæ prodita, & in Lauretana Æde propoſita diximus; ut ex *Terenani* tabula eſſe deprompta ſatis appareat. Ad extremum auguſtiſſimæ hujus Domus laudationem ingreſſus, eam non modo terreſtri paradiſo, ubi Eva ex Adæ latere efficta eſt; monti Sinæo, ubi lex data; Templo Salomonis præcipua Numinis præſentia inclyto; Bethleemio antro, quæ cunabula fuerunt Salvatoris; Tabori monti ubi Chriſtus clariſſima luce circumfuſus apparuit cum Moyſe & Elia colloquens; monti Olivarum, unde Chriſtus triumphans aſcendit in cœlum: verùm etiam auguſtiſſimo Chriſti ſepulchro, quo nihil in terris ſanctius habetur, longe multumque anteponit; præcipue quòd hic Deus humanitate indutus, fundamenta jecerit ſalutis humanæ. Cujus laudationis illa eſt inſignis ſane ac frugifera clauſula: *Sed quid plura de Domus hujus ineffabili dignitate commemorare pergo? libet mihi Jacob Patriarchæ ſermone concludere: Terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Ergo à *Mantuano* viro celeberrimo prodita litteris eſt Lauretana hiſtoria, quæ ad eum diem ſermonibus tantum uſurpabatur. Ex eo tempore vulgari cœpta, magno vel Lauretanæ religionis incremento, vel mortalium bono. Namque ea, quam dico, hiſtoria brevi volumine circumlata, cum avide ac paſſim lectitaretur plurimorum animos ad Lauretanam ædem viſendam colendamque pellexit.

Et in *Agelarioremcarmine Antonium* Principem virum, præter Piceni oram navigantem, ſic gubernator navis affatur;

... quod cernis Picentia contra

Lit-

Littora delubrum, eſt illud venerabile Magna
Matris, ab Aſſyriis quod Dis juper æquora grandæ
Huc manibus vexere ſuis. Et paulò poſt.
Laureta delubra vocant: neu crede ſuperbam
Hanc ædem veniſſe fretis: ſuprà addidit iſta
Templa ſacerdotum Princeps ingentia Paulus.

Innocentio quoque VIII. Pontifice. qui & ipſe donis Virginem coluerat, Carmelitanorum curæ Lauretana Domus mandatur; quod eamdem priuſquam Galilæâ excederet, curæ ſibi olim fuiſſe affirmarent: quo tempore *Bapt. Mantuanus* Vicarius Carmelitarum Generalis Lauretanæ Domus hiſtoriam à ſe conſcriptam *Rebureo* Card. Ordinis patrono anno M CCCC. LXXXVIII. inſcripſit.

Societatis vero Presbyteri acciti Lauretum, ut Domum pietate, audiendiſque variarum linguarum nationumque confeſſionibus augerent juſſu Pontificis *Julii* III. qui eis domicilium ædificavit in edita parte, cum Canonicis, ſuggerente *Alberto Carpenſi* Card. qui Lauretanæ Sedis patronus erat, anno hujus ſæculi LIV. Miſit vero *P. Ignatius Loiola* Societatis auctor viros aliquot egregios, officiorumque, quos Caſus conſcientiæ vulgo nominant, bene peritos, ut refert *Pet. Ribadineira* Vitæ ejus lib. IV. cap x. & *Horatius Turſellinus* lib. III. Hiſtoriæ Lauretanæ cap. XII.

LEANDRI ALBERTI

DE EADEM ÆDE TESTIMONIUM.

REcanatum inter & mare Adriaticum, non longe à *Muſione* fluvio, cernitur in colle Templum S. *Mariæ Lauretanæ* toto terrarum orbe celeberrimum, quod ſimul cum oppido validis eſt munitum mœnibus. Hic multi ſunt incolæ excipientes hoſpitaliter peregrinos, qui ex omnibus Europæ partibus eò votorum

torum ſolvendorum gratiâ confluunt, cum omnibus anni temporibus, tum maximè Vere & Autumno. Equidem de tanto Templo dicturus, unde ordiar neſcio: obverſatur quippe animo, hinc ſumma loci religio, illinc eximia Templi opulentia. Enimvero me vires deficiunt conantem dicere de ſanctiſſimo illo religioſiſſimoque cubiculo, ubi nata, ubi educata eſt cœli Regina ſemper Virgo ac Dei parens *Maria*, eademque miſerorum mortalium apud Filium ſuum Patrona; ubi Archangeli Gabrielis nuntio Dei mater effecta appellataque eſt; ubi humanam Deus naturam induit, ut nos ex faucibus inferni draconis eriperet, cœleſtiſque Regni aditum, per tot ſæcula, parentum humani generis vitio clauſum, aperiret. Itaque ut dixi, unde talis loci deſcriptionem ordiar, ignoro. Ceterum ut piis pariter curioſiſque Lectoribus ſatisfaciam, pauca dicam. Principio igitur dubitandum non eſt, quin hoc illud ipſum ſit cubiculum, ubi cœli Regina edita in lucem eſt. Nam præter certiſſima litterarum monumenta, quæ Deæ Virginis cubiculum ab Angelis huc tranſlatum eſſe fidem faciunt, nemo eſt tam ferus ac ferreus, nemo tot tantiſque flagitiis ac ſceleribus coopertus, qui non in ipſo ſacræ Domus ingreſſu, præſenti numinis cœleſtis religione profuſus, molliri ſuum ſentiat pectus, adeo ut venerabundus B. Mariæ imploret auxilium, ac per eam à Chriſto ſuppliciter oret ſuorum veniam delictorum. Et ſane ad ipſum humanos animos divina vis videtur impellere. Adhæc accedunt prodigia ac miracula ibi divinitus edita, beneficiaque tributa iis qui ad Dei Parentem ſupplices confugerunt. Id adeo non ſolum litterarum monumenta teſtantur, ſed etiam aurea, argentea, cerea ſimulachra, votivæ quoquæ tabellæ, quæ per multas ætates ac ſæcula congeſta viſuntur. Longus ſim, ſi velim numerando percenſere divina prodigia, ac dona inibi imparrita mortalibus; quæ quidem tot tantaque ſunt, ut incredibilia videri poſſint iis, qui non facilè

facilè inducuntur, ut credant, maternas à Deo preces audiri.

Nec vero hæc magnificentius à Leandro dicta, quàm verius.

RECINETUM.

Schott,

PRoficiſceris hinc *Recinetum*, emporium recens, ex veteris urbis *Helviæ* reliquis excitatum, ex cujus interitu ac ruinis etiam *Maceratam* exſurrexiſſe volunt: cujus urbis ab *Helvio Pertinace* Auguſt. perampliter olim reſtituræ lateritium Amphitheatrum ingens in ripa fluminis *Potentiæ*, aliaque ædificiorum magnorum veſtigia in itinere per agros monſtrantur.

Capuę.

Laureto *Recenatum* te conferes via tribus milliariis ardua, & inter colles ſtrata. Nova urbs eſt; *Helviæ* enim *Ricina* campeſtri à Gothis devaſtatâ, incolæ ædificatam, parum mutato nomine, *Ricinetum* vocaverunt, & Italicâ linguâ magiſmutato *Recanatum*. Huc menſe Septembri ad celeberrimas nundinas confluunt undique varii populi & mercatores. In primario Templo *Gregorius* XII. qui in Concilio Conſtantienſi Pontificatu ſe abdicavit, ſepultus eſt. In dorſo montis magno gradu ſe extendentis ſita urbs. Circumſtant *Auximi* colles & *Cinguli*, mare, colleſque alii. Hinc in campeſtria loca deſcendens multis millibus paſſuum, à dextera in extrema planicie *S. Severinum*, quod *Sixtus* V. urbis dignitate ornavit, offendes. Hinc quoque in collibus *Matheliça* proſpicitur, interiuſque *Fabrianum*, oppidum in papyro conficienda nominatum. A *S. Severino* via *Camerinum* te ducet, in montis jugo munitiſſimo loco poſitum, opibus, & civibus refertiſſimum, quod ſemper Romanis in bellis auxilio fuit, ſemperque magni & generoſi ſpiritus viros produxit, inter quos noſtro tempore *Marianus Ferbendictus* ſummus patronus

patronus meus, quem præter ceteros vehementer obſervo, ſtudiis litterarum, morum venuſtate, laboribuſque pro Eccleſia ſuſceptis, Cardinalis creatus, tamquam ſplendidiſſimum ſidus refulget. Camerino per Vallem *Dignani* iter facere poteris *Fulgineum* & *Spoletum*.

At ſi rectâ viâ incedes, in montes aſcendens, accedes ad *Maceratam* totius Piceni nobiliſſimam urbem, in monte, magnitudine & pulchritudine inſignem, Collegium Juriſconſultorum, quam *Rotam* vocant, ad cauſſas cognoſcendas, & Præſidem totius Provinciæ habet, propterea à populo refertiſſima. Ulterius in oppido *Tolentino* Reliquias ſanctas *Nicolai* Auguſtiniani viri, qui illic vitam innocentiſſimam duxit, veneraberis. Tolentinates in publica Decurionum domo *Franciſci Philelphi* civis effigiem, cum Equeſtris ordinis baltheo laureatam peregrinis hoſpitibus oſtendunt, adſervantque etiam Regii diplomatis membranam, ad collatæ dignitatis argumentum. Hinc deorſum te deportabis, tamquam *Montem altum*, *Firmum*, *Aſculum* iturus, ſed poſteà ſiniſtrorſum ferè flectes ad colles, & viâ moleſtâ & incommodâ *Seravelle* vicum inelegantem & aſperum pervenies. Inde loco nomen inditum, quod in Appennini faucibus ſitus ſit. Umbria & Picenum ibi terminantur, & ad *Camerinam* eſt acceſſus. Invenies ulteriùs viculum *Colfloridum* cum lacu vicino, & ad dexteram in montibus *S. Anatoliæ* caſtellum; *Caput aquæ* inſuper, cujus aquis & charta & aliæ res ad hominum uſus utiles concinnantur. Inde per vallem quamdam *Fulgineum* accedes, bidui itinere confecto poſt *Lauretum*.

FULGINEUM.

Capug.

CUM *Flaminii Forum* Longobardi deleviſſent, ex ejus ruinis Fulginates, ex agro Tudertino eo ſedem transferentes, *Fulgineum* conſtruxerunt. Civitas

mercaturâ dives, maximè vero rerum ſaccaro coopertarum nundinis valdè frequentatur; exigua, jucunda, & altera portarum illuſtris architectura, ubi cives Longobardos invadentes acriter & invictè depulerunt.

Si tibi *Peruſium*, quæ millibus paſſuum viginti abeſt, videre in votis eſt, ad Occaſum pergas; quo ſi perrexeris, *Aſſiſium* urbem in colle à dextris inviſes, & S. *Franciſci* corpus adorabis, ſumptuoſo ejus Templo perluſtrato, Angelorumque ſacris ædibus.

E Viâ Flaminia, per cultiſſimos Umbriæ campos & colles ducta, contemplari utrimque juvat lætiſſimos fructibus omnigenis agros, vinetis, hortis, olivetis amygdaletiſque nitentes, quos *Propertius* Umber, *Virgilius*, vetereſque Poëtæ plures, in cœlum laudibus vehunt. Videtur à dextris *Mevania Propertii* patria, tauriferis (ut Lucanus ait) ſe ibidem campis explicans. A ſiniſtris autem è *Trabalanis* collibus, in quibus olim veteres oliviferæque *Muſcæ*, ut Virgilii locum declarat Servius, *Clitumnus* erumpens limpidiſſimo copioſiſſimoque fonte, qui *Mevaniæ* campos irrigaturus, altero mox ſtadio fluminis ac Dei nomen aſſumpſerat: cujus etiam nunc opinantur ædem ſacram olim fuiſſe, quæ in propinquo viſitur marmorea & antiquiſſima, nec non more Corinthio pulcherrimè conſtructa: quales *Vitruvius*, de ſacrarum ædium œconomia ſcribens, *Fontibus* & *Nymphis* æquè ac *Veneri*, *Floræ*, & *Proſerpinæ* conſtituendas eſſe docet, ut aptas habere videantur cum diis ſuis proprietates, juſtuſque decor accedat, ſi propter teneritatem graciliora & florida foliiſque & volutis ornata fiant. In eum modum & iſtius ædis ſcenographia à fronte, & à poſtica lateribuſque, huic argumento columnarum tympanis lacunariis ac trabeationis patergis, ac omnibus ornamentis ad unguem correſpondet, ut *Clitumno* vicino ſacratam fuiſſe non malè fiat veriſimile: in quibus acanthorum folia, flores, & helices, ſtriarum undæ, triglyphorum guttulæ,

tulæ, victimarum in metopis crania bubula, baccis & corallis implexa, lances foliis ac rosis vestitæ, nec non eucarpi, florum, pomorum, ac fructuum omni vario luxu perplexi, graphicoteram reddunt in aspectu delectationem, atque fluviorum fontiumque vim efficaciamque divinam insinuant in terræ germinibus promovendis. In qua re *Clitumni* natura singularis est, ut non videatur miraculis carere: observarunt enim veteres, eundem vicinos campos lætitia pabuli usque adeo fœcundare, uti boum prægrandium armenta proferant & pascant; & aqua Clitumni pota boves candidos reddit. Plinio, Lucano, Servio Maronis commentatore, & aliis multis idipsum testantibus. Ex his quidem armentis postea Romanus Umbriæ victor eximios quosque tauros candidos reservare, & ad triumphalia sacrificia saginare solet, velut victimas opimas, & ob faustum candoris omen in victoria lætissimas. Hos inauratis cornibus, diademate & vittis redimitos ducebant in Capitolium triumphantes Imperatores, & undis ex eodem amne sumptis perfusos, & Diis immolabant. Has igitur ob causas *Clitumnus* pro Deo cultus ab Umbris fuit, cui non solum ædes, sed & lucos sacrasse vetustatem, ipse Propertius indicat, dum ita canit:

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, & niveos abluit unda boves.

Sed quam pulchre Poëtarum princeps Virgilius, Georgicorum lib. 2, in Italiæ laudes effusus, hos ritus attingat, ne pigeat intelligere:

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad Templa Deum duxere triumphos.

Rursum, ut Silius Italicus in Punicis unico versu

Et lavit ingentem perfusum flumine sacro
Clitumnus taurum.

SPOLETUM.

Schott.

EODEM die ante noctem, si voles, *Spoletum* pervenies, urbem splendidam, & copia rerum imprimis abundantem; quæ Longobardorum Principum sedes diu fuit, *Ducatus Umbriæ* titulo insignis. Atqui multis antè ætatibus fuerat illustris, & firma *colonia Latina*, velut Cicero in Balbiano testatur: quam Umbris devictis Populus Rom. deduxit triennio post *Brundisium*, sicut ex Paterculo & Livio colligimus, *C. Claudio Centhone*, *Marco Sempronio Tuditano* Coss. Quæ post cladem ad *Trasimenum* acceptam, *Annibalem* victorem, ut Livius memorat, ausa repellere, eumdem docuit ex unius coloniæ viribus conjicere, quanta moles Romanæ urbis esset; cum plurimis suorum amissis, inde signa vertere, moxque in Picentinorum fines traducere exercitum cogeretur. Floruisse admodum stante Romano imperio, vetera ædificia, & antiquitates adhuc residuæ demonstrant, quas diligenter perlustra. Amplissimum *Theoderici* Gothorum Regis Prætorium, ab ipsis tamen Gothis post cum Regia destructum, sed à *Narsete* Justiniani Imp. Legato restauratum. Item Theatri fundamenta, *Concordiæ* sanum, formas extra urbem sublimes ac solidas aquæductuum, ex Appennini costis partim excisas, partim opere lateritio ex ima valle fornicibus in altum subductas. Atque imprimis suspicias licet majoris Basilicæ Pontificalis ardua tecta, marmoreosque parietes, arcem in Amphitheatro constructam, pontemque lapideum, qui magno ingenio factus, pilis grandibus XXIV. sustinetur, & urbis editiorem partem arci vel Amphitheatro in alio colle posito conjungit.

INTERAMNA.

Schott.

SEQUENTI die per Vallem *angustiarum* altissimis clau-

clauſam montibus per ſaxa & rupes Appenni proficiſcere *Interamnam*, ſic appellatam à veteribus, quod inter ramos *Nari* fluminis velut *duos inter amnes* poſita ſit. Olim ſtructuris & amplitudine majorem urbem fuiſſe quàm nunc eſt, veterum ædificiorum ruinæ, quæ in vicinio circumquaque viſuntur, docent: & decreviſſe non parum inteſtinis odiis, atque civium diſcordiis, majorum memoria re compertum eſt. Municipium vetus Romani populi fuiſſe, plures antiquæ marmorum Inſcriptiones demonſtrant: ſed quando jus municipii vel civitatis Romanæ Interamnatibus indultum fuerit, non prorſus liquet. Animadvertit Pighius ex antiqua Tabula marmorea magna, quæ ibidem juxta ſummum Templum parieti inſerta eſt, conditam *Interamnam* fuiſſe ann. D.CC.IV. ante *Cn. Domitium Ahenobarbum* & M. *Camillum Scribonianum* Conſules, qui fuere poſt Romam conditam anno D. CC. XXIV. quo *Interamnæ* Saluti Libertatique, ac Genio municipii, ſacra publicè facta ſunt, *Tiberii* Cæſaris in adulationem, propter ſublatum *Sejanum*, ut ex ejuſdem Tabulæ elogio colligere eſt, & in ſuis S. P. Q. R. Annalibus idem Pighius latius exponit. Româ igitur annis octoginta dumtaxat juniorem eſſe, & ſub Numa Rege conditam conſtat: ſed devictis Umbris, *Spoletumque* deducta colonia, jus municipii *Interamnam* primum adeptam fuiſſe, veriſimile eſt. Falluntur igitur *Leander*, alique, ut *Robbertus Titius*, quem refellit *Ivo Villomarus* Animadverſorum lib. XXIII. qui coloniam eſſe Romanorum autumant; ignari & alteram ejuſdem nominis ad Lirim in Latio fuiſſe, quam *coloniam Romanorum* ſcribit lib. X. Livius deductam eſſe cum *Caſſino*, *M. Valerio. P. Decio Mure* Coſſ. anno Urbis CCD. XL. Sed apertius ipſe poſtea dicit, ad differentiam hujus municipii *Interamnæ*, *L. Poſthumio* & *M. Attilio* Conſulibus, Samnites *Iteramnam coloniam Romanam, quæ via Latina eſt*, occupare conatos eſſe: quam veteres Inſcriptiones

Coloniam Interampam Latinam videntur appellare, ad differentiam municipii *Interamna Nahartis*, ut nominant urbem Umbriæ, de qua jam verba facimus. Verum dumtaxat hæc admoneo, ne Lector in eos Auctores, licet doctos, incidens, simili errore capiatur. Interamnatum Nahartium ager, ut antiquitus, ita & nunc propter situm & aquarum dulcium abundantiam summè fœcundus est; nimirum in descensu Appennini, Meridiem & Inferum mare versus ejus positi colles & campi (quos *tuscernatos* idcirco Vitruvius appellat) perpetuis fontium ac fluminum rivis irrigui, ad solis radios apricando, procreandorum omnium fructuum opportunam facultatem habent. Nec mentiri Plinium reipsa compertum est, fœnisecia quotannis tria vel quatuor admittere Interamnatia prata, nec non posteà in pabulo non minus emolumenti dare: quod quidem incredibile nostratibus videbitur; sed productæ in conspectum vasiæ magnitudinis rapæ xxx. librarum amplius pondo, quarum septenas justo pondere asinum onerare posse affirmant, fidem facient: nec non Plinius quadraginta librarum se vidisse scribit libro XVIII. Naturalis historiæ.

NARNIA.

Schott.

PER *Narniam* Via Flaminia *Ocriculum* proficiscere, *Narnia* in aspero difficilique monte & magna ex parte abrupto posita est, cujus imas radices abruptoque scopulos *Nar* fluvius magno cum fragore lavat, à quo *Narniam* appellatam Livius & Stephanus Grammaticus in urbium Lexico testantur. Ejus situm ita Martialis lœta depingit libro VII. Epigrammatum:

Narnia sulphureo quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda jugo.

Nequinum prius nominatam fuisse, incolasque *Nequinates* cum à Romanis subjugarentur, idem Livius

us affirmat : infami ſcilicet nomine ob inertiam & pravos oppidanorum mores, ut volunt quidam, vel à loci iniquitate de qua locuti ſumus. Aſpernati tamen poſtea nomen, Romanorum coloni cum eo deducerentur adverſus Umbros, & Narnienſes à *Nare* flumine, ut diximus, appellari maluerunt. Samnitibus tum Nequinates confœderatos fuiſſe, triumphi Capitolini demonſtrant, cum quibus victi triumphatique fuere per *M. Fulvium Patinum* Conſulem, anno Urbis CCC. LXV. quo tempore & colonia eo deducta eſt. Nunc oppidum oblongum ædificiis ſatis elegans eſt, rerum copia lautum, ob agri vicini fertilitatem; licet aliquando bellorum calamitatibus involutum, clades ingentes patrum memoria acceperit. Prætergreſſis oppidum apparent à dextris ſupra *Narem* admirandi ac longè conſpicui pontis fornices ac minæ ingentes, qui duos præaltos & abruptos montes ſubterlabente flumine ſolebat conjungere, ut æquali via tranſitus ab oppido *Narnia* pateret in montem adverſum. Ex manubiis Sicambricis exſtructum ab *Auguſto* quidam autumant, & *Procopius* Auguſtum ejus auctorem memorat haud umquam pontis arcus celſiores à ſe viſos ſcribens. Quæ adhuc ejus reliquiæ ſuperſunt ex lapide quadrato prægrandi pilis vaſtiſſimis ſublimes arcus impoſiti, me hercle demonſtrant florentis Imperii maximum & inſani ſumptus opus hoc fuiſſe. Nec de alio ponte loqui Martialem puto Epigrammate jam antè citato ad Narniam :

Sed jam parce mihi, nec abutere Narnia Quinto,
Perpetuo liceat ſic tibi ponte frui.
Capug.

Hujus pontis lapides ferro & plumbo ſine calce inter ſe connectuntur, iidemque craſſitudine maxima cœli ſunt exſculpti : latitudine circiter pedes ducentos patet, altitudine vero centum quinquaginta pedibus eſt major. Fornix unus nec in præſenti perfectus : Palàm fertur, hunc ſub pontem magnos theſauros eſſe defoſſos.

In ipſa civitate eſt aquæductus, qui quindecim millibus paſſuum per altiſſimos montes, quos ſubterfluit, ad tres ſpecioſiſſimos æneos fontes in urbe aquam ducit. *Narniæ* aqua cernitur, quæ à *charitate* nomen uſurpavit, quæque numquam, niſi anno ante annonæ penuriam, promanare videtur, quemadmodum anno M. D. LXXXIX. contigiſſe mihi exploratum eſt. Multæ aliæ aquarum ſpecies hic reperiuntur ſalubres, de quibus prolixior fieret ſermo niſi brevitati conſuleremus.

Narniam ubi primum fueris egreſſus, Romam iturus, paſſuum millibus quadraginta, ſaxoſum montem inſpicies, ferro ſciſſum, quo trajici poſſet inter fluminis præcipites rupes & arduum montem qui ſiniſtrorſum tollitur. Saxum eſt in altitudinem pedes XXX. in latitudinem XV. & ultra porrectum. A dextera parte admodum præceps lacus eſt, ut inſpicientibus horrorem incutiat, & per immania ſaxa fluminis maximè obſtrepunt aquæ.

Prætereuntes hæc non dimittitur, via, quæ ultro citroque amœnibus colles arboribus veſtitos exhibet, qua pervenitur *Ocriculum* in colle ædificatum prope Tiberim paſſibus mille.

Schott.

Per Viæ Flaminiæ vetuſta monumenta, & *Ocriculani* municipii ruinas maximas perges ad *Tiberim*. In tranſitu quidem videbis ædificiorum publicorum reliquias ingentes, Templa videlicet, thermas, aquæductus, & aquarum caſtella ſubterranea: item porticus, Theatrum, & Amphitheatrum: quæ mole ſua teſtantur amplitudinem & magnificentiam ſummam ejus municipii, cum florente adhuc Imperio ſtaret & vigeret. Falluntur qui nobis *Italiam* deſcripſere, & eo loci neſcio quam *Ocream* Sabinorum vocant fuiſſe, vel *Interocream* olim inter *Cutilias* & *Thalacrinem* in agro Reatino poſitam Via Salaria, ut ex *Itinerario Romano* colligimus. Ceterum *Ocriculi* municipii ruinas illas eſſe, teſtantur aperte ſtatuarum anti-

antiquæ inſcriptiones duæ patri atque filiæ, propter thermas privato ſumptu ibidem extructas, ac Reipublicæ donatas, publicè locatarum: quas inſcriptiones ſtudioſorum in gratiam hic ſubjicere viſum eſt. Altera quidem in marmorea tabula legitur, quæ in oppido prope Templum in plateis parieti inſerta eſt; nec procul inde viſuntur ipſa ſtatuarum fragmenta patris ac filiæ. Altera baſis eſt quadrata, foris ad viam poſita, in qua filiæ ſtatua erecta fuerat. Tituli quidem ſunt iſti:

L. JULIO. L. F. PAL. JULIANO
IIII. VIR. ÆD.
IIII. VIR. I. D.
IIII. VIR. QUINQ.
QUINQ. II. DEST
PATRONO
MUNICIPI
PLEPS. OB. MERITA
L. D. D. D.

JULIÆ LUCILLÆ
J. JULI. JULIANI. FIL.
PATRONI. MUNICIPI
CUJUS, PATER
THERMAS. OCR CULA
NIS. A SOLO DX. TRUCTAS.
SUA. PECUNIA. DONAVIT
DEC. AUG. PLEBS
L. D. D. D.

Tiberim poſteà trajicies pontonibus ad *Auguſti* pontem lapideum, cujus prægrandes ruinæ prolapſæ nunc fluminis alveum obſtipant & onerant: atque inde ad *Soractis* montis radicem pergens, veſperi in oppidulo *Arinæano* pernoctabis.

Capug.

Auguſtum æmulatus *Clemens* VIII. Pont. Opt. Max. ſumma impenſa & nominis ſui gloria, pontem poni mandavit. Hic finis erat ſuburbiis Romæ, etiam Imp. *Aureliani* diebus: quapropter legimus. Urbis ambitum paſſuum quinquaginta millibus alias produci, atque *Conſtantio* imperante Romanam majeſtatem, ædificia, & alia civitatis monimenta, a Tiberi uſque Romam frequentia ſic extitiſſe, ut quiſ-

quis, præter maximè versatum, arbitraretur se in Urbe fore. Transmisso flumine *Burghettum* vicus occurrit, unde à dextra octo millia passuum intersunt ad civitatem *Castellanam*, in altis rupibus conditam, *Fescennium* antiquitus nuncupatam. Interior est *Caprarola* Farnesiorum locus, de quo suprà diximus. Iter habens per viam regiam, quæ adhuc millibus passuum viginti differtur, aspicies *Arimanum* pagum intra colles, & ulterius *Castrum novum* in sublimi situm, quo ad *Primam portam* viculum pervenitur, ubi Flaminiæ antiquis silicibus stratæ vestigia teres. Ad lævam *Tiberim* habebis, brevique interjecta morâ *Pons Milvius*, in quo è cœlis signum Crucis ostendit Deus *Constantino* Imperatori, habens: IN HOC SIGNO VINCES, in eoque *Maxentium* tyrannum profligavit, occurrit, quo *Tiber* transmittitur perveniturque ad suburbia Romæ, quam ingredieris per portam *Flaminiam*, nunc *Populi* nuncupatam.

ITI-

ITINERARII ITALIÆ

LIBER SECUNDUS

ROMA

EJUSQ. ADMIRANDA

CVM DIVINA,

TUM HUMANA.

ACAD.
SCIENT. LITT.
ET
LUND

Tobiah

URBIS ROMÆ ELOGIA.

CAP. I.

Ex Aristidis Laudatione Urbis, GUL. CANTERO *interprete.*

JAM vero artem civilem & magnanimitatem consiliorum Urbis maximè debemus considerare & admirari, ceu nusquam similem reperturi simus. Etenim cum omnes, ad Imperium pertinebant (in quo totum orbem terrarum complector) in duas partes tribuissetis; qui quidem generosiores erant & potentiores, eos civitate atque etiam gente donastis, reliquis inter subjectos relatis; ita fit, ut nec mare, nec intermedia regio, civitate quemquam prohibeat, nec hic ab Europa distinguatur Asia, cunctis in medium propositis; nec peregrinus censeatur quisquam, qui vel Magistratu vel fide dignus sit, verum communis terræ totius popularis status ab uno Principe optimo administretur, omnesque velut à communi foro jus suum singuli consequantur. Quod autem Urbes singulæ terminis suis ac regionibus præstant, hoc Urbs ista toti orbi exhibet, ut commune omnis quæ incolitur terræ tamquam regionis oppidum. Quocirca videntur finitimi omnes per vicos divisi, ad hanc arcem unam convenire, quæ numquam se cuiquam negat: sed ut terræ solum fert omnes, ita omnes homines hæc, velut fluvios mare, recipit, præterquam quod hoc etiam cum mari habet commune, quod ut illud fluviorum accessione non crescit, quasi ipsius capacitas cum illorum fluxione fato quodam connexa sit, ita nec in hac quidquam est præ magnitudine conspicuum. Quid? quod eorum instar, qui in suum omnia recipiunt, cuncta abscondit, æqualis ad exitum rerum & in-

introitum tam exiſtens quàm apparens?

Et paulò pòſt: Jam quod ab omnibus dicitur, terram eſſe communem omnium matrem atque patriam, id vos optimè oſtendiſtis: ſiquidem nunc & Græco licet & Barbaro cuivis, ſive quid ferat, ſive nihil, quocumque libuerit, quaſi ex patria in patriam commeate: nec vel Cilicum fauces, vel anguſti & arenoſi per Arabiam in Ægyptum tranſitus, vel montes invii vel fluvii immenſi, vel gentes barbaræ intractabiles, terrorem cuiquam adferunt, ſed ad omnem ſecuritatem ſufficit omnibus ut Romani ſint, vel ſaltem vobis ſubjecti; & quod Homerus cecinit,

Terræ Lumen communis erat.

Id vos opere compleviſtis, terramque omnem dimenſi, pontibus variis fluvios junxiſtis, monteſque excidiſtis, ut equitabilis fieret terra; & ſolitudines diverſoriis repleviſtis, cunctaque dictæ & ordinis beneficio manſuetiora reddidiſtis. Quapropter eam vitæ rationem, quæ ante Triptolemum uſurpata fertur, eamdem fuiſſe exiſtimarem, quæ ante vos in uſu fuit duram videlicet atque agreſtem, & à montana parum diſtantem: manſuetam vero illam, & quæ nunc viget, ab Athenienſibus quidem initium cepiſſe, à vobis autem pariter ſecundis, quod ajunt, melioribus eſſe confirmatam.

AMMIANUS MARCELLINUS

Lib. XIV. *Hiſtoriarum.*

TEMPORE (inquit) quo primis auſpiciis in mundanum fulgorem ſurgeret victura, dum erunt homines, Roma; ut augeretur ſublimibus incrementis fœdere pacis æternæ. Virtus convenit atque Fortuna, plerumque deſſidentes: quarum ſi altera defuiſſet, ad perfectam non venerat ſublimitatem. Ejus populus ab incunabulis primis aduſque pueritiæ tempus extremum, quod annis circumcluditur fermè trecentis, circummurana pertulit bella: deinde ætatem

tatem ingressus adultam, post multiplices bellorum ærumnas. Alpes transcendit & Fretum: in juvenem erectus & virum, ex omni plaga, quam orbis ambit immensos, reportavit laureæ triumphos: jamque vergens in senium, & nomine solo aliquoties vincens, ad tranquilliora vitæ otia discessit. Ideo Urbs venerabilis, post superbas efferatarum gentium cervices oppressas, latasque leges; fundamenta libertatis, & retinacula sempiterna, veluti frugi parens, & prudens & dives. Cæsaribus, tamquam liberis suis, regenda patrimonii jura permisit. Et olim licet otiosæ sint tribus, pacatæque centuriæ, & nulla suffragiorum certamina, sed Pompiliani redierit securitas temporis; per omnes tamen, quotquot sunt, partes terrarum ut Domina suspicitur & Regina, & ubique Patrum reverenda cum auctoritate canities, Populique Romani nomen circumspectum & verendum. Hæc ille.

IN URBEM ROMAM EPIGRAMMATA.

P. VIRGILII MARONIS *Cento.*

IPse lupæ sulvo nutricis tegmine latus
Romulus, Assarici quem sanguinis Ilia mater
Eduxit, gentem & Mavortia condidit olim
Mania, Romanosque suo de nomine dixit.
Illius auspiciis rerum pulcherrima Roma
Imperium terris, animos aquavit Olympo,
Septemque una sibi muro circumdedit arces,
Felix prole virûm: qualis Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Læta Deum partu, centum complexa nepotes;
Omnes cœlicolas, omnes supra alta tenentes,
Hanc olim indigenæ Fauni Nymphæque tenebant:
Gensque virûm truncis & duro robore nata:
Qua duo dejectis tenuerunt oppida muris:
Hanc Janus pater: hanc Saturnus condidit urbem.

Jam-

Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

OVIDII NASONIS.

CRescendo formam mutavit Martia Roma:
Appenninigenæ qua proxima Tibridis undis
Mole sub ingenti posuit fundamina rerum:
Quanta nec est, nec erit, nec visa prioribus annis:
Hanc alii Proceres per sæcula longa potentem,
Sed dominam rerum de sanguine natus Juli
Effecit quo cum tellus fuit usa, fruuntur
Æthereæ sedes, cœlumque fit exitus illi.

EJUSDEM.

HIC ubi nunc Romana est olim fuit ardua silva:
Tantaque res paucis pascua bobus erat.

EJUSDEM.

GEntibus est aliis tellus data limite certo,
Romanæ spatium est urbis & orbis idem.

AURELII PROPERTII.

HOC quodcumque vides hospes, qua maxima Roma est.
Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra Palatia Phœbo,
Evandri profugæ procubere boves.
Fictilibus crevere Deis hæc aurea Templa,
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa:
Tarpejusque Pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bobus erat.
Quo gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
Unus erat, fratrum Maxima regna focus.
Curiâ prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit, rustica corda patres.
Prima galeritus posuit Prætoria Lucmo,
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves,
Hinc Tatius Ramnesque viri, Lucereſque coloni,
Quattuor hinc albos Romulus egit equos:

Quid-

Quippe ſuburbana parva minus urbe Bovillæ,
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi:
Et ſtetit Alba potens, alba fuit omine nata,
Hac ubi Fidenas longè erat ire vias.
Ni patrium, niſi nomen habet Romanus alumnus:
Sanguinis altricem nunc pudet eſſe lupam.
Huc melius, profugos miſiſti Troja penates:
O quali vecta eſt Dardana puppis ave!
Arma reſurgentis portans victricia Troja,
Felix terra tuos cepit, Jule, Deos.
Optima nutricum noſtris lupa Martia rebus,
Qualia creverunt mœnia lacte tuo!

M. VALERIUS MARTIALIS.

TErrarum Dea, gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Omitto reliqua *Auſonii*, *Claudiani*, *Rutilii*, *Numantiani* elogia, tum recentiorum, *Julii Cæſaris Scaligeri*, *Fauſti Sabæi*, *Brixiani*, aliorumque encomia, unum tacere ob elegantiam *M. Antonii Flaminii*, ſine flagitio non poſſum.

ANtiquum revocat decus
Divûm Roma domus & caput urbium:
Veri ex nobilis Imperi:
Mater magnanimûm Roma Quiritium,
Fortunata per oppida
Cornu fundis opes Copia divite,
Virtuti ſuus & honos
Et legum timor, & priſca redit fides.

ROMANÆ URBIS LAUS

Ex HERCULE PRODICIO *Stephani Tighii.*

INSIGNIA ſpectanda ſunt ædificia, tam publica Summorum Pontificum, quam privata Cardinal. ac Principum, quibus noſtro ſæculo Roma plurimum indies magis excolitur & exornatur. Sed inprimis horti

horti illi retro Palatii ad Vaticanum clivum positi, qui ab amœnitate Contemplationis nomen accepere, & ob pulchritudinem & cultum per orbem terrarum celebrantur. Nos *Calliopejos* forsitan & pulchriformiremes, id est, ἀγλαμόρφους (ut *Themidem* appellat *Orpheus*) non ineptè vocaremus. In his prætorium è regione Palatii versus Septemtrionem *Pius* IV. Summus Pontifex excitavit magnificentissimum, supellectilique instruxit Regia; cujus item lacunaria parietesque picturis artificiosissimis, atque tectorio marmorato inauratoque maximis sumptibus expolivit. In eum ni fallor, finem, uti esset hospitium, quo maximi quique Principes, Romam commeantes, dignè commodeque pro majestate possent excipi. Ante ejus frontem quæ Palatium respicit, ab imo solo gradibus subvexit hemicyclum sublime theatri ferè magnitudine, multisque marmoreis statuis conspicuum reddidit. Aream inter Palatium & prætorium nova porticu ab Occidente sepsit, ut angularis circi formam illa referat. Atque hæc ex quadrato saxo constructa, si suprema manus operi tanto adjiceretur, sumptu & magnitudine cum altera, quæ ex adverso est, certare potest.

Tum etiam urbis illius quondam triumphantis, antiqua monumenta giganteæ profecto molis opera si prolapsas in solum velut è montibus, testudinum ac fornicum vastas rupes; si turrium atque murorum immanes ruinas intuearis in thermis, Templis, Amphitheatris, Circis, Aquæductibus, atque Theatris, ceterisque publicis ædificiis multis. Stupet non illiteratus hospes, nec satiari contemplando potest, incidens in Amphitheatrum *Titi Vespasiani*, supra septem mundi miracula Martialis Poëtę elegantissimo Epigrammate laudibus evectum, *Pantheon Vespanianum*, *Thermas Caracallianas*, *Constantianas*, atque *Diocletianas*, Provinciarum quasi in amplitudinem extentas ac urbium magnarum forma, turribus mœniisque altissimis septas. Miratur tot marmoreos arcus trium-

triumphales, columnas, cochlides, armorum atque Bellorum expeditiones sculptis ad vivum imaginibus referentes; pyramidum ingentia saxa, & obeliscorum trabes immanes, quarum evehendarum ob caussam naves fabricatæ fuerant, ut veluti juga montium per fluctus iratos transportarentur. Quid referam giganteos ex uno saxo colossos, Castrorum ἱπποδάμων cum equis exultantibus atque Fluviorum ingentium prostrata corpora, tot ex ære marmoreque pretioso & rari generis statuas artificiosissimas, columnas ingentes, vasa, labra, conchas, foliaque balnearia capacissima, quæ in thermis balneisque publicis olim ului fuere; sicut & illæ cathedræ pertusæ ex Numidico leuco sticto durissimo perpolitæ in Lateranensis Basilicæ porticu, vulgi fabulis infames. Quæ omnia hic accuratius describere, alterius potius voluminis materia fœcunda foret: nec operæ pretium nunc arbitror, cum plures docti viri non infeliciter in eo stylum ingeniumque exercuerint, atque indies exerceant. Tanta igitur rerum mirabilium copia atque varietas admodum jucunda non potest non esse.

In hortis Calliopejis, quos antè dixi, visuntur humana statura majores, atque specie magis augustæ ex marmore candidissimo statuæ: ut pulchertimus ille *Apollo Hecatebeletes*, *Hercules*, *Veneres*, *Mercurius*, *Genius principis*, quem *Antinoum* Hadriani Imp. esse quidam autumant, *Nympha Ana avomene* ad fontem decumbens; quam *Cleopatram* volunt. Item ex uno Pario saxo *Laocoon* ille Trojanus cum duobus filiis adolescentibus, duorum draconum nexibus intricatus, atque tantopere à Plinio laudatus. In qua quidem statua ad unguem elaboranda tres simul artifices summi, *Agapander*, *Polydorus*, & *Athenodorus* Rhodii communi consilio operam ac ingenium impēderunt. Ratio quidem hæc casu inter ruinas æquam *Titi Vespasiani* Imp. conservata, & è Carinis extracta est. Sic *Tiberis* fluvius cum *lupa* lactante geminos

Romu-

Romulum ac *Remum* ex uno ſaxo. Sic *Nilus* ingens ſphyngi innixus, per cujus corpus ſedecim cubiti pueri (ut eos *Philoſtratus Lemnius* appellat) luſitantes ejus fluminis incrementa notant. Quorum decimus ſextus humero ipſius inſidens, calathum fructibus & floribus plenum capiti imponit: atque indicat XVI. cubiti juſtum Nili incrementum Ægypto fructuum omnium ſummas adferre delicias; non ſecus ac XV. ſecuritatem, & XIV. hilaritatem. Reliquos inferiores, nempe ſi ſupra XIII. cubitum non excreſcat Nilus, famem ac penuriam Ægypto portendere. Plinius idem ſcribit Hiſtoriæ naturalis libro V. cap. IX. Hæc etiam elegantiſſime in ipſa ſtatua per puerorum geſtus indicantur, in cujus item baſi frutices, herbæ, plantæ Nilo peculiares ad vivum exſculptæ viſuntur; ut colocaſia, calamus, papyrus, aliæque quibus Ægyptus propter Nilum eſt nobilis quemadmodum & raris animalibus, in eadem baſi non minùs eleganter imitatis: inter quæ ſunt *hippopotami, ichneumones, trochili, ibides, ſcinci, crocodilei* Nec deſunt perpetui horum adverſarii ac domitores *Tentyritæ* naviculis amnem exercentes, atque crocodilos remis territantes. Puſillum genus hominum, ſed animi præſtantia mira huic belluæ infeſtum: quorum vel voce ſola vel olfactu fugatur, non ſecus ac pſyllorum tactu aut odore ſerpentes. Quinetiam *Tentyritæ* crocodilorum natantium dorſo inſilientes, injecta oris rictui clava, tamquam lupato equitantium modo in terram agunt captivos, cogunique evomere ad ſepulturam recentia devorata corpora, quemadmodum Plinius idem libro VIII. cap XXV. memoriæ prodidit. Hæc quidem omnia ſingulatim, & quidquid eſt in hortis Vaticanis, Pontificioque Palatio pretioſorum ornamentorum, artis atque elegantiæ, in picturis, ſculpturis, aulæis, tectorio, & ſtatuis, monſtrata, & à doctis declarata mirifice placent: ut & in *Nymphæo Pii* IV. Summi Pontificis, ſtatuis, ſignis, epigraphis antiquis & pretioſis rariſque marmoribus

moribus opulentiſſimo, pulcherrimus ille ex Pario Pater *Oceanus deus*, aquarum omnium princeps, rerumque parens, ut eum Homerus appellat ex Philoſophorum veterum ſententia, qui inferiorum elementorum ac corporum genitale ſemen liquidum eo per univerſum exurgere & propagari volunt, ſoliſque & ſiderum igneis per aquas exhalationibus nutriri, *Oceanum* itaque fabulantur amiciſſimum eſſe *Promotheo*, ſuperiorum mundi corporum temperatorem *Genium* hunc intelligentes, ut inferiorum *Epimethea*. Jam vero quod capite tenui velo ſit tectus, nil aliud ingenioſi pictoris inventio hæc indicat, quàm quod nebulis ac nubibus mare cœlum obvelet & veſtiat: quin etiam humore ſuo genitali terram ipſum fœcundare, & ad plantarum, ſtirpium, ac omnis generis herbarum germina producenda præparare; capillitium, barba, pubes, denique ſupercilliorum ac papillarum crines, non tam ex cute, quam ex achanti, herbarumve tenerrimarum foliis apriſſime prodeuntes pereleganter ſignificant. Facie quidem pulcher eſt; enaſcentiaque in fronte bina cornua non parum decoris addunt: quemadmodum ταυρόκερων in Euripidis Oreſte nuncupatur *Oceanus*, tum quia ventis & tempeſtatibus actus taurorum ingentium inſtar mugitus edat horrendos, tum quòd Lunæ μηνοειδὲς vel falcatæ, quæ ταυρόκερως ab Orpheo vocatur, motum ſequatur & ad ejus mutationes fluxum atque refluxum ſuum augeat vel minuat. Adde, quod fontium ac fluviorum parens dicatur, quos & cornutos fixit antiquitas, ſicut etiam prius alia occaſione demonſtravimus. Jam vero manu altera tenet navis temonem, *Prometheo* ſui donum; eo quod ſola navigatione ſit pervius, velivoliſque lignis frequentetur: quod ſuum inventum eſſe, teſtatur apud Æſchylum Poëtam ipſe Prometheus. Ceto vel piſtrici Atlantico incumbit Oceanus monſtro immani, ut beluarum ac prodigiorum genitor eſſe dicitur. Ejuſdem quaſi formæ cetum videmus

Ro-

Romæ inter cœleſtia ſigna, in Atlantis antiqua marmorea ſphæra. Nam huic monſtro expoſitam Andromedam puellam à Nereidibus propter formæ contentionem, Græcorum fabulæ produnt occiſumque à Perſeo cetum, cum Andromedam ſolveret, & ejectum in littore ſanguinis fontibus amplis mare tinxiſſe, quod à colore rubro Erythræum hinc appellari volunt, quemadmodum Philoſtrati icones pulchre declarant. Cetus igitur hic, vitalis ac ætherei ſpiritus, Oceano ſolis radiis infuſi, quo tanta vis animalium in eo gignitur, reſpirat & alitur, argumentum eſſe videtur. Ceterum hæc aliaque inſignium ſtatuarum (quæ in Vaticano, in Capitolio *Farneſiorum, Ceſii*, aliorumque illuſtrium hominum Palatiis & hortis occurrunt) myſteria hic diffuſius exponere longum eſſet: alterius etiam palæſtræ ceromata hæc eſſe videntur, majorique ſudore digna: quamvis ea nos ubique (uti varietate rerum ſcitu dignarum Lectorem nonnihil oblectaremus) obiter atque παρεργῶς attigerimus.

At vero inprimis religionis ergo ſacratiores atque vetuſta ſanctimonia celebres ſeptem viſitandæ ſunt per Urbem Baſilicæ, & Sacraria ubique perluſtranda, in quibus cum Divorum Reliquiæ infinitæ, tum præclara quædam Chriſti Servatoris noſtri monumenta reconduntur; ut ſacroſanctum cum effigie ipſius Servatoris *ſudarium Veronicæ. Longini* centurionis *lancea*, quæ pectus in cruce mortuo aperuit: *clavus*, quo cruci affixus; *Rhodius nummus* ex triginta argenteis, quibus à Juda proditore fuit venditus.

DE

DE ROMA VETERE AC NOVA, EJUSQUE ADMIRANDIS.

CAP. II.

Ex LAUR. SCHRADERT *lib.* II. *Monumentorum Italiæ.*

ROMA terrarum Domina, urbium Regina, flos atque ocellus Italiæ ut *Polemon Sophista* apud *Athenæum* ac *Galenum* appellat, τῆς οἰκουμένης ἐπιτομή, *orbis compendium*, pro dignitate laudari non potest, ut *Aristides Sophista* edita Oratione tentavit. Quare, quod de Carthagine *C. Crispus* ait, silere de ea præstat quam pauca dicere. Arx enim est omnium gentium, theatrum ingeniorum, domicilium virtutis. Imperii, dignitatis ac fortunæ, patria Legum, omniumque hominum; & quod olim Athenæ Atticæ, disciplinarum fons, sacerdotii, ac justitiæ: Religionis denique caput ac norma est, fremant licet omnes hæretici, qui *Urbem æternam* extinctam funditus, ut Veritatis sedem, cupierent.

Sita loco non admodum fertili, Austroque objecta, & cœli gravioris: olim ampliſſima, cujus ambitus tunc XIII. M. pass. fuit: hodie vero vix M. CC. Vias olim habuit XXIIX. quarum hodie vestigia non obscura:

Appia.	*Latina.*	*Lavicana.*
Campana.	*Prænestina.*	*Cimina.*
Valeria.	*Ostiensis.*	*Flaminia.*
Cassia	*Laurentina.*	*Ardeatina.*
Tiburtina.	*Collatina.*	*Gallicana.*
Tiberina.	*Nomentana.*	*Salaria.*
Setina.	*Quinctia*	*Æmilia.*
Fortuensis.	*Prætoriana.*	*Triumphalis.*
Cornelia.	*Claudia.*	*Aurelia.*
Lanuvinensis.		

Erant

Erant & in Urbe,

Alta semita, in dorso Quirinalis.

Via lata, juxta septa Campi Martii.

Suburra, juxta radices Esquiliarum.

Via sarra, juxta arcum Constantini.

Via nova, ad Thermas Antonianas.

Triumphalis, prope portam Vaticanam.

Vitellia, ad Janiculum.

Recta, in Campo Martio,

Fornicata, juxta Flaminiam.

Turres in murorum ambitu circiter trecenta sexaginta, olim septingenta quadringenta.

PORTÆ Urbanæ antiqui nominis, quindecim:

Flaminia, hodie *Porta populi.*

Gabusa, hodie *S. Methodii.*

Collatina, hodie *Pinciana.*

Ferentina, hodie *Latina.*

Quirinalis, hodie *Agonia.*

Capena, hodie *S. Sebastiani.*

Viminalis, hodie *S. Agnetis* vel *Pia.*

Ostiensis vel *Trigemina* hodie *S. Pauli.*

Tiburtina, nunc clausa.

Portuensis hodie *Porta ripæ.*

Esquilina, hodie *S. Laurentii.*

Aurelia, hodie *S. Pancratii.*

Navia, hodie *Porta Major.*

Fortunalis, hodie *Septimiana.*

Cœli montana hodie S. Joannis.

Vaticana in ripa Tiberis.

Suburbanæ atque recentes sex:

Turrionis.

Porta Subjecta.

S. Petri.

Porta Julia.

Porta Castelli.

S. Spiritus, olim *Triumphalis*, quam nullus rusticus intrare poterat.

Colles hodie mœnibus inclusi,

1. *Capitolinus* vel *Tarpeius*, qui Tempore Regis *Tarquinii* ultra LX, delubra, Ædes sacras, & Sacella, cum

cum altissimis turribus habuit, & muris cinctus, *domicilium Deorum* dictus fuit.

II. *Palatinus*, subterraneis meatibus ferè totus pensilis, hortus occupatus, & ruinis deformis, in quo sedes Regia fuit; & magnificæ ædes *Augusti* Imp. *Ciceronis Hortensii* & *Catilinæ*.

III. *Aventinus*, hodie S. *Sabina*, prima Pontific. cum sedes.

IV. *Cœlius* eo loco ubi hodie Templum *Lateranense*, & *S. Crucis in Jerusalem*, habuit præclara Templa multa Ethnicorum, & aquę ductus insignes.

V. *Esquilinus*, ubi hodie *S. Petrus ad Vincula*, clarus domibus *Virgilii* & *Propertii*, item hortis *Mecænatis*.

VI. *Viminalis*, ubi hodie S. *Pudentiana* & *Laurentius in Panisperna*. In eo *Crassi* domus fuit.

VII. *Quirinalis*, hodie *Monte caballo*, clarus domibus *Sallustii*, *Catulli*, *Aquilii*, foro & hortis *Sallustii*.

Hi septem olim Colles Romani, unde *Septemgemina* Urbs dicta. Accesserunt

VIII. *Hortulorum*, vel *Pincius*, hodie *sancta Trinitatis*, in quo Templum *Solis* eo loco fuit, ubi illa rotunda moles cum puteo profundissimo.

IX. *Vaticanus*, ubi hodie *S. Petri Basilica* & Palatium Pontificis.

X. *Janiculum*, ubi hodie Templa *S. Onufrii* & *Petri montis aurei*, ab arenis, vulgo *de Montorio*, *Testaceus*, ad portam Ostiensem.

TEMPLA Divorum supra CCC. quorum VII. religionis causa maxime frequentantur.

I. *S. Petrus*, in Vaticano.
II. *S. Paulus*, in Via Ostiensi.
III. *Maria major*, in Esquilina Via.
IV. *Sebastianus*, extra Capenam portam,
V. *S. Joannes Lateranensis*, } in Cælio Monte.
VI. *S. Crux in Jerusalem*, }
VII. *S. Laurentius*, extra Esquilinam portam.

Sex Templa portas habent æneas, quamquam & apud S. *Ioannem Lateranensem* etiam aliquot, sed parvæ: sunt autem.

1. S. *Petrus*, in Vaticano.
2. S. *Maria rotunda*, Πάντων θεῶν.
3. S. *Adrianus*, olim *Saturni*.
4. SS. *Cosmus & Damianus*, olim *Castoris & Pollucis*.
5. S. *Agnes*, olim *Bacchi*: &
6. S. *Paulus*, in Via Ostiensi.

CRYPTAE subterraneæ, quæ latebræ & sepulchra Christianorum fuerunt, plenæ venerationis, & visu admirabiles, quarum etiam *D. Hieronymus* meminit, sunt quatuor.

Apud { S. *Agnetem*, extra Viminalem / S. *Fanerarium*, extra Aureliam / S. *Sebastianum*, extra Capenam / S. *Priscillam*, extra Flaminiam } portam.

HOSPITALIA in quæ infirmi recipiuntur, & magna diligentia curantur, tanta magnificentia, ut inter recentia Urbis monumenta nihil ferè prædicatione dignius. Sunt autem multa. Primum publica omnium nationum & mortalium:

S. *Spiritus* in Vaticano
S. *Salvatoris*, in Cœlio.
S. *Iacobi de Augusta*, in Valle Martia.
S. *Mariæ de Consolatione*, in Valabro, &
S. *Antonii*, in Esquilino.

Deinde propria singulorum, populorum, ut
S. *Mariæ de Anima*, Germanorum & Belgarum.
S. *Ludovici*, Gallorum.
S. *Iacobi*, Hispanorum.
S. *Thomæ*, Anglorum
S. *Petri*, Hungarorum.
S. *Brigidæ*, Suecorum.
S. *Ioannis*, in Cœlio.
S. *Andreæ*, prope Argentinam, Flandrorum.

S. *Ioan*

S. *Joannis Baptiſtæ*, Florentinorum,

S. *Joannis Baptiſtæ*, prope ripam Tiberis, Genuenſium, à *Mediadufto Cicada* conditum & dotatum.

Sunt & aliæ ædes pupillorum multæ, quæ recenſere nihil attinet.

COEMETERIA SACRA, quæ partim olim fuere, partim nunc ſunt XXVII.

S. Agnetis. S. *Balbinæ.* Via Ardeatina.
S. *Calixi*, ad S. Sebaſtianum *Catumbæ.*
Commodillæ, Via Oſtienſis.
S. *Felicis.*
S. *Felicitatis*
Jordanorum.
Nicomedis,
Peregrinorum.
S. *Pontiani*
S. *Piſtillæ*, via Salaria.
Urſi Pileati, ad S. Balbinam,
Ampronianæ.
Baſilicæ.
Calepodii, via Aurelia
S. *Damaſi,*
Ad Clivum cucumeris.
Cyriaci, Via Tiburtina.
Domicillæ, Via Ardeatina,
Ad duos Lauros.
S. *Hermetis.*
Inſalatarum, Via Portuenſi,
SS. *Nerei & Achillei,*
S. *Panecratii*
Prætextati, Via Appia.
Thraſonis.

BIBLIOTHECÆ Pontificis tres in Vaticano Palatio: una clauſa, quæ eſt ſelectorum librorum, cui adjuncta etiam alia, tertia, quæ vulgo omnibus diebus non feſtivis per duas horas patet, Græcis Latiniſque libris calamo ſi qui in orbe terrarum in membranis exaratis inſtructiſſima, beneficio *Nicolai* V. Pont. Max. item nova *Xiſti* V. Pontif. quarum inſcriptiones, picturæ, & carmina ſingulari libro *Angelo Rocho* Epiſc. edita ſunt.

S. *Mariæ in Ara cœli.*
S. *Mariæ de Populo.*
S. *Mariæ ſupra Minervam.*
S. *Auguſtini.*

Fuerunt aliæ apud S. S. *Petrum in Vincula*, & apud SS. *Apoſtolos in Sabinam* quæ in direptione Urbis

partim incendio absumptæ sunt, partim enim prædæ fuerunt.

HORTOS Antiquitatis studiosi habent amœnissimos Summi Pontificis, quibus sese oblectare, & animum atque oculos pascere possunt: nulli enim negatur aditus, & aliorum multorum ædes ac vineas, sed horum maxime insignium, illustrissimorum Cardinalium.

Bellaii.
Carpensis.
Farnesii,
Sodermorum:
Boccatii.
Ferrariensis.
Casii.
Visei, trans Tiberim.
Achillis Bocchi.
Monachorum S. Petri ad Vincula.

PALATIA.

Conservatorum in Capitolio.
Portiorum in Regione Piceæ.
Dominorum de Vallè.
Daminorum Cæsarinorum.
Salviati trans Tiberim.
Lateranense, à *Sixto* V. ex fundamentis magnificentissime extructum.
S. Georgii in Damaso.
Cardinalis Carpensis.
D. de Rustici.
Columnensium in Regioni Trivii.
Colletti, in Campo Martio.
Vrsinorum, infra Capitolium.
Dominicorum de Maximis,
Farnesianum, in Campo Floræ.
Card. de Capite ferreo, prope Campe Floræ.
Busalorum, in Regione Campi Martii.
Vrsinorum, in Campo Floræ, & Circo Flaminio.
S. Marci, in capite viæ Latæ.

REGIONUM in Urbe nomina hodie sunt quatuordecim, olim novendecim:

Regio Montium
Columnæ.
Trivii
Campi Martii.

Ponti

Pontis. *Parionis,*
Harenulæ. *Euſtachii.*
Tineæ. *S. Angeli.*
Campitelli. *Ripæ.*
Transtiberis. *Burgi.*

PONTES lapidei ſupra Tiberim, ſex:

Mulvius (vulgo *Ponte mol*) extra Urbem & portam Flaminiam ad duo milliaria.

Ælius. S. Angeli, vel Caſtelli.

Fabricius, quatuor Capitum.

Janniculenſis. Xiſti.

Caſtius, *S.* Bartholomæi.

Senatorius vel *Palatinus*, S. Mariæ Ægyptiacæ.

Publicius & *Triumphalis* hodie non extant: utriuſque pilæ aqua tenui apparent, hujus ad S. Spiritum, illius ad radices Aventini.

AQUAE in Urbe, *Tiberis* & *Almo* fluvii, dein reliquiæ fontium ex veteribus ductibus, quarum licet plurimæ fuerint, paucæ tamen ſolum Urbem nunc ingrediuntur.

Aqua virgo per Campum Martium deducta à *Nicolao* V. Pont. Max. & *Alſietina* per Vaticanum reſtituta ab *Innocentio* VIII. & nuper *Paleria* à *Pio* IV.

Gregorium XIII. etiam alias reduxiſſe inſcriptiones teſtantur, quæ & ceteris inſeruntur Antiquitatum Urbis Titulis.

CAMPI in Urbe multi, ſed nominatiſſimi hodie ſunt:

Vaticanus *Agonius,*
Fegulenſis. *Judæorum*, & *Flora.*

PORTICUS novæ præcipuæ tres:

I. Benedictionis.

II. In Vaticani Palatio triplicis obambulationis aperta.

III. Verſus hortos *Belvidere*, vulgo, *il Curridorio*, nunc *Gregorii*.

FORA itidem varia, quorum

Piscarium & *Olitorium* dicuntur iis adhuc esse locis, ubi fuere antiquitus.

Suarium & *Boarium*, ubi olim *Romanum*.

Pistorium, unum prope S. *Mariam rotundam*, alterum in Vico Judæorum, tertium prope S. *Laurentium in Damaſco*, quartum ad pontem Æliani. Conjuncta ferè *Laniena* & *macella* piſtoribus. Commune omnium mercium & rerum venalium *forum* in *Campo Agonio*.

MONTES rariſſimi habitantur: nam aut hortis aut vinetis occupati ſunt, aut antiquorum ædificiorum immenſis ruinis.

VIÆ multiplices, quas *Sixtus V.* recto tramite per Urbem ſtatuit ſumptuosè.

SEDES PONTIFICIA nunc eſt contigua Baſilicæ S. *Petri*, in qua multa præclara, præſertim Sacella, propter picturas *Michaëlis Angeli Bonaroti* Florentini, & aliorum, unde etiam artifices exempla ſumant. Aſcenſus ſunt facillimi, & ædibus Palatinis accommodati ex omni parte, adeo ut etiam æquo ad tectum uſque eas.

SUNT & aliæ habitationes æſtivæ apud *D. Marcum* S *Mariam majorem*, S. *Ioannem Lateranum*, & SS. *Apoſtolos* in Regione Trivii

CARDINALIUM Palatina per totam Urbem diſparſa, & præcipua, quæ ſupra commemorata, & ſingula turres ſingulas adjunctas habent.

Ædes civium ſatis bellæ, & partim vetuſtis monumentis, marmoribus, picturis; partim hortis, fontibus, nymphæis exornatæ

ARX *Pontificis*, quam *Molem Adriani* ſive *Caſtellum* S. *Angeli* appellant, triplici ratione munita, & omni apparatu bellico inſtructa. In ea tres dies feſti quotannis magna celebritate peraguntur, funalibus paſſim accenſis, jaciendis ignibus arte factis, & emittendis tormentis bellicis. Unus eſt SS. *Petri* & *Pauli*: reliqui duo, quibus illius temporis Pontifex ſuffragiis declaratus, & coronâ poſteà ornatus eſt. Arcis cuſto-

cuſtodia viro ſpectato commendatur, qui poſt exactam ſeptem annorum Præfecturam aut Cardinalis titulo decoratur, aut aliquot millibus aureorum donatur.

AQVÆ-DVCTVS VETERVM, cum receptaculis & caſtellis aquarum. Utpote primum, *Aqua Claudia*, tanti ſumptus & operis, ut in illius inſtauratione quingenta & ſexaginta talenta fuerint erogata.

AQUÆ.

Martiæ.	Appiæ.
Marianæ.	Trajanæ.
Alexandrinæ.	Tepulæ.
Juliæ.	Alſietinæ.
Auguſtæ.	Mercurii.
Sabbatinæ.	Virginis.
Anienis Veteris.	Anienis novi.
Vinturnæ.	Sabinæ, in Aventino.

THERMÆ.

Antonianæ,	Diocletianæ.	Decianæ.
Varianæ.	Hadrianæ.	
Titianæ	Neronich	Imp.
Gordianæ.	Trajani	
Novarianæ.	Philippi	
Agrippinæ.	Commodi	
Alexandrinæ.	Severi	
Aurelianæ.	Conſtantini	
Olympiadis.	Domitiani	
FONTES:	Fauni	Juturnæ.
PUTEI:	Probus.	Aquæ ſalientis
INSULAE:	Tiberina	Lycaonia.
LACUS:	Juturnæ	Curtii.

FORA.

Romanorum.	Piſtorium,	Trajani.
Nervæ.	Cæſaris.	Auguſti.
Latium.	Tranſitorium.	
Olitorium.	Piſcarium.	
Boarium.	Suarium.	

Archimonii,
Esquilinum;
Ænobarbi.
Rusticorum.
Salluſtii
Diocletiani.
Gallorum.
Cupidinis.

ARCVS TRIVMPHALES:

Romuli. Constantini.
Lucii Septimii Severi.
Trajani.
Cœlitis.
Gallieni.
Theodosii.
Titi Vespasiani,
Domitiani.
Fabiani.
Gordiani.
Tiberii.
Camilli.

AMPHITHEATRA:

Statilii Tauri,
Titi Vespasiani, CL.
Claudii.
millium hominum capax,

THEATRA:

Scauri. Pompeji,
Balbi.
Marcelli.
Calliculæ.

CIRCI:

Maximus.
Agonius,
Floralium,
Flaminius.
Neronis,
Alexandri.

PORTICVS:

Clivi Capitolini,
Concordiæ.
Libertatis,
Augusti,
Antonini Pii,
Faustinæ,
Claudiæ,
Amphitheatri,
Octaviæ ſororis Augusti,
Corinthia,
Severi,
Panthei,
Palatini, Merelli,
Constantini,
Q. Catuli.
Fori Augusti,
Trajani.
Liviæ.
Circi maximi,
Neptuni.
Quirini.
Mercurii,
Pompeja,
Veneris Ericinæ.
Cn. Octavii. Juliæ. & Tribunal. Aurelium

COLVMNÆ:

Rostrata.
Trajani.
Antonini Pii,
Bellica.

Cx-

Cæſaris. Porticus Concordiæ
Lactaria. Mœnia.

OBELISCI:

Circi Maximi. Lunæ, *in Colle hortulorum.*
Campi Martii. Vaticani, *ad S. Petrum*
Mauſolei Auguſti. Ad caput Bovis. *fractus*
Extra portam Laurentii. Mahuti in platea, juxta Collegium Societ. Jesu.
Solis. Areæ cœli.

COLOSSI:

Neronis. Apollinis. Martis.

PYRAMIDES:

Caji Ceſtii Scipionis, *ad Molem Adriani.*

NAUMACHIÆ:

Circi maximi. Domitiani. Neronis. Cæſaris.

SEPTIZONIA.

Severi. Titii. Illud prius *Xiſtus* V. ædificans Romæ nuper ſuſtulit.

EQUI:

Sciphius. Trajani. Cæſaris.
Arion. Conſtantini.
Antonini Pii *in Capitolio.* Phidiæ & Praxitelis, *in*
Domitiani, L. Veri. *Quirinali.*

SUNT & alia veteris Urbis admiranda: Statuæ propè innumerabiles. Palatia antiqua, Regum, Impp. Virorum illuſtrium.

Domus, Horti. Atria.
Baſilicæ, Roſtra, Curiæ.
Luci. Vici. Tabulæ publicæ.
Tabernæ. Clivi. Campi.
Carceres. Cellæ. Sepulchra. Aræ.
Templa. Ædes ſacræ, Delubra, Fana.
Turres, Villæ. Septa. Sacraria.
Scalæ. Puteal. ut *Aſtii* & *Libonis*
Prata Pila. Macella. Officinæ.
Bibliothecæ, ut *Majorum*, *Auguſti*, *Ulpia*, *Marcelli* & *Pauli*. Armentaria. Antra. Ærarium Populi Rom. Æquimelium, Aſylum. Vivarium, Cloacæ.

aliaque de quibus varii ſcripſere, quos mox recenſebo.

Publius Victor inter Urbis ornamenta, publicaque ædificia numerat

Ædes CCCXXIV.
Curias XXXV.
Fora XI.
Campos VIII.

Capitolia duo quorum unum argento fuit tectum, habuitque aureas præſtantiſſimorum hominum ſtatuas.

Theatra & Amphitheatra VII.
Circos IV.
Obeliſcos VII.
Arcus marmoreos XXXVI.
Portas XXXVII.

Quorum omnium numerus ſtatuſque ſi cum ſæculo noſtro conferatur, vix, quæ eſt rerum humanarum viciſſitudo, in ipſa Roma Romam invenies. Hinc canit.

JANUS VITALIS.

Qui Romam in media quaris novus advenâ Româ,
Et Romæ in Româ nil reperis mediâ;
Aſpice murorum moles, præruptaque ſaxa,
Obrutaque ingenti vaſta theatra ſitu:
Hæc ſunt Roma, Viden? velut ipſa cadavera tanta,
Urbis adhuc ſpirant imperioſa minas.
Vicit ut hæc mundum, nixa eſt ſe vincere: vicit,
A ſe non victum ne quid in orbe foret.
Nunc eadem invictâ, Roma illa invicta ſepulta eſt,
Atque eadem victrix victaque Roma fuit,
Albula Romani reſtat nunc nominis index:
Quin etiam rapidis fertur in æquor aquis,
Diſce hinc, quid poſſit fortuna: immota labaſcunt,
Et quæ perpetuò ſunt agitata, manent.

LAZA-

LAZARUS BONAMICUS.

VOs operum strata moles, collesque superbi,
Queis modo nunc Roma nomen inane manet;
Vosque triumphales arcus, cœloque colossi
Æquati, Pariis cæsa columna jugis;
Edita Pyramidum fastigia, Templa deorum,
Digna vel æthereis Amphitheatra locis:
Vos avi tandem attrivit longinqua vetustas,
Vos longâ tandem fata tulêre die.
At Roma Æneadûm magnum & memorabile nomen,
Tempus adax rerum tollere non potuit.
Nec poterit, donec clari monumenta vigebunt
Ingenii, quæ non ulla senecta rapit.
Cætera labuntur tacito fugientia cursu,
Calliope æternum vivere sola potest.

ANONYMUS.

URbs cecidit, de qua si dignum dicere quidquam
Molior, hoc potero dicere, Roma fuit,
Non tamen armorum series, non flamma, nec ensis,
Æternum poterant hoc abolere decus.
Cura hominum potuit tantam componere Romam.
Quantam non potuit solvere cura Deûm,
Confer opem, marmorque novum, Superûmque favorem:
Artificum vigilent in nova facta manus.
Non tamen aut fieri præstanti machina muro,
Aut instaurari sola ruina potest,
Tantum restat adhuc, tantum ruit, ut neque pars stans
Æquari possit, diruta nec refici.
Hic Superûm formas Superi mirantur, & ipsi
Se cupiunt verbis vultibus esse pares.

GEORGIUS BRUGENSIS.

QUi miseranda videt veteris vestigia Romæ,
Ille post meritò dicere Roma fuit:
At qui celsa nova spectat Pallatia Romæ,
Hic meritò poterit dicere, Roma viget.

NICOLAUS BORBONIUS.

Roma fuit: nequeo breviùs, te Roma perisse,
Dicere, quid brevius dicere, Roma fuit?

JOMETELLUS SEQUANUS.

Mors venit & saxù, tacitisque senescitur annis:
Sic venit & claris urbibus atra dies.
Quis Romam in media jam quæreret? en ego Romam?
Hæc vetus in nostra tota sepulta jacet.
Nec quidquam superest, quam quas mirere ruinas,
Tempore quodque mori vivere morte queat.
Scilicet annosa ut quercus celsissima crevit,
Postque cadit, victa hac tempore Roma ruit.
Urbibus at certis post funera vita resurgit,
Sedibus aut migrant, omine forte suo.
Pax urbes firmat, pacem concordia, crescunt
Justitia atque armis, religionis ope.

RERUM ROMANARUM SCRIPTORES.

CAPUT III.

DE URBE.

P. VICTOR, & *Sex. Rufus* de regionibus Urbis *Aristides Sophista* laudem Urbis Romæ Græcè conscripsit,

Recentiores:

Poggius Florentinus.
Fabricius Varrhianus.
Flavius Blondus.
Raphaël Volaterranus.
Franciscus { *Albertinus.* *Orcellarius,* *Serlius.*

Bap.

Bartholomæus Marlianus, figuris nuper auctus à *Theodoro Bry* Leodienſi, & *Jac. Boiſſard*.

Georgius Fabricius.

Lucius Faunus & *Maurus*.

Andreas Fulvius.

Joh. Roſinus lib. I. Antiquitatum Rom.

Onuphrius Panuinius in ROMA.

Wolfgangus Lazius.

Juſtus Lipſius in Admirandis, ſeu Magnitudine Romana.

Ludovicus Demunteſius, libro Romæ edito, qui inſcribitur *Gallus Hoſpes de urbe*.

De nova ROMA, ſeu magnitudine ſub Romanis Pontificibus.

Flavius Blondus.

Onuphrius Panuinius.

Thomas { *Boſius*, Eugubinius. / *Stapletonus*, Anglus.

Juſtus Lipſius V. C.

Novam quoque Romam, hoc eſt Byzantium, quæ poſteà *Conſtantino Magno* Aug. eſt *Conſtantino olim* appellata, deſcripſit M. D. LXII. accuratè *Petrus Gyllius* Albienſis, Gallus, ut & *Thracium Boſphorum*, omnemque circumcircà, quam perluſtrarat, regionem.

DE SEPTEM URBIS ECCLESIIS.

Onuphrius Panuinius, qui & de Cœmeteriis & Stationibus urbis Romæ.

M. Attilius Serranus.

Italicè *Tompejus Hugenius* Romanus, Præfectus Bibliothecæ Aſcanii Columnæ Card. quæ olim Sirleti Cardinalis.

De cæteris templis Romæ ſacris *Laurentius Schraderus* Saxo lib. II. Monumentor. Italiæ.

CONSVLVM Romanorum & Impp. Faſtos ſcripſere,

Caſſiodorus, Senator Rom.

Mar-

Marcellinus.
Victor Tununcensis Episcop. nuper typis editus.
Fasti Siculi Græcè, ab *Andrea Schotto* cum Fasti *Goltzii.*
Nicephorus Episc. Constantinopolitanus.

Recentiores:

Joan. Cuspinianus.
Carolus Sigonius
Onuphrius Panuinius
Stephanus Piphius
} è marmoribus Capitolinis,
Hubertus Goltzius è Nummis Rom.

DE IMPERATORIBUS ROM.

Exceptis Scriptoribus Græcis, *Plutarcho*, *Dione*, *Herodiano*, *Juliano Cæs.* & Latinis *Ammiano*, *Lampridio*, *Spartiano*, *Aurelio Victore*, aliisque jam sæpe editis.

Hi recentiores Icones edidere,
Hubertus Goltzius Herbipolita,
Jacobus Stradanus, Mantuanus.
Æneas Vicus, Parmensis.
Adolphus Occo, Augustanus.
Sebast. Erizius, Italice.

AUGUSTOS quidam ære illustrarunt.

XII. Cæsares, eorumque conjuges, *Lavinus Hulsius* Gandavensis, Spiræ.

XII. Cæs. *Hadrianus Collart* typis æneis Antverpiæ, *Mezochius* Romæ, & alii.

Versibus, *Ausonius Burdigalensis*, *Jacob*, *Mycyllus*, *Ursinus Velius.*

De Columnis urbis Romæ.

De Rostrata, quæ hodie in Capitolio visitur, inscriptione, *Pet. Ciaccontus* Toletanus.

De Trajani Aug. { *Alphonsus Ciacconius* / *Petrus Galesinius* } Romæ

De Antonini Augusti *Josephus Castilio* Anconitanus.

De

De [illegible]eliscis Urbis quos *Xistus V*, erexit dedicavitque,

Petrus [illegible]*lius Barzaus.*
Petrus G[illegible]*mus.*
Michaël [illegible]*catus* Italice Tomis II.
Iohan Ser[illegible]*s* libr. De mirandis antiquorum operibus.

D[illegible] quæductibus & aquis in Urbem influentibus.

Sex. Iu[illegible]*ontinus.*
Aldus [illegible]*us* libr. De quæsitis per epistolam.
Ioh. Ser[illegible]
De aqu[illegible]ne, *Lucas Patus* J. C. Romanus.
De Ti[illegible]ctu, *Ludovicus Gomosius.*

De Magistratibus Roman:

Pomp[illegible]*tus.*
And[illegible]*minicus Floceus*, qui partus *Fenestella* falsc[illegible]bitur.
Car[illegible]*onius.*
I. R[illegible]lib. VII. Antiq. Rom.
Ioa[illegible]*s Perionius.*
N[illegible] *Provinciarum Mariani Scoti*, cum commen[illegible] *Guidi Pancirolii* J. C.
D[illegible]*tales Orientis*, collectæ ab *Ant. Schonhovio.*

De Senatu.

[illegible]*gellius* lib. XIV. Noct. Attic. cap. VII.
[illegible]*h. Samoscius* Polonorum Cancellarius.
Paulus Manutius.

De Comitiis.

Nicolaus Gruchius.
Carolus Sigonius.
Ioh. Rosinus. Antiquit. lib. VI.

ACAD. SCIENT. LITT. ST. ART. LUGD

De

De Judiciis.

Valerius Maximus libro VIII.
Carolus Sigonius.
Joh. Rosinus libro IX. Antiquit. Roman.

De Sacerdotiis.

And. Dominicus Flaccus.
Pomponius Lætus.
Joan. Rosinus libro III.

De Annis, Festis & Ludis.

Ovidius in Fastis.
Lilius Giraldus.
Hadrianus Junius.
Joh. Rosinus libro IV. & V.
Jos. Scaliger De temporum emendatione.

De Triclinio, Conviviis accumbendi ratione Romanorum.

Petrus Ciacconius. Toletanus.
Fulvius Ursinus, Romanus.
Joh. Rosinus lib. V.
Justus Lipsius in Antiquis Lection.
Manutius de Quæsitis per epistolam.
And. Baccius de Vini natura.

De Theatris & Amphitheatris Rom.

Justus Lipsius.
Joan. Servilius lib. I. de Mirandis antiquorum operibus.

De Militia.

Polybius lib. VI.
Justus Lipsius.
Joh. Rosinus libro X.
J. An. Valtrinus, Romanus, libris VII.

De Triumphis.

Joan. Ant. Valtrinus lib. VII. de Militia Roman.

Joan.

Joan. Servilius lib. 3. de Mirandis orbis terræ, Antverpiæ.

C. Sigonius, & *Joan. Rosinus*.

De Coloniis.

Sex. Julius Frontinus.

Onuphrius Panuinius in ROMA:

Car. Sigonius.

De Provinciis Rom.

Sex. Rufus in Breviario, cum Scholiis *Joan Cuspiniani*.

Carolus Sigonius.

Notitia Provinciarum.

De Nominibus antiquorum.

Valerius Probus, cujus est liber decimus *Valerii Maximi* de Cognominibus Rom. de quibus & *Sigonius*, *Onuphrius* & *Franc. Robortellus*.

ANTIQVITATVM ROMANARVM, ET ædificiorum, ac ruinarum Scriptores.

Carolus Sigonius libris de Antiquo jure civium Romanorum.

Paulus Manutius Antiquitatum librum dedit, & de Legibus Rom. ut & *Zasius*, & *Hottomannus*: omnium doctissimè *Ant. Augustin.*

Joan. Rosinus libros x. Antiquit. Rom.

Tabulas æneas Antiquitatum Romanarum edidêre *Ant. Lanfrerius*, & *Ant. Salamanca*, Romæ, augusta forma; minore alii.

Tabulas Urbis, *Onuphrius Panuinius*, *Pyrrhus Ligorius* Neapolit. *Michaël Tramezinus*, aliique veterem novamque Romam expressere.

STATVAS Urbis Romæ exhibuit

N. de Cavalleriis, & *Theodor. Bry*, Leodiens. cum *Jo. Jacobo Boissardo*.

IMAGINES clarorum hominum è marmoribus,

Achilles Statius Lusitanus, Romæ,

Ful-

Fulvius Ursinus Romanus, Romæ: & plures CL. Antverpiæ apud *Theodorum Gallæum*.
Italorum recentium imagines, & Græcorum IX. doctrina illustrium, qui primi Græcas litteras capta Constantinopoli in Italiam transque Alpes invexerunt, apud eumdem *Gallæum*.

INSCRIPTIONES marmorum ac lapidum antiquas evulgarunt.

Totius Europæ *Petrus Appianus*.
Cyriacus Anconitanus, sed pleræque fictæ sunt.
Martinus Smetius Flander, cum Auctario *I. Lipsii* Lugd. Batavor & *Io. Gruterus* cum *Scaligero* & *Velsero*, Heidelbergæ.
Fulvius Ursinus, ad librum de Rom. legibus *Anton. Augustini* V. C.
Io. Iacobus Boisardus Vesontinus. Francof. &
Mezochius Romanas edidit, & alii plurimi.
Adolphus Occo Hispanicas, ex *Ambrosio Morali*, & *Io. Strada* cum *Iulio Cæsare*.
Manutius in Orthographia.
Onuphrius Comm. in Fastos.
Fontejus lib. de Gente Cæsia.
Gabriel Simeon Florentinus,
Wolfgangus Lazius vir doctissimus.
Hubertus Goltzius in Thesauro Antiquitatum, aliique in Commentariorum libris Titulos Romanorum, Epitaphia, inscriptionesque frequenter adhibent.

CHRISTIANORUM Inscriptiones sepulchrorum collegerunt

Laurentius Schraderus Saxo libris IV.
Deliciis Itinerum *Nathan Chytraus*, & *Franciscus Sweertius* Coloniæ.

De Numismatibus Roman.

Hubertus Goltzius Tomis IV. qui & Græciæ majoris

joris ac Siciliæ habet, & nunc Græciæ insulas, & Asiæ; Thesaurumque Inscriptionum ac Nummorum quem verè *Cornu copiæ* appellaris.

Iac. Strada Mantuanus.

Æneas Vicus Parmensis.

Sebastianus Erizius Italicè.

Adolphus Occo Augustanus.

Antonius Augustinus Dialogis XI. qui Hispanicè & Italicè bis Romæ editi, & Iconibus auctiores facti sunt, & nuper Latinè editi Antverpiæ ab *Andreæ Schotto*, Societ. JESU.

PONTIFICUM ROMANORUM,

Vitæ à *Barthol. Platina* conscriptæ, *Panuinio*, & *Papyrio Massone*, sed cautè legendæ.

Icones ad vivum cum Vitis. *Onuphrius Panuinius*, & alii Romæ.

CARDINALIUM Fastos.

Onuphrius Panuinius Veronensis, & *Alphonsus Ciacconius* Hispanus edidit Romæ, cum insignibus Cardinalium.

Duodecim Cardinalium Icones & Elogia sculpsit Antverpiæ *Theodorus Galæus*.

DE SEPTEM URBIS ROMÆ ECCLESIIS.

Quæ maxime à piis hominibus magnis Summarum Pontificum Indulgentiis frequentantur.

CAP. IV.

TEMPLORUM sacrorum Romæ forma varia variis ætatibus placuit.

Alia enim circulari figura, sine columnis & contignatione, ac fenestris, in medio tecti amplo foramine

mine lumen præbente. Quorum ſpectatu digniſſimum *Pantheon*, hodie *B. Mariæ rotundæ*.

Alia circulari forma, varioque columnarum ordine, ut *S. Stephani* in Cœlio, olim *Faunæ* & *B. Conſtantiæ* extra Viminalem portam, Via Momentana; olim *Baccho* ſactum putatur fuiſſe, ex tumba.

Alia quadrata, & ordine columnarum recto, & plerumque uno tantùm, interdum duplicato: ut in magnificentiſſimis *S. Johannis Lateranenſis* in Cœlio, *S. Petri* in Vaticano, S. *Pauli* Oſtienſi Via, S. *Agnetis* extra muros.

Alia pilas dumtaxat habent & columnas interjectas & feneſtellas ſub ipſo tecto, plures alias, alias pauciores, pro ædificii aut amplitudine aut magnitudine.

Fornicata rariſſima Romæ reperiuntur. Frons artificii habet plurimum, ſpectarique dignum: Columnæ templorum plurimum pretioſæ, è variis marmorum generibus.

Pavimenta quoque marmorea, ſæpè etiam teſſelata.

1. S. CRUX IN JERUSALEM.

IN Cœlio monte, una è ſeptem maximè religioſis urbis Romæ Eccleſiis. Templum mundum & elegans, ab *Helena*, *Conſtantini Magni* Imp. matre, ædificatum, columnis XX. Sunt & hic duo marmorea monumenta è nigro, ſubrufo, & candidiſſimo marmore. Summi altaris tectum quatuor marmoreis columnis ſubſtinetur. Solum loci illius è Terra ſancta Jeroſolymis advectum fuiſſe, Inſcriptio teſtatur & aſylum ibi olim fuiſſe ſub *Romulo*, auctamque inde a *Tullo Hoſtilio* Urbem, pomœrioque additum olim fuiſſe referunt; ut ubi olim ſceleris impunitas, ibi ſub CHRISTO criminum venia tribuatur. Hic *Benedicti VII.* Pont Max. tumulus verſibus inſcriptus, *Francſci* item *Quinnonii*, & *Bernardini Caraujalli* Hiſpanorum Cardinalium, ac *Petri Albi* Belgæ, ſculptoris

ptoris egregii. De hoc templo infrà, ubi de itinere quarti diei, de *Monte Cœlio*.

II. SS. SEBASTIANI & FABIANI.

TEMPLUM oblongum in via Appia, simplicis structuræ, pavimento marmoreo, & adjecto Monasterio, sed deserto. Hic primùm corpora *SS. Petri & Pauli* quiévêre. Ara major quatuor columnis nixa. Tectum lapideum, ut plurima Romæ. Sub Cancellis *Stephanus* PP. & Martyr conditus. Sacellum est subterraneum duodecim gradibus, & Crypta ac cœmeterium *B. Calixti* Papæ & Martyris: Reliquiæ amplius CLXXIV. millium SS. Martyrum & XLVI. beatorum Summorum Pontificum corpora quiescunt.

Hujus Templi distantia facit, ut interdum æstuante nimis sole, ejus loco *B. Mariæ populi* Ædem sacram Pontifice indulgente, pii obeant. De hac in *Templorum Catalogo* mox agam: & plura dicuntur de eo in Itineris Romani quarto die, in *Via Appia*.

III. S. JOHANNES IN LATERANO

TEMPLUM unum in septem Urbis Ecclesiis. Pontificum olim Romanorum sedes, in Monte Cœlio, cui nostra tempestate *Xistus* V. PP. Palatium instauratum à fundamentis adjecit, in quo Lateranensis sæpè Synodus Romæ habita fuerat: & in hac Basilica eleganti coronam accipere Romani Impp. solebant. Ut pavimentum marmoreum, sic & laquearia inaurata conspiciuntur. Divorum hic Reliquiæ multæ. Capita Principum Apostolorum *Petri* & *Pauli*: *S. Stephani* tunica, sanguine tincta, & lapidibus perforata: aliaque de quibus ibidem ad Aram summam Diploma legitur *Sixti* IV. Pontif. Maxim. Marmor itidem incisum cum *Gregorii* Papæ Bulla, fidei apud posteros confirmandæ. *Nicolaus* IV. P. M. ad annum Christi M.CC.XCI. eam valde instauravit, quod Tituli opere musivo in fornice abundè testan-

tur,

tur, Columnas illas ſtriatas *Veſpaſianus* Imp. Jeroſolymis advexiſſe traditur.

In Sacello *Lavacri Conſtantini* membro Ædi ſacræ adjecto, ubi à *B. Silveſtro Conſtantinus* lavacro regenerationis tinctus fuit, additum Sacellum, mulieribus ideò clauſum, quod *Joannis Baptiſtæ* mortis cauſſa mulier Herodias extiterit. Columnæ porphyreticæ cum fricantur, violarum odorem referre ajunt, & è Pilati ædibus allatas, cum porta ex atrio Pilati columnaque cui gallus gallinaceus inſidens, terque canens, Petro ter abneganti Dominum fuit pœnitentiæ nuntius. Hic & *Arca fœderis*, & *Aaronis virga*, aliaque ab aliis, quos nominavimus, diſertè prodita, & crebro publicè oſtenſa peregrinis hominibus. Hic *Silveſtri* II. Pont. Max. Epitaphium verſibus ſcriptum legitur, & *Antonii* Card. Portugalenſis: item *Laurentii Vallæ*, ibidem olim Canonici, qui an. MCDLXV. Kal. Auguſti quinquagenarius obiit, cum hoc Elogio.

Laurens Valla jacet, Romana gloria linguæ:
Primus enim docuit, qua decet arte loqui.

Ibidem & PORTA SANCTA, quæ ineunte anno Sæculari ſacro, (vulgò *Jubilei*) aperiri à Pontificibus de more conſuevit.

Fuit hoc Templum unum ex quinque Eccleſiis Patriarchalibus: & plura de eo infra in Itineris Romani quarto die, in *Cælio Monte*.

IV. S. LAURENTIUS EXTRA PORTAM ESQUILINAM.

ÆDes pulchra, marmoreis nixa columnis triginta ſex. Hæret huic Monaſterium Canonicorum Regularium S. Auguſtini. Crypta hic, qualis ad *S. Sebaſtianum*, Martyrum oſſa continens plurimorum, ex Cœmeterio *Cyriacæ* matronæ, & reliquiæ hic *S. Laurentii*. Lapis cancellis incluſus, cui jam aſſatus de craticula impoſitus Martyr, in eo expiravit,

Deo,

Deoque victor animam reddidit. Tumba hic ad dexteram, cum statis, agnum ad victimam ducentibus, *Gulielmi* Cardinalis S. Eustathii, nepotis *Innocentii* Papæ IV. Cetera oculis lustra, Martyrumque suffragia pius implora, vestigiaque adora.

Reliqua pro hoc Templo vide infrà in Itineris Romani sexto die in *Monte Esquilino*.

V. S. MARIA MAJOR IN ESQVILINO COLLE.

TEMPLUM augustum, inter cetera, operis musivi, longitudine pedum CCCXII. latitudine CXII. Pavimentum opere tessellato, atque emblemate vermiculato, laquearia item inaurata. Altaris, mensa, & urna porphyretica, in qua conditus *Ioan. Paulus* Basilicæ, conditor. Hic *Præsepe Domini*, antiquis litteris inscriptum, nunc in crypta subterranea Sacrificiis frequentatur piorum. *Pius* enim V. Sacellum inchoarat, perfecitque *Xistus* V. opere egregio; grato animo res ab illo præclarè pro domo Dei gestas tabulis publicè testatus, ad posterorum memoriam sempiternam. Hic & sepulchra *D. Hieronymi*, & imago vetus supra portam Cardinalis habitu, Monstrantur & *Alberti* & *Ioannis Normandi*, Recentiorum vero. *Platinæ* Historici rerum à Pontificibus gestarum, & *Lucæ Gauric*i Mathematici, & Episc. Civitatensis, aliorumque illustrium, ut *Franc. Toleti* Card. è Societate JESU. Picturæ hic perantiquæ supra columnas, quarum in Conciliis mentio, adversus Iconomachos. Pro foribus, ut & ante *B. Ioannis Lateranensis* Ædem, obeliscus erectus à *Xisto* V. Incredibili sumptu, cum notis hieroglyphicis.

Fuit hoc Templum unum ex quinque Ecclesiis Patriarchalibus; & plura de eo vide infrà in Itineris Romani sexto die in *Monte Esquilino*.

VI. S. Pau-

VI. S. PAULUS.

IN VIA OSTIENSI.

AMPLUM & pulchrum Templum, à *Conſtantino Magno* ædificatum, longum paſſibus CXX. latum LXXXV. Fulcitur columnis marmoreis ſtriatis XL. aliiſque totidem rotundis, & paulò minoribus; ut ſint in univerſum CXIV. Pavimentum marmoreum; multæque hîc antiquę Rom. Inſcriptiones, quas alii collectas edidere. Altare ſummum quatuor columnis porphyreticis marmoreis ſuſtinetur, ad quod *Imago Salvatoris* frequenter oſtenditur, quæ *S. Brigidæ* oranti locuta ut Inſcriptio & appenſa Tabula teſtatur. Duo marmora, in quibus Evangelium & Epiſtola in ſacræ Liturgiæ Officio reciratur. In fornice mitaberis opere muſivo egregiè expreſſum *Salvatorem*, *SS. Petrum* & *Paulum*, & *Andream*, cum dictis cujuſque, mortiſque CHRISTI inſignibus & inſtrumentis. Inſtauravit nuper egregiè *Clemens VIII.* Pont. verè optimus. In portis æneis ſacræ hiſtoriæ inciſæ variæ, Græcè & Latinè expoſitę: teſtaturq; Titulus, *Alexandro IV.* Pont. Max. à *Pantaleone* Col. fieri juſſas. Sepulchra hîc Pontificum legas, *Joannis*, qui obiit anno M. D. LXXII. *Benedicti IX.* aliorumque, ut *Petri Leonis*, verſibus echoinis, ut illis temporibus. ſub *Leone II.* conditum Epitaphium, quique portam aperuerit annis Sæcularibus ſacris, *Julius III.* & *Gregorius XIII.* referuntur. Curatur hodie (quod locus ob cœli inclementiam deſertus ſit) à Ciſtercienſibus Monachis, qui in *Quirinali* habitant.

Supra ad Aquas Salvias *S. Pauli* Sacellum viſitur, ab *Alexandro Farneſio* Cardin. anno M D. LXXXII. ex arte inauratum. In Sacrario Reliquiæ Sanctorum ſunt: *Columna*, in qua *S. Paulus* capite truncatus; *Equuleus*, qui Martyrum appendi pedibus lapis ſoleat. In Delubro *Portæ cœli* Martyrum bis millium, ducentorum, & trium, ſub *Nerone*, Reliquiæ ſunt ad *Tres*

fon-

fontes, quia locus martyrii *S. Pauli* fuit preces religioſe fundantur.

VII. S PETRUS IN VATICANO.

TEMPLI S. PETRI fabrica, ſumptu, magnificentia, marmoribus, & opere ſuperat omnia orbis terræ, Templa, præſertim nova ſtructura, cui tholum nuper *Xiſtus* V. Pont. Max. impoſuit magnificentiſſimum, & Sacellum inauratum *Gregorius* XIII. *B. Gregorio Nazianzeno* conſecravit. Vincit haud dubiè Epheſinum illud, unum in ſeptem urbis miraculis, ab *Heroſtrato* incenſum, ut hoc flagitio nomen ad poſteros, obſcurum alioqui, tranſmitteret.

Vetus Templum fulciunt viginti quatuor columnæ. Harum marmor admirandis coloribus variegatum eſt. Nihil uſquam gentium ſpectatur elegantius, ne quidem Venetiis in Æde *S. Marci*, incruſtatâ tamen egregiè marmoribus è media Græcia allatis. Allatæ ſunt hæ è proxima *Hadriani Imp. Mole*, quo Principe nemo ingenio, nemo induſtriâ magis valuit animique dotibus. Columnæ ad *S. Euchariſtiæ* Sacellum, tortiles, foliatis gyris cinctæ, & illæ quæ *Sudarium Veronicæ* vulgo *Vultu ſanctæ* ſuſtinent, & quinque in Sacello ſacro, una item in medio fabricæ novæ Jeroſolymis à *Tito Veſpaſiano* advectæ putantur è Templo ac Palatio Salomonis, devictis, urbeque funditus everſa: indeque in Italiam tranſlatis ferunt, ut & illas columnas, quæ Venetiis in chori ſuperioris parte extrema viſuntur, ex alabaſtro diaphano factæ. In Templi area, quæ *Paradiſus* nominatur ingens nux eſt pinea, & duo ærei pavones, tranſlati è *Mole* ſeu *Pyramide Scipionis Africani*, quæ olim in Valle Vaticana fuiſſe dicitur. Ad parietem opus eſt teſſellatum, ſingulari artificio, à Romanis laudatum, Sed vincit opus hoc muſivum Templi S. *Marci* Venetiis incruſtatio Græcanici operis, cum veteris tum recentis, egregie vermiculata, vel invidia judice. Ibidem marmoreum ſepulchrum è lapide porphyretico, *Othonis* II. Rom.

Imp. Nusquam in Italia major porphyrus spectatur, excepto tecto *S. Mariæ rotundæ* Ravennæ quod olim monumentum fuit *Theodorici* Regis Ostrogothorum. Igitur veterem hanc Basilicam columnis nixam *Constantinus Magnus* Imp. exædificavit; novam largè augustissimam *Julius II.* Pont. Max. anno M. D. VII. à fundamento præsentibus triginta quinque Cardinalibus, jacto lapide excitavit. *Michael Angelus Bonarotus*, Florentinus. Architecturæ auctor. *Gregorius XIII.* Sacellum *B. Gregorio Nazianzeno* inauratum dedicavit. *Xistus V.* tholum summa celeritate imposuit. Portam æneam cum CHRSTI & B. Virginis imagine. Pauli item & Petri, *Eugenii IV.* auspiciis *Antonius* Florentinus fecit. Hebdomade majore CHRISTI facies linteo Veronicæ impressa quotannis ostenditur. Juxta est B. Virginis marmorea imago, Christum mortuum sinu tenentis, opus *Michaëlis Angeli*, ut & Judicium orbis universi supra in Sacello Pontificis. Petri navicula opere musivo intrantibus occurrit. Orientem solem spectantibus, *Sotti* Florentini opus. Pineæ æneæ in medio areæ, è *Scipionis* esse sepulchro fabulantur. Hic & *Otbonis* Imp. porphyreticum sepulchrum fuit an. M. C. D. LXXXIX conditi.

In Odeo, quem *Chorum cantorum* vulgò nominant, *Xisti IV.* æneum est monumentum, dormientis formâ. Utrimque Virtutes, circum *Theologia, Philosophia, Artesque liberales septem*, cum Inscriptione: OPVS EST ANT. POLILOLI, ANNO DOM. M. CD. XCII.

PONTIFICVM hic ut plurimùm sepulchrum, quos per Saturam, nulla habita temporum ratione, recensebo.

Innocentii VIII. æneus tumulus.

Pius IV. Medices, Mediolanensis, anno M. D. XLIV.

Paulus II. Venetus anno M. C. D. LXXVII.

Marcellus II. Pont. Max. brevis ævi fuit, sedit XXII diebus.

Pius

Tius II. natione Tuscus, anno M. C.D. LXIV.

Pius III. sororis *Pii II.* filius, obiit anno M. D. III.

Julius III. Pont. Max. sine Inscriptione.

Leo X. & *Clemens VII.* Florentini, hic depositi. Horum verò Pontificum Epitaphia carmine conscripta leguntur:

Eugenii IV.

Nicolai V.

Urbani VI.

Hadriani I. multis versibus.

Gregorii IV. & *V.*

Bonifacii IX. Neapolitani, *Pauli III.* & æneum est sepulcrum in nova Basilica.

Petri Balbi, Episcopi Tropiensis, hominis Græcè doctissimi, ibidem tumulus, & Cardinalis *de la Porta*. Pontificibus enim Summis hic locus meritò dedicatus: *Laurentii* tamen sculptoris Florentini legitur:

Roma mihi tumulum tribuit, Florentia vitam:
Non alio vellet nasci & obire loco.

Sed de sacrosanctis septem Urbis Ecclesiis accuratè scripserunt, si quis sitim explere volet. *Onuphrius Panuinius*, & *Attilius Serranus*: ille etiam *De Cœmeteriis* urbis Romæ, ac *Stationibus*, cum Vitis Pontificum *Bartholomæo Platinæ*.

Italicè verò ac diserte *Pompeius Ugonius*, Theologus, & Eloquentiæ Romæ Doctor, & Card. *Asconii Columnæ* Bibliothecæ instructissimæ, quæ olim *Gul. Sirleti* Card hominis doctissimi fuit, Præfectus Nos gustum dumtaxat dare, & digitum quod ajunt, ad fontes intendere & occupatis ac festinantibus gratificari studuimus. Quibus si abundè factum satis, est cur gaudeam.

Nunc ad minores Ædes sacras, seu Sacella, litterarum serie, non locorum, σὺν Θεῷ transeamus.

CATALOGUS SACRARUM ÆDIUM URBIS ROMÆ,

Alphabeti serie, situque adscripto: indicatis & Epitaphiis lectu dignissimis.

CAP. V.

Ex LAURENTII SCHRADERI Saxonis *Monumentorum Italiæ Libro* II.

S. ADRIANUS, Templum in Tribus foris: olim fuit *Saturni* in Foro Romano, postea *Nervæ* Imp. instauravit *Joh. Card. Bellarius*, ut Inscriptio præfert in epistyliis.

S. ÆGIDIUS, in Via Cassia.

S. AGAPETUS, apud Basilicam *D. Laurentii*.

S. AGATHA, Gothorum Ecclesia, sub Viminali: Hic *Diana* & *Facis* imagines ex cæmento. Pro foribus prætextati pueri in subselliis sedent, ac docentur. Disces & *prætextæ* togæ formam, qualis ferè Sacerdotum sacrificantium. Tumulus hic *Jani Lascaris*, cum Epitaphio duplici Græco.

S. AGNES, in Regione Parionis.

S. AGNES, in Via Nomentana. Pulchrum Templum, marmore incrustatum. Discenditur gradibus XXXII. Columnæ marmoreæ XXVI. Monasterium vicinum concidit, desertum fuit ob aëris intemperiem, cujus porticum *Julius* Cardin. *Sixti IV.* nepos exstruxerat. *B. Agnetis* corpus hic conditum anno M. D. XLI.

Proximum huic fanum *B. Constantiæ* Constantini Imp. filiæ, ab *Alexandro IV.* consecratum anno M. CC. LVI. Hic quoque corpora *Emerentianæ*, *Atticæ*, & *Artemiæ* virginum. Creditum olim *Baccho* sacrum, quod in eo tumba porphyretica, cum Geniis uvas calcantibus incisa summo artificio spectetur.

Tem-

Templum est rotundum, quatuor & viginti columnis marmoreis. opere musivo & tessellato, &c.

s. ALBERTVS, in Esquiliis.

s. ALEXIVS, in Aventino monte, olim *Herculis Victoris.*

s. AMBROSIVS { DE MAXIMA, in Regione S. Angeli. / in Campo Martio, Mediolanensium.

s. ANASTASIA, in radicibus Palatini montis: olim *Neptuni equestris*, qui & *Consus* dictus, quod consiliorum arcanorum Deus putaretur.

s. ANASTASIVS { in Regione Harenulæ. / ad Aquas Salvias, Via Ardeatina.

COLVMNA, in Regione Trivii,

ANIA, prope Curiam Sabellorum.

s. ANDREAS DE TABERNOLA, inter Esquilias & Cœlium montes.

FRATRIS, inter Capitolium & Theatrum Marcelli.

SCAPHIS, in ripa Tiberis.

URSIS, in Regione Harenulæ.

MENTVZA, in radice Capitolini

NAZARENO, in Regione Harenulæ.

s. ANDREAS IN PALIVRA, in Palatino.

PORTVGALLO, in Saburra.

STATERA, in radicibus Capitolini.

s. ANDREAS TRANS TIBERIM in Vaticano.

In Foro boario.

In PISCINA, olim *Mercurii.*

In Thermis Diocletianis.

s. ANGELVS | *Pius IV.* Pont. Max. *B. Virgini* & *Angelis* dedicavit, ut summi Altaris præfert Titulus disticho: estque Carthusianorum sedes: Hic *Pius IV.* tumulatur prope Altare majus, cujus mandato architectura ex Thermis *Bonarotam Michaëlem Angelum* habet auctorem, item *Bobba, Sorbanellus, Franciscus Alciatus Simonetta, Duca Siculus* Cardinales.
DE MOZARELLA, in Monte Jordano.

s. ANNA | in Circo Flaminio.
sub Viminali.

s. ANTONIVS { IN PORTVGALLO.
IN SCLAVONIA, Vallis Martiæ;
In Esquilino colle; ubi festo *S. Antonii* jumenta omnia Altare commeant, quo à morbis immunia, & à lupis tuta sint. Adjacet illi Hospitalis Domus à *Pio IV.* Mediolanensi Pont. Max. instauratum.

s. APOLLINARIS, olim *Apollinis*, ad Turrem sanguineam: nunc Germanicæ gentis Collegium adhæret, ubi alumni pietatem cum studiis imbibunt, *Julii III.* auspicio cœptum. Hic propè fuit domus *Antonii*.

ss. DVODECIM APOSTOLORVM, in Regione Trivii. Hodie tenent Ordinis *D. Francisci* Sodales, qui Conventuales appellantur. Lapis inscriptus à *Constantino* primùm ædificatum testatur. & ab hæreticis vestatum, à *Pelagio* & *Johanne* Summis Pontt. instauratum. Hic sepulchrum summi viri *Bessarionis* Card. Nicœni Episcop Tusculani, & Patriarchæ Constantinopolitani: *Petri* item *Saonensis* Cardin. tumulus, & *Barthol. Camerarii* Beneventani, Theologi

logi & I. C. *Cornelii Musſi* Epiſc. Botuntini, Declamatoris omnium Principis.

ss. APOSTOLI DVODECIM in Vaticano.

s. AVGVTINVS, in Campo Martio, Eremitarum Cœnobium Sodalium *S. Auguſtini B. Monicæ* matris ejus hic corpus quieſcit, hiſce verſibus adſcriptis:

Hic Auguſtini ſanctam veneraré Parentem,
Votaque for tumulo quo tacet illa ſacro.
Quò quondam grato tot nunc Monica mundo
Succurrat, precibus præſtet opemque ſuis.

s. BALBINA, in Aventino. Hic fuerunt Antonianæ Thermæ inſignes, & Palatium Licinianum.

s. BARBARA, in Regione pineæ, olim *Veneris* Theatri Pompejani.

s. BARTHOLOMÆI, in Tranſtiberina inſula, olim *Jovis*, vel, ut aliis placet, *Æſculapii*. Cœnobium hodie Sodalium *D. Franciſci*. Hic SEMONI SANCO DEO vetus in lapide Inſcriptio, & *D. Bartholomæi* Apoſtoli corpus.

s. BASILIVS, ſupra forum Nervæ.

s. BENEDICTVS { in Regione Harenulæ. / Trans Tiberim. / TAGLIACOSSO, prope Vicum Judæorum.

s. BERNARDVS, prope Columnam Trajani.

s. BLASIVS { in Campo Martio. / in Orphæa. / in ripa Tiberis. Olim hîc *Neptuni* ſtabat Ædes, in qua ſervati naufragio aquarum ſolebant pro voto tabellas naufragium ipſum pictum habentes ponere. / trans Tiberim.

IN SCALIS.

DE ANGELO, in Regione Pineæ

DE FOSSA in Regione Pontis.

DE MONTIBVS, in Eſquilino.

DE PAGNOTA.

S. BIBIANA, in Esquiliis.

S. BONIFACIVS, in Aventino. Hic dicitur *S. Alexius.*

S. BRIGIDA, in Regione Harenulæ,

S. CÆCILIA
- Trans Tiberim, Virginum sacrarum. Hic est corpus hujus Virginis, & plurium Sanctorum, quod à Card. *Paulo Æmilio Sfondrato, Gregorii XIV.* Pont. Max. ex fratre nepote, incredibili pietate & magnificentia fuit decoratum, & honorificentissimè translatum.
- In Campo Martio.
- In Regione Amphitheatri,

S. CÆSARIVS, in Regione Harenulæ.

S. CALIXTVS, in Via Aurelia.

CARTHVSIANORVM, in Monte Cœlio. Dicitur *Maria de Angelis.*

S. CATHARINA
- de Sabellis.
- in Circo Flaminio.
- trans Tiberim.
- sub Monte Tarpejo, olim *Carmenta.*

S. CELSVS. juxta Pontem Ælium.

S. CHRYSOGONVS, trans Tiberim. Hic titulus & sepulchrum *Hieronymi Alexandri* Mottensis, Card. doctissimi; & *Davidis Wylliani*, Oratoris Angliæ.

S. CLEMENS, in Cœlio. A Regularibus S Ambrosii habitatur; & ibi hujus Sancti corpus venerator ex *Chersona Ponti* translatum Romam. Ibi requiescit *Vincentius Laureus* Card.

S. CONSTANTIA, in Via Nomentana; olim *Bacchi* fuisse putatur ex tumba porphyretica.

S. CORNELIVS, in Via Appia.

S. COSMAS ET DAMIANVS, in Via sacra, olim *Romuli* & *Remi.* Hic tumulus *Crescentii* & *Guidonis*

donis Pisani versibus inscriptus legitur.

S. COSMATUS, sub Janiculo, olim *Fortis Fortunæ.*

S. CRESCENTIS, in Via Mamertina.

S. CYRIACUS, in Viminali.

S. DIONYSIUS, Gallicæ gentis Templum.

S. ELIZABETH, in Campo Martio, olim *Agrippæ.*

S. EQUITIUS, prope Thermas Domitii.

S. ERASMUS, in Cœlio Monte.

S. EUPHEMIA { in Via Appia. / in Esquiliis.

S. EUPOLUS, in Via Ostiensi.

S. EUSTATHIUS, prope Pantheon, olim *Boni eventus.*

S. FELIX { in Valle Martia. / in Pineis.

S. FELICITAS, in Via Salaria.

S. FRANCISCUS, in pede Janiculi. Hic sepulchrum *Pandulphi* Anguillariæ Comitis, qui sæculum vixit, & *D. Francisci* se Regulæ senex addixerat.

S. GEORGIUS { IN VELABRO. / IN SPECIS.

S. GERVASIUS.

S. GREGORIUS { ad caput Pontis Fabricii. / in Cœlio Monte. Monasterium est sive Belgarum & Germanorum: nunc verò *Camaldulense*: olim domus *D. Gregorii. I.* Pont. Max. & in horto ostenditur mensa, qua duodecim mendicos quotidie accipere solitus erat, ut in ejus Vita *Joh. Diaconus* scribit.

Epitaphia hic plurimorum Florentinorum: sed & *Eduardi Carni*, & *Roberti Vecham*, Equitum Anglorum, & J. Crorum qui ob Religionem Catholicam Patriâ pulsi, Romæ in Domino quiescere voluerunt. Item *Antonii Vallis*, Barcinonensis: & *Statii* cujusdam Poëtæ: quem in Virgilium scripsisse hoc Epigramma testatur.

Statius hic situs est, iuvenem quem Cypris ademit.
Præcocem. Æneæ carmine quòd premeret.

STATIO STATIO F. DVLCISS.
CRISTOPHORA M. P. PIENTISS. T.
VIXIT. AN. XXXIII.

s. HIERONYMVS, prope curiam Sabellam Magna pietatis exercitia & proximorum salus hic oriri cœpta *S. Philippi Nerii* studio & labore.

s. HIPPOLYTVS, sub Quirinali.

s. JACOBVS, in Circo Flaminio, Hispanicæ nationis Xenodochium est. Hic tituli Hispanorum varii leguntur. In limine, *Bartholomæi Cuevæ* Card. & *Bernardini* Cordubens. Pont. Max. Marmorea visitur effigies & Inscriptio *Petri Gracconi* Presbyteri Toletani, viri post hominum memoriam felicissimi in emendandis Scriptoribus tum sacris tum profanis, ut libri testantur. Domus hospitalis heres poni curavit. In columna, Victoria recepti à Catholicis Regibus Regni Granatensis, & clavis Tripolis Barbaricæ civitatis portæ, spectantur.

BAPTISTA, in Monte Cœlio
EVANGELISTA ANTE PORTAM LATINAM in Cælio, olim *Dianæ.*
COLYBITA, in Insula, olim *Æsculapii* fuisse putatur.
DE FISCOSA, sub Quirinali.
IN FONTE, in Cœlio Monte.
s. JOANNIS IN LATERANO, una è septem Ecclesiis, de quibus supra dixisse me memini.
IN DOLA, in Cœlio.
IN OLEO ante Portam Latinam,
DE MESCATO, in Regione Capitolii.
DE MALVA, trans Tiberim.
DE PINEA, in Regione Pineæ.

s. JOANNES & PAVLVS, in Cœlio monte.

Pro

Pro foribus leones duo, puerum alter, alter virum dentibus tenens: & prophyreticum sepulchrum hic quadratum spectatur. Hic fuit Curia Hostiliæ.

s. JOSEPHVS, in Regione Pineæ.

s. JVLIANVS, in Esquilino.

s. JVO, in Campo Martio, estque nationis Britanniæ minores.

s. LAVRENTIVS
- prope Macellum corvorum in Viminali.
- in Janiculo,
- IVXTA TIBERIM.
- IN LVCINA, olim *Junonis Lucinæ.*
- IN FONTANA, in valle Esquilina.
- In MIRANDA, ad Forum Romanum o im *Castoris.*
- IN PANISPERNA, in Viminali Colle. Hic lege Epitaphium *Gulielmi Surleti*, Card. hominis linguarum, Græcæ præsertim, longè doctissimi. Hic *Decii* Imp. Palatium fuit.

IN DAMASO, in Regione Pineæ, vetustissima ædes, & domui inclusa, in qua hodie Pontificia Cancellaria Epitaphium hîc & imago *Annibalis Cari*, Etrusca lingua diserti, qua & multa conscripsit: & *Jacobi Fabii* Parmensis, quem *de Beneficentia* scripsisse Titulus ibidem refert. Item *Petri Marsi*, & *Julii Salodeti*, fratris *Jacobi Sodoleti* S. R. E. Card. qui & *Pyrrhino Citrario* posuit monumentum: *Hieronymi Ferrari* Corrigiensis, aliorumque clarorum hominum.

s. LEONARDVS
- in Carniis.
- ultra Pelerium.
- prope ædes Dominorũ *de Cruce.*
- in Orphæa.

in Septa Solis.
IN SILICE, in Esquilino.
VETVS in Apothecis obscuris.

S. LVCIA { In Palatio, olim *Apollinis Palatini*, In Apothecis, olim Herculis *Musarum*.

S. LVDOVICVS, prope Campum Agonium. Gallorum Templum est, clarorum ejus gentis Titulis ornatum, & *Joannis Fontainæ*, militis Belgæ; *Contarelli* & *Philiberti Aardis* Cardinalium.

S. MANCILLIANVS.

S. MARIA { ÆGYPTIACA, in Regione Ripæ. olim *Fortunæ virilis*. DE ANIMA, in Regione Parionis.

Hoc Germanorum & Belgarum elegans Templum hi etiam Rem divinam faciunt, aluntque, & alunt inopes peregrinos. Fores marmoreæ; & Altaria. Imago est *B. Virginis* marmorea, hoc districho;

Virginitas, Partus, discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Hic ad Altaris summi sinistram augustus tumulus *Hadriani VI.* Pont. Max. quem illi sibique vivens posuit gratitudinis ergo. *Gulielmus Enkefort*, quem unicum ille Cardinalem creaverat. Ad dextrum aræ latus *Caroli* Principis Cliviæ monumentum ingentis sumptus, qui anno Sæculari sacro M D. LXXV. Idib. Febr. magni sui relicto desiderio, Romæ, non sine *Gregorii* XIII. Pont. Max. piis lacrymis, in Beatorum sedes migravit: descripsitque iter illius singulari eruditoque libro familiaris ejus *Stephanus Vinandus Pighius*, Sanctensis Canonicus, in *Hercule Prodicio*. Legitur & Titulus *Francisci Foreſt*, Montibus Hannoviæ oriundi, & *Othonis Wachtendonck* Geldri & *Joannis Andreæ* Antverpiensis, & *Joannis Roseti* Bruxellensis. Ceteri fere Germani Nobiles, qui salva tum fide atque integra, Romam religionis gratiâ frequentabant. In his familiam ducunt, ceteriſque

terisque antecellunt *Otho Truchses* Cardinal. *Melchior Truchses* Protonotar. *Marcus Fuggerus* Augustani,& ingenio clarus *Valerius Cordus*, Pharmacopœus insignis, *Eurycii Cordi* Medici & Poëtæ filius, *Joannes* item *Gropper*, purpureo galero proximus; nisi mors immatura præoccupasset. *Paulus* quoque *à Middelburgo*, Episcopus Fotosempronienſis, cujus eruditum opus *de anno ac Temporibus*, *Paulina* nomine, manibus teritur. *Alexandri Junii* Antverpiani, Romæ Sacri Palatii Auditoris, *Joannis* item *Pauli* Antverpiani, ut & *Bartholomei Salvetii* Bononiensis, J.C. præstantissimi, tumuli ibidem visuntur.

S. MARIA IN ARA COELI, in Capitolio, olim *Jovis Feretrii*, Cœnobium Sodalium *D. Francisci*. Tumulus hic *Vallensium* & *Maurinorum*. Item *Lucæ Gaurici* Mathematici insignis, & *Flavii Blondi* Forojulienſis, rerum Romanarum historici, *Francisci* filii,& *Angelæ Blondæ* neptis. *Marchionis* quoque *Salutiarum* effigies,ac elogium;& *Ioannis Baptistæ Iacobi* & *Silvii Sabelli*. Cardinalium, *Morellii* & *Cribelli* Cardinalium:& ad eam adscenditur cxx. gradibus.

S. MARIA AVENTINA, in Colle Aventino, olim *Bonæ Deæ*. Querimonia hic legitur carmine uxoris à marito crudeliter interfectæ.

S. MARIA { DE CACABARIIS, in Regione Pineæ.
IN CAMPO SANCTO, in Valle Vaticani. Epitaphia hic pauca legas; inter alia hoc;

Hic Petrus legitur, virtute & nomine Magnus,
Expertus medio Tibure Sardiniam.
Flandria mi patria est, prolem dedit Angela conjux;
Roma habeat cineres, spiritus astra petat.

{ IN CAPITOLIO, olim *Apollinis Capitolini*.
IN CAPELLA, trans Tiberim.

IN

IN CANDELORIO, in Regione S. Angeli
In CRYPTA PICTA, prope domum Urſinorum, olim *Veneris Victrici*.
DE COELIS, in Vico Flamineo.
DE CAMINI, prope Pontem Ælium.
DE CONCEPTIONE, in Monte Cœlio
DE CONSOLATIONE, ſub Rupe Tarpeja.
IN COSMEDIN, in Velabro: olim *Herculis in Ara maxima*. Hic B. Auguſtinum docuiſſe vulgo jactant. Vide diem primum Itineris.
S. MARIA
IN DOMINICA, in Cœlio monte. Hic olim manſiones *Albanæ*, & aquæductus *Caracallæ*.
IN ESQVILIO, olim *Iſidis*, in Circo Flaminio.
DE CVRTE, infra Capitolium.
AD FONTEM OLEI.
DE GRATIA, olim *Veſtæ*, intra Capitolium & Palatinum.
GROTTAPENIA, In Regione Parionis.
IN HORTO, trans Tiberim.
IN INSVLA,
IN IVLIA, in Regione Harenulæ.
DE INFERNO, olim *Jovis Statoris*, in Foro Romano.
DE LORETO, piſtorum.
DE FEBRIBVS, olim *Martis*, in Vaticano. Hic ſtatua *Michaëlis Angeli Bonaroti* ad s. *Petrum*, cum hoc *Sancti Bazilli*, qui annos Lx. in Principis Apoſtolorum Baſilica Sacris eſt operatus, Epitaphio:

Bis sex lustra Deo famulatus Claviger, ossa
Condidit hic Sanctis sessa diva a tuis.

S. MARIA SVPRA MINERVAM, sic dictum, quod olim *Minervæ* Templum fuerit hodie Religiosorum *S. Dominici* sedes est. & Collegium Theologicum ab Episcopo *Chusinæ* fundatum Sepulchra *Leonis X. Clementis VII.* & *Pauli IV.* Summorum Pontif. videntur cum suis titulis. Item *Capranicarum*, *Oliveris*, & *Caroli Carassæ Michaëlis Bonelli* Alexandrini, *Pii V.* nepotis, *Strozii*, *Massæi*, *Delphini*, *Aldobrandini*, *Putei*, *Rosatæ*, *Justiniani*, *Elisiorum*, *Puteorum*, & multorum aliorum Cardinalium & Prælatorum; inter quos eminet *Petrus Bembus* ad Altare summum, *Joannes Moronus*, qui tredecies Legatus à Latere fuit, & Concilio Tridentino præfuit, *Joannes à Turre cremata*, Ord. Prædicatorum, qui amplos reditus pro maritandis puellis in testamento reliquit. Unde alio numquam tempore Romani Principis ac totius Curiæ ita gloriosè apparet Majestas, veluti in die *Annuntiationis B. Virginis*, quo hæc peragitur solemnitas, dum Papa ad id per solvendum summo apparatu accedit ad Minervam. In eo Templo jacent cineres *Ægidii Fuscherarii* Episcopi Mutinensis qui in Concilio Tridentino *luminare majus* dicebatur, tanta morum venustate, & doctrinæ magnitudine polluit. *Silvestri Aldobrandinis*, *Clementis VIII.* patris, *Joannis Annii* Historici, *Francisci Niri*, plurimorumque Florentinorum, & Maffæorum, & familiæ Dominicanæ Patrum Generalium, & *D. Catharina Senensis* sacrum corpus. In hoc Templo primùm erecta fuit Corporis Domini nostri JESU CHRISTI Societas à *Thomæ Stella* Prædicatorio, & Tabernaculum omnium primum adinvenit *Michaël Angelus Bonarotus* pro eo super altari conservando. Pro foribus Tẽpli *Thomæ de Vio* Cajetani, doctissimi & acutissimi ingenii, ejusdem Instituti, qui qua erat animi demissione, simplici titulo locoque contentus fuit. Epitaphium quoque versibus, ut illa tempora erant,

Gulie-

Gulielmi Durandi, Episcopi Mimatensis, qui *Divinorum officiorum Rationale*, aliaque ad Jus pertinentia reliquit. Sed & *Pauli Manutii* Romanorum disertissimi, at sine titulo, hic tumulus ostenditur, qui tamen vitam multis viris, editis epistolis, ipsique adeo Ciceroni à se illustrato dedit; ipse mutus jacet sine elogio? Accidit idem *Pompejo Magno*, quem vix orbis tamen capere videbatur. *Raphaeli Sanctio* Urbinati pictori carmen ibidem positum legimus:

Hic situs est Raphael, timuit quo sospite vinci
Rerum magna parens, & moriente mori.

Et gentis Porciæ *Julii* adolescentis hoc elegans Epitaphium:

Patria Roma fuit, gens Porcia, nomen Julus,
Mars puerum instituit, mors juvenum rapuit.

DE MIRACVLIS.

IN MONTE JORDANO.

MONTERONIS, in Regione D. Eustathii.

MONTIS SERRATI, post Campum Floræ, est Catalaunorum in Hispania.

S. MARIA
MONTICOELI, in Reg. Haren.
NAVICELLA, in Monte Cœlio.
NOVA, in extremo Foro Romano; olim *Solis* & *Lunæ*.
ANNVNTIATA, est Collegii Sacerdotum Societatis JESV.
DE PACE, est Domus Canonicorum Regularium.

Hic *Marci Musuri* Cretensis, viri doctissimi tumulus sic inscriptus visitur.

Musure ô mansure parum properata juristi
Præmia namque cito tradita, rapta citò.

ANT. AMI TERNVS MARCO MVSVRO CRETENSI, EXACTÆ DILIGENTIÆ GRAMMATICO, ET RARÆ FELICITATIS POETÆ POSVIT.

Ibidem

Ibidem *Julii Saturni* tumulus:

Patris eràm quondam ſpes & ſolamen Jülus:
Nunc deſiderium mortuus, & lacrymæ.

S. MARIA
- DE PALMA, in Via Appia.
- IN PALLARI, prope Veliam.
- IN PORTICV, in Regione Ripæ: olim *Saturni* & *Opis*. Hic oſtenditur ſapphyrus, quem Angeli è cœlo, imagine Beatiſſ. Dominæ noſtræ ornatum, *Paulæ* fœminæ detulerunt.
- DE POPVLO, ſub Colle Hortulorum ad portam Flamineam. Et hic obeliſcus erectus à *Xiſto V.* Pont. Max. Eſt Cœnobium Auguſtinianorum Sodalium, quam Ædem frequentant religionis gratiâ, qui ad *S. Sebaſtianum* extra muros longiùs poſitum ire æſtu ſolis detrectant. Hic multorum Cardinalium ſepulchra; exſtructaque Sacella pietatis ergò. Tumulus quoque *Hermolai Barbari* Patriarchæ Aquileienſis, hocce addito Elogio:

Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem,
Barbarus hic ſitus eſt, utraque lingua gemit.
Urbs Venetûm vitam, mortem dedit inclyta Roma:
Non potuit naſci clariùs, atque mori.

OBIIT ANN. CIↃ CCCC. XCIV. MAI. XXI: VIXIT ANN. XLI.

Ibidem humi cujuſdam felis morſu mortui Diſtichon:

Hoſpes diſce novum mortis genus, improba feles
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

S. MARIA
- DE PORTVGALLO, in fine Saburræ.
- IN POSTERVIA, in Regione Pontis.
- IN PVBLICOLIS, prope Palatium Dominorum *de Cruce*.
- AD PRÆSEPE.

S. MARIA ROTVNDA, à forma ſic dictum; olim, quia

quia Deorum omnium fanum, *Pantheon* appellatum; & eſt rotundum, ne qua de loco lis inter Deos, cùm ne *Terminus* quidem *Jovi* voluit concedere: nunc omnibus Sanctis ſacrum, & *B. Virgini* cœlorum Reginæ. Magnificentiſſimum ſpectabis Templum à M. *Vipſanio, Agrippa III.* Coſ. conſtructum, ut inſcriptio unicialibus litteris præfert. Hoc ipſum Templum, ut ideam & exemplar perfectæ architecturæ exhibet explanavitque *Ludovicus Demonteſius*, pictor & architectus inſignis, ſingulari libro Romæ edito, qui inſcribitur, *Gallus hoſpes in urbe*. Eſt ex ſolido lapide Tiburtino, æquali cum altitudine tum latitudine. Tectum eſt plumbeum, & circulare, unicum habens foramen, quod lucem præbet. Porticus ingens, columnis maximis nixa; valvæ & trabes æneæ. Ara ſumma januæ reſpondet. In pariete alibi caput *Matris Deûm* cernitur. Teſtudo; per quam ad tectum aſcenditur, gradus habet C L. Ante Templum vas ingens Numidico è marmore, ſupernè quadratum, infra alvei ſimilitudine ventrem habet. Leones itidem duo, cum notis Ægyptiacis. Vas item orbiculare è lapide Numidico.

Hic *Mariæ Ruffini* ſepulchrum poſitum gentilitium, & *Thaddæi Succari* pictoris egregii Epitaphium, tamquam *Raphaelis* Urbinatis (quem in æde *B. Mariæ ſupra Minervam* ſepultum dixi) in arte æmuli.

Magna quod in magno timuit Raphaele peraquè
Thaddeo in magno pertimuit genitrix,

S. MARIA SCALA COELI, extra portam Oſtienſem. Decem millia Martyrum coronam cœli hic accipiunt. Et nomen *Scalæ* accepit, quia *D. Bernardus* ſæpiùs in hoc loco Sacrum faciendo pro mortuis, vidit animas ſcalâ quadam in cœlum aſcendentes.

DE SOLE ſub Tarpejo.

SPOLIA CHRISTI, in Foro Trajani.

DE

DE STRADA, juxta Porticum Corinthiam & Capitolium: nunc *Nominis* JESU, eſtque auguſtum Templum à *Farneſio* Card. ædificatum Religioſis profeſſis Societatis JESU, ipſeque ibi Cardinalis quieſcit.

TRANS TIBERINA. Hic tempore Auguſti in Taberna meritoria emanavit fons olei tempore unius diei, qui præſagivit, Chriſtum miſericordiæ fontem citò naſciturum eſſe, Et ibi propè à *S. Petro* Apoſtolo erectum fuit Sacellum Beatiſſ. Dei Genitrici, quod à multis Pontificibus ſtructuris, & ornamentis aureis, & argenteis magnificentiſſimè adauctum eſt.

S. MARIA Sepulchrum hic magni illius Card. *Poloni*, & Tridentinæ Synodi Præfecti, acerrimique hæreticorum flagelli *Staniſlai Hoſii.* Varmienſis Epiſc. viſitur, & Cardinal. *Campegii* & *Altemps*, viri magni ad negotia peragenda.

TRANS-PONTINA, in Regione Burgi, olim *Adriani* Imp. Hic flagellantur SS. *Petrus* & *Paulus.*

IN VIA LATA. Hic ſubtus eruuntur trophæa, triumphaleſque imagines, & requieſcit *Vitellius Sitellus* Card. & ſunt Deo inſervientes *Fratres Ordinis Servorum. D. Luca* hic Actus Apoſtolorum ſcripſit, & *D. Paulus* ſuum orationis locum habuit.

TRIVII. Reſtauratæ fuit à *Beliſario* Magno Duce Imp. Græcorum.

ur-

ut legitur in saxo in pavimento posito. Jacet hic *Aloysius* Card. Cordelius, & degunt *Fratres Crucigeri.*

S. MARIA
- DE VINEIS, in descensu Tarpeji.
- DE VIRGINIBVS, prope Porticum Antonini.
- DE VALLICELLA, in Regione Parionis. Hæc à *Petro Donato Casio* Card. ibi sepulto ampliatur & ornatur, ibique à *Philippo Nerio* posita est congregatio Oratorii, de Roma optimè merita. ex qua prodierunt *Baronius* & *Tauruſius* Cardinales. Et cùm sit probitatis emporium, benè vivendi disciplinam in ipsa didicerunt *Paxavicinus Cusanus*, *Sfondratus*, Cardinales ampliſſimi.

S. MARIA MAGDALENA
- In Regione Columnæ.
- Infra Collem Hortulorum & Tiberim.
- In *Monte Quirinali*, ubi est Monialium Domus à *Magdalena Ursina* constructa, Deo famulantium sub cura Fratrum Prædicatorum.

S. MAGVTVS seu MAVTVS, juxta Collegium Societatis JESV, est Bergomatum, juxtaque obeliscus minor.

S MARCELLINVS, in Cœlio.

S. MARCELLVS, in Via Salaria. Hic situs est *Petrus Gillius*, Albiensis. Gallus, ut Aeliani interpres, sic Byzantii descriptor egregius. Monumentum clienti *Georgius* Cardin. Armeniacus egregium Patronus posuit. Obiit anno M. D. LV. Vixit annos LXV. Lege Viator.

S. MAR-

s. MARCELLUS, in Via lata ; olim *Isidis*, juxta Ovilia : colitur à Fratribus Instituti *Servorum*.

s. MARCUS { IN INSULA. IN PALATURA.

s. MARTINUS, in Esquilino, Fratres *Carmelitani* hic vivunt.

s. MARTINA, juxta Forum Rom. olim *Martis Ultoris*.

s. MARGARITA, in radice Esquilini.

s. MATTHÆVS, in Esquilino Regulares *Crucifori* diu hic habitarunt: unde cùm sit in Vico Patricio, in quo natus est *Cletus Papa*, & Sanctus, eorum primus Institutor, arbitrantur ipsi, eum suis filiis propriam domum Domino consecratam dedisse, ut sanctè ibi viverent. Nunc Fratres Eremitani *D. Augustini* sua vota ibi Deo persolvunt.

s. MICHAEL { in Monte Oliveti. in Regione Burgi.

ss. NEREVS & ACHILLÆVS, juxta Thermas Antonini, olim *Isidis*, in Via Appia.

s. NICANDER, in Via Lavicana,

s. NICOLAVS {
IN AGONE, in Regione Pontis.
IN ARGHEMONIIS.
DE ARCIONIBVS, supra Trivii Regionem.
IN CARCERE, in Regione Ripæ. Hic est corpus Card *Consilvarii*. Hic fuit carcer publicus secundus, & ibi propè Templum *Pietatis*.
IN CALCARIA.
De PORTITORIBVS, in Regione Trivii.
DE FVNERARIIS, in radice Tarpeji.
IN MACELLO CORVORVM, ad Trajani Columnam.

IN

s. NICOLAVS { IN MATVTA olim *Junonis Matutæ*
IN PALATIO,
DE PERFECTIS, in Campo Martio.
DE PORCILIBVS, ad radices Quirinalis.
IN STATERA

s. ONUPHRIUS, in Janiculo. Hic jacet *Christophorus Madruccius* Card. qui obiit eodem quo natus est die recurrente.

s. OSANNA, in Monte Cœlio.

s. PANCRATIVS, in Janiculo. Habet suggestum è nitido & porphyretico marmore, cum tessulis fulvi, viridis & purpurei coloris: cryptas item Martyrum subterraneas. Hic propè occilus est *Borbonius* Dei inimicus.

s. PANTALEON, in Saburra, olim *Telluris* Ædes.

s. PAVLVS IN REGVLA, in Regione Harenulæ.

s. PETRVS { ET MARCELLINVS, olim *Quietis*.
IN CARCERE, ubi olim *Carcer Tullianus*, cujus in Catilinæ conjuratione Sallustius meminit.
DEO DATVS, in Via Portuensi.

MONTORIVS, in Janiculo. Parvũ sed elegans Templum, ac rotundum, signis picturisque egregiè ornatum à *Ferdinando* Hispaniæ Rege instauratum fertur: hæretque ei Cœnobium Sodalium *S. Francisci* Regulam observantium. Ex hoc numero nuper anno M.D. XCVII. quievit in Domino *Fr. Angelus de Pace*, Hispanus, singulari & sanctitate vitæ & doctrina: scripsit enim ingens volumen in Symbolum Apostolorum. Sepulchra hic doctissimorum virorum, *Antonis Massæ Calesii* J.C & *Julii Pogiani* Novariensis, hominis Ciceronis imitatione clari. Monu-

numentum hic quoque *Julii II.* Pont. Max. sed sine titulo, ut plerique patruo suo Cardinali *Montio* posuisse affirment. *Christi* hic in cœlum ascendentis & transfigurati pictura eximia visitur, altera Cardin. *Medices* liberalitate ædi attributa anno M.D. XXIII. *Raphael* Urbinas Aram summam artificiosè adornavit. Dextram Templi partem *Christi* flagellis cæsi imagine *Fr. Sebastianus Vincentius*, Pictor egregius illustravit.

S. PETRVS AD VINEAM.

S. PETRVS QVO VADIS, in Via Appia. Sacellum rotundum, pedum XII. duplici ostio. Historia nota, quam & B. Athanasius aliique commemorant Interrogante enim Petro jam fugiente, *Domine, quo vadis? Romam*, inquit, *iterum crucifigendus.* His verbis monitus Apostolus redit, patiturque Romæ, cruce capite deorsum affixus.

S. PETRVS AD VINCVLA Asservantur enim hic catenæ, quibus Jerosolymis alligatus Apostolus: laudatque concionans B. Chrysostomus. Hic quoque *Machabeorum* corpora, & pars crucis *B. Andreæ* asservantur: cujus etiam caput à Constantinopolitano Imp. Romano Pontifici donatum, in Ædis *D. Petri* in Vaticano Altari ostenditur. Reliqua in Regno Neapolitano sunt. Altare hic pulcherrimum, & portæ æneæ, quibus *B. Petri* cruciatus exprimuntur. Statuta item Moysis Ducis populi Israëlitici: sub *Julii II.* tumulo è marmore, est sedentis habitu, barba promissa, qua & cingitur: opus affabrè sculptum à *Michaele Angelo* Florentino, spectatumque ut oculos pascit, sic animum explere nequit; licetque videas frequentius, juvat usque morari. In cœnobii medio Canonicorum Regularium S. Salvatoris, palma ingens est, & in hortis reliqua Thermarum *Titi.* Domus item *Neronis*, aliaque. Ad Templi limina Votum *S. Sebastiano* persolutum, pestis depulsori, quæ anno D.C.LXXII. Urbem populata est. Hic Regionis ergo *ad Vincula* condi cum suis voluit

voluit *Nicol Cusanus* Cardin. Trevirensis, vir omni genere disciplinarum sæculo illo antistans, obiit enim anno M. D. LXIV. Augusti XI. *Sixtus* quoque olim & *Jac. Sadoletus* Cardd. & illius patruus *Julius* II. Pont. Max. marmoreo tumulo, sed qui titulo careat. In muro inscriptiones aliquot antiquæ Ethnicorum, *L. Tampii*, *Martii*, & *Martiæ* libertorum, & *Claudii Hermogeniani Olybrii*, sed quas alii studiosè collegerunt. *Nicolai* etiam pictoris hoc Epitaphium legas:

Qui jacet ante tuas Nicolaus, Petre, catenas,
Hoc opus erexit, cetera marmor habet.

AN. M. CCCC. LXV.

S. PEREGRINVS, post Portam Pertusam unde Vico nomen est.

S. PETRONELLA, in Vaticano, olim *Appellinis Vaticani.*

S. PHILIPPVS & JACOBVS.

S. PRAXEDIS, in Esquilino, à *Paschali* I. Pont. Max exstructum, in quo columna, ad quam Christus flagellatus, Romam delata ex Oriente à *Joanne Columna* Card. Hic *D. Petrus* habitavit. Ad Aliare sex columnæ porphyreticæ, & duæ nigricantes albis miraculis distinctę. Sepulchrum hic *Alexandri Braccii* Florentini hominis eruditi.

Multa sanctorum hic venerantur corpora, & in medio Ecclesiæ locus est craticulâ munitus, in quo *Praxedes* Martyrum sanguinem hinc & hinc spongiâ collectum repositi. Jam annis quadringentis monachi *Vallis Umbrosæ* Deo hic olim famulantur.

S. PRISCA, in Aventino, olim *Herculis* fuit.

S. PVDENTIANA, in Viminali. Hic lapis cruentæ Hostiæ ostenditur, confirmati eo miraculo Sacerdotis, de *Transubstantiatione* male dubitantis.

Hic Titulus erat *Pastoris*, & est antiquior omnibus Ecclesiis Romæ, cum *D. Petrus* Apostolus in ea celebrasse primum dicatur post adventum suum in

Ur-

Urbem. Habentur in hac Ecclesia Martyrum corpora tria millia, & puteus illorum sanguine venerandus. Fratres Dominicani, Pœnitentiarii pro S. *Maria Majori*, hic degunt. *Henricus* Card. *Cajetanus*, patricia & Romana dignitate natus, multis virtutibus clarus, pro universali Ecclesia fessus, eam honorificentissimè restauravit, & in ea tumulatur, juxta quem collocari voluit mundi jubar *Georgius* Card. *Ratzivil* Lituanus Cracoviensis Episcopus, & de fide Catholica optimè meritus, etsi de patre hæretico natus.

SS. QVADRAGINTA MARTYRVM, in Regione Pineæ, quos pro concione *B. Basilius* laudavit.

SS. QVATVOR CORONATI, in Cœlio.

SS. QVIRICVS & IVLITTA in Saburra.

S. ROCHVS, in Valle Martia.

S. Rosa in Circo Flaminio.

S. RVFINA, trans Tiberim.

S. SABINVS, in Quirinali.

S. SABINA, in Aventino Colle. Pontificum Romanorum prima sedes, & S. *Dominici*, estque Prædicatorum domicilium. Lapis in medio ostenditur quo *Dominicus* frustra à demone petitus est. Pro foribus urna lapidea, qua major nulla Romæ reperitur.

Reliquiæ hic *Alexandri* Pont. *Eventii* & *Theoduli* Martyrum, *Sabinæ* item & *Seraphiæ* Virginum, qui omnes *Hadriani* Imp. temporibus martyrio coronati, anno Christi CXXXII. & ab *Eugenio* II. hic collocati coluntur, anno DCCC. XXII. cujus etiam Pontificis sepulchrum versibus ornatum, sed Echoïnis, vulgo *Leoninis*; quibus ætas illa mirum quantùm sibi indulsit, hodie ridemur à doctis. In ea est corpus *Bertani* & *Theani* Cardinalium: & ibi malus Medica plantata fuit à *D. Dominico*, S. *Hyacyntho* opem ferente, qua prima die Quadragesimæ devotæ foliis & fructibus expilatur à Romanis. Prælati, immo &

Summi Pontifices, pro reverentia tanti viri, hoc munere lætantur. Hîc in Italia sui Ordinis fundamenta jecit pius Pater : multas à Deo visiones habuit, ecstases & Angelorum apparitiones, ibique suo habitu *S. Hyachinthum* induit.

S. SABAS, in Aventino. Hîc ingens videas sepulchrum, quod *Titi Vespasiani* fuisse putant.

IN AERARIO.
IN CAMPO, in Regione Harenulæ.
IN JVLIA.
trans Tiberim, ad pontem.
DE CVRRIBVS, ibidem.
DE CABARIIS, in Regione Pineæ.
DE LATERANO, in Cœlio.
DE CVPELLIS, in Regione Columnæ.
DE LAVRO, prope montem Jordanem.
S. SALVATOR DE PORTICV, sub Rupe Tarpeja.
IN MAXIMIS : olim *Jovis, Minervæ*, & *Junonis*; quod *M. Pulvillus* dicavit.
IN STATERA, olim *Saturni* in Capitolio.
IN THERMIS, prope Agonem.
IN REGVLA.
IN PIETATE : olim *Pietatis*.
IN MILITIIS.
DE FEDEMONTIS.
TRIVM IMAGINVM, in Saburra. Quod *Alexandro* VI. Pont. Max. *Stephanus Capus* sua impensa instauravit, ut testatur inscriptio.

S. SATVRNIVS, in Quirinali.

SE-

s. SEBASTIANVS { ET FABIANVS, in Via Appia. Supra inter septem Ecclesias, in Regione Eustathii in Cœlio.

s. SEPVLCHRVM.

s. SERGIVS & BACCHVS, in Capitolio: olim *Concordia*.

s. SILVESTER IN { Regione Columnæ. Aventino. Montibus. Quirinali à *Clemente* VII. *Silvestro* Pont. dicatum, an. M. D. XXIV.

s. SILVESTER { trans Tiberim. prope Arcum Domitiani.

s. SIMEON, in Regione Portis.

s. *SIXTVS*, ad infernam piscinam, olim *Honoris & Virtutis*. Hic *S. Dominicus* Napuleonem quemdam à morte suscitavit, multa miracula fecit, & Moniales, quæ Romæ dispersæ vivebant, jussu Papæ adunavit sub sua suorumque filiorum gubernatione, quæ postea ob cæli intemperiem translatæ sunt in Collem dictum *Magna napoli*, sub titulo *Ecclesiæ S. Dominici*.

s. *SPIRITVS*, in Vaticano trans Tiberim, Xenodochium est Pontificium, virorum senio & morbo affectorum.

s. STANISLAVS, ad Pontem Ælium.

s. STEPHANVS { IN ÆGYPTO, in Vaticano, Hungarorum Templum. DE CACABO. ROTVNDVS, in Cœlio *Fauni* olim Germanicis alumnis nunc commissum, pictumque undique egregie triumphis triginta duorum *SS.* Martyrum, qui pro Christo sanguinem fuderunt: Titulis etiam versibusque additis, qui historiæ velut indices. Quæ

picturæ æri insculptæ, in vulgus editæ circumferuntur, ut hic commemorare nihil sit necesse. Spectare potius juvabit.

S. SEPHANVS
- IN Foro Boario, olim *Vestæ*.
- IN Via Julia.
- In Silice.
- DE DRVGLIO, prope Porticum *Antonini* Imp.

S. SVSANNA, in Quirinali. Habet pulchram cisternam, & vas æneum aquæ lustralis.

S. THEODORVS, sub Monte Palatino olim *Romuli & Remi*; vel, ut alii, *Panos Lyæi*

S. THOMAS
- prope Guriam Sabellam,
- in Regione Harenulæ.
- in Cœlio
- In Vico Julio.
- in Parioni.

SS. TRINITATIS, in Colle Hortulorum. Exstructum à Gallorum *Ludovico* XI. suasu *S. Francisci de Paula*. Sodalium est Minimorum, & ferè Gallorum. Sacella picturis partim auratis ornata. In his *Rodolphi Pii* Card. Carpensis, & *Lucretiæ Ruerea, Julii* II. Pontif. sororis filiæ. Ad Aram summam M. *Antonio Mureti* viri doctissimi, & Eloquentiæ doctoris Romæ & Venetis annos XXII. tumulus conspicitur, qui & pecunia Cœnobium juvit. In ejus tumulo hi leguntur versus;

Hic Marci charos cineres Roma inclyta servat,
Quos patria optasset Gallia habere sinu.
Stat colle Hortorum tumulus, stat proximus astris,
Quæ propius puro contigit ille animo.
Tu sacros latices lacrimans adsperge Viator,
Et dic. Heu lingua hic fulmina fracta jacent,

Item *Francisci Franchini* Consentini, Massæ Populoniæ (ut titulus habet) Episcopi, prudentis acrisque viri, ac venusti Poëtæ.

SS. TRINITATIS ANGLORVM, In ea Collegium

gium est Anglorum in fide Catholica perseverantium : & ex eo prodiêre aliqui, nunc Martyres in cœlo, ab hæreticis in Anglia occisi, veritatem confitentes. Hic sepelitur Card. *Alanus*, voluntariè extorris à patria, & laboribus diuturnis ac lucubrationibus pro tuenda fide Catholica maceratus.

s. TRYPHO, apud *S.* Augustinum.

s. VALENTINIANVS, in Via Flaminia.

s. VALENTINVS, in Circo Flaminio.

s. VITALIS, in Colle Quirinali. Hodie Societatis JESV Sacerdotibus ejus commissa administratio.

s. VITVS, in Regione Pontis.

s. VIVIANA.

s. XISTVS, alias SIXTVS.

PONTIFICII PALATII OFFICIA ET COLLEGIA.

CAP. VI.

OFFICIA & ministeria Pontificis multa sunt, & superat illius Aulæ magnificentia omnes Christianorum Principum; & tanta ejus est observantia, ut ne Cardinales quidem, qui dignitate Regibus comparantur, Urbe exeant nisi petita & habita licentia. Horum in Urbe semper ad minus XL. si non L. sunt. Omnes vero meo tempore LXXII. interdum plus minusque juxta Pontificis Max. arbitrium & creationem, Archiepiscopi dein plurimi, & Episcoporum magnus numerus.

In familia Pontificis.

Auditores Rotæ, seu Pontificii Judices	XII.
Clerici Cameræ	VII.
Thesaurarius	I.
Auditor Cameræ	I.
Regens Cancellariæ	I.
Protonotarii Apostolici	VII.
Subdiaconi	VI.

Acoluthi	VIII.
Secretarii Apoſtolici	VIII.
Correctior Cancellariæ.	I.
Summiſta	I.
De conſuetis	I.
Abbreviatores maiores	XII
Abbreviatores minores	VI.
Cuſtos Cancellariæ	I.
Secretarius ſchedularum	I.
Oſtiarius Cancellariæ	I.
Scriptores Apoſtoli	CI.
Cubicularii Apoſtolici	LX.
Scutiferi vel Dapiferi Apoſtolici	CXL.
Milites S. Petri	CCCC.
Milites S. Pauli	CC.
Scriptores Brevium	LXXXI.
Procuratores Pœnitentiariæ	XXIV.
Scriptores Pœnitentiariæ	XXVIII.
Collectores plumbi	CIV.
Correctores Pœnitentiariæ	II.
Sollicitatores de Janizeris	C.
Collectores Archivii	X.
Scriptores Archivii	X.
Magiſtri plumbi	III.
Secretarii Bullarum ſalariatarum	VIII.
Regiſtratores Bullarum earumdem	IV.
Magiſtri regiſtratarum Bullarum	IV.
Auditores contradictarum	XIV.
Magiſtri ſupplicationum	IV.
Clerici regiſtri ſupplicationum	VI.
Notarii Cameræ Apoſtolicæ	IX.
Scriptores regiſtri ſupplicationum	XX.
Notarii Auditoris Cameræ.	X.
Notarii Rotæ	XLVIII.
Notarii Vicarii Papæ	IV.
Notarii Gubernatoris civilis	II.
Notarius maleficiorum	I.
Notarius Cancellariæ	I.

Præ-

Præsidentes Ripæ CXLI.
Portionarii DCXII
Cursores XIX.
Servitores armorum XXIV.
Virgæ rubeæ XVI.
Catenæ sacri Palatii LXII.
Portæ ferreæ XXVI.
Equites levis armaturæ communiter c. vel cc.
Bombardarii milites vel sclopetarii. ccc.
Helvetii custodientes portus Palatii Pontificis & quotidianas excubias agentes cc. interdum etiam ccc.

NOVEM DECIM SEMINARIA ET COLLEGIA NATIONUM OMNIUM

A Gregorio XIII. *Pont. Max. magno Ecclesiæ Catholicæ commodo Romæ Instituta.*

CAP. VI.

I. COLLEGIVM Societatis JESU, quo ducenti aluntur, docenturque artes omnes futuro Theologo ac Sacerdoti necessarias.

II. GERMANICÆ GENTIS alumnorum, Pontificatus anno II.

III. NEOPHYTORVM ex Hebræorum filiis, anno Pontificatus V. &
ANGLORVM, qui ob fidem Catholicam pueri parentes patriamque liquere, Pontificatus anno V.

IV. GRÆCORVM alumnorum Collegium Catholicæ fidei propagandæ, Templumque constructum Pontificatus anno VI.

V. MARONYTARVM è monte Libano Seminarium.

VI. ILLYRICORVM Seminarium *Laureti*, post

Romam translati sunt. Pontificatus anno VII.

VII. VINENSE, in Austria.
VIII. PRAGENSE, in Bohemia,
IX. GRÆCENSE, in Syria,
X. OLMVCRENSE, in Moravia. } Pontificatus anno nono.
XI. BRVNSPERGENSE, in Prussia.
XII. MVSIPONTANVM, in Lotharingia.
XIII. VILNENSE, in Lituania.
XIV. CLAVDIOPOLITANVM.
XV. FVNAENSE Collegium in Japone.
XVI USAQVIENSIS Domus probationis Societatis JESV, in Japone. } Pontificatus anno XI.
XVII. ARIMAENSE Seminarium in Japone.
XVIII. ANZVCHIXAMENE Seminarium in Japone.
XIX. FVLDENSE Seminarium in Hassia, Pontificatus anno XIII.

Sunt verò & alia Collegia Romæ, utpote CLEMENTIVM, à *Clemente* VIII.

S. THOMÆ, AQVIN, ab Episcopo Cuschæ in Minerva.

S. BONAVENTVRÆ, à *Sixto* V. in S. Apostolo.

CAFRANICVM, à Card. *Capran.*

NARDINVM.

SAPIENTIA COMMVNIS.

DE OBELISCIS ROMANIS, COLVMNIS ET AQVEDVCTIBVS.

CAP. VII.

OBELISCI.

NUPER *Xysti* V. incredibili sumptu, operâ *Dominici Pontanæ*, ex agro Novocomensi erecti, instaurati

tati translatique, ac *S. Cruci*, rejectis veterum diis & idolis, dedicati ac reserati.

I. OBELISCVS *Tiberii* Cæsaris, nunc in Area *D. Petri*, in Vaticano *S. Cruci* consecratus, anno M. D. LXXVI. Pontificatus anno II.

II. *Augusti* Cæsaris ex Ægypto advectus, è Via *S. Rochi* translatus ad *S. Mariam majorem*, anno insequenti Pontificatus. S. Cruce quoque imposita, consecratoque obelisco, qui sacras Ægyptiorum notas præfert.

III. Soli sacer, è circo maximo, ubi jacebat, ad *S. Joannem Lateranum* translatus atque erectus, S. Cruce itidem imposita: qui olim sedibus avulsus, per Nilum missus Alexandriam est ab *Augusto*, ut Romam exornaret; quam lateritiam à se repertam, relinquere se marmoream gloriabatur. Litteras seu notas habet hieroglyphicas insculptas, Pontificatus anno III.

IV. Soli quoque ab *Augusto* in Circo maximo dicatus, è ruinis erutus, Crucique à *Xisto* dedicatus, non Soli, anno Pontificatus III. Christi M. D. LXXXIX, translatusque incredibili sumptu ad portam Flaminiam ante Templum *B. Virginis Populi*. Sunt & alii, sed his minores, in Urbe obelisci.

OBELISCI ROMAM EX ÆGYPTO ALLATI.

PLVRES olim obeliscos Romæ, quàm hodie spectantur, fuisse, ex antiquitatum Scriptoribus apparet. Multos quidem Plinius commemorat, qui *Vespasiani* temporibus floruit; plures Ammianus Marcellinus, qui *Juliani* Imperatoris æqualis fuit; sed plurimos P. Victor in Regionibus Urbis Romæ numerat, duos inquam & quadraginta minores. De his legendus *Bartholomæus Marlianus*. *Andreas Fulvius*, & alii: quicque nostra memoria de obeliscis scripserunt, *Petrus Angelius Bargæus Petrus Galesi*

lesinius, & Etrusca lingua *Michael Mercatus*. Duo Romam obelisci *Augusto* regnante devecti, cùm primùm ipse Ægyptum devicto ad Actium M. *Antonio*, atque intercepta *Cleopatra* in Senatus Populique Rom. jus ditionemque redegisset Idem P. Victor septem numerat obeliscos qui post in Urbem advecti sunt. Eorum duo in Circo Maximo, unus in Campo Martio, duo in Mausoleo Augusti, unus in insula Tiburtina, & unus in Vaticano Caji & Neronis Principum erat: de quo Plinius lib. 17. cap. 40. & in Claudio Suetonis cap. 10. Octavus in Hortis Sallustianis fuit, qui ab Æde *S. Susannæ* Colles, Quirinales ad Portam Collinam pertinebant, totamque interjectam vallem complectebatur. Is, ut ferunt, *Lunæ* erat consecratus, Ægyptiisque notis inscriptus, hodieque spectatur.

Cetertùm navium inusitatæ magnitudinis; quibus Romam ex Ægypto importati sint obelisci, meminit duarum Plinius, unius Ammianus, quæ trecentis remigibus ageretur.

Nunc de iis potissimùm obeliscis, qui hieroglyphicis notati signis in Urbe spectantur, dicam: nam qui in Vaticano ad Ædem *S. Petri*, alterque ad Templum *B. Virginis majoris* est, nullas notas præferunt.

1. Qui ad *D. Joannis in Laterano* spectatur imaginibus litteratis inscriptus, primùm à *Fl. Constantino* Imp. Christianæ fidei vindice, sedibus evulsus suis, ex Ægypto per Nilum Alexandriam delatus, inde Constantinopolim, quæ tum *nova Roma* dicta, ibidem collocatus est, post *Constantinus* ejus filius, navi illi inusitatæ magnitudinis (de qua jam ex Ammiano diximus trecentorum remigum fuisse) impositam, per mare Romam transtulit, & in Circo maximo locavit. *Sixtus* verò V. Pont. Max. incredibili sumptu operâ usus *Dominici Fontanæ* architecti, humo effossam, instauratamque, *Cruci Dominicæ*, qui antea *Soli* esset sacer, dedicavit, posuitque augusto loco ante

te

te Ædem Lateranam *S. Joannis* (quæ olim Pontificum sedes fuit) anno Christi M. LXXXVII. Pontificatus verò quarto.

II Alterum item obeliscum Via Flaminia ad Ædem *B. Mariæ Populi*, ut nominant, ponendum curavit, Cruce imposita, quem *Augustus* Cæsar, devicta Ægypto, inde advectum, & *Soli* consecratum in Circo collocarat.

III. In hortis Magni Ducis Hetruriæ inscriptus obeliscus, minor tamen, visitur, quem *Tarquinio Superbo* regnante in Campo Martio stetisse putant.

IV. Alter item minor Capitolinus obeliscus in hortis *Matthæorum Cœlimontanis*, quo donatus à S. P. Q. R. *Chriacus Matthæus*, è Capitolio transtulit, anno, ni fallor, M. D. LXXII. sed in ejus summo apice paucas insculptas imagines videas: reliqui enim omnibus lateribus inscripti sunt.

V. Exiguus quoque obeliscus apparet juxta Societatis JESU Collegium, è regione Templi S. Maguti, quod quidam, *S. Bartholomæi* esse dicunt.

VI. Permagnum quoque videre est, Ægyptiacis plenum notis, in Via Appia, supra *S. Sebastiani* Ædem, in Circo seu Hippodromo *Antonini Caracallæ* Imp. juxta monumentum *Cæciliæ Metellæ*, qui locus vulgo à boum capitibus *Capo di Boji*, sed humi confractus tribus partibus jacet; valdè ut miter, non esse Romam eidem Pont. Max. liberalitate translatum atque erectum, nisi si, ut fit, plura meditantem mors immatura abripuit.

Illud verò in hieroglyphicis & obeliscis est memorabile, *S. Crucis* signum perpetuò conspici. An quia ignari eam Ægyptii, ut salutis symbolum colebant? an potiùs, quia sic à majoribus tamquam per manus traditum acceperant? *Theodosii* enim *majoris* Imp. jussu dirutis Gentium idolis totâ Græciâ, in Serapidis pectore Crucis signum, lineâ alteri ad certos angulos incidente, visum est, Respon-

derunt Hierophantæ, sacrorum Ægytiis ζωὴν ἐπερχομένην, *vitam venturam*: nempe futuram beatitudinem designabat, ad quam CHRISTI in crucem acti morte ac cruciatibus via nobis sternitur. *Sic Socrates* Hist. Ecclesiast l.v.c.17. *Rufinus* lib.11.cap. 29. *Georgius Cedrenus* in Annalibus; & in collectaneis *Suidas*. Cumque anteà *Constantinus* verè Christianus Imp. crucis pœnam honoris gratiâ sustulisset, furcamque substituisset, ut *Jacobus Cujacius* libris Observationum ex Aurelio Victore aliisque docet. *Pet. Faber.* lib. 18. Semestrium, cap 8. *Justus Lipsius* lib. 3. de Cruce, cap. 7. & 14. & *Joan Goropius Becanus* lib.16. qui *Tau* inscribitur, multa de Cruce, vetuit & legibus *Theodosius* Imp ne Crux humi signata conculcaretur. Exstat Lex, sed eam adversarii, voce *humi* sublata, ad se impiè rapere conantur, ut in Dialogis sacris *Alanus Copus* docet, & *Muretus* lib. XIII. Variarum lect. cap 8. Idemque *Theodosius* Constantinopoli obeliscum erexit, haud scio in Ægyptiacis notis inscriptum; quem se vidisse *Pet. Bellonius* fatetur: in quem libro IV. Anthologiæ Epigrammatum Græcorum Tit. Εἰς κίονας, hoc Epigramma legitur:

Κίονα τετράπλευρον, ἀεὶ χθονὶ κείμενον ἄχθος,
Μοῦνος ἀναστῆσαι Θευδέσιος βασιλεὺς
Τελμήσας, Πρόκλῳ ἐπεχέκλετο, καὶ πόσος ἔστη
Κίων, ἠέλιοις ἐν τριάκοντα δύω.

Quot sic Latinè reddas licet:

Tonitus humi æternum, quadrata mole columnam,
Theudosius Princeps munus ut erigere est
Ausus, mandavit Proclo, tantamque columnam
Ter decima erectam luxque secunda dedit.

Et hæc de obeliscis in præsens Viatori suggessisse sufficiat.

Co-

COLUMNÆ III.

Roſtrata C Duilii, devictis bello Punico Carthaginenſibus in Capitolio.

Trajani, quam *B. Petro*, &

M. Antonini Impp. quam *B. Paulo Sixtus* V. dedicavit anno MD. LXXX.

Illam, ut eſt à *Pet. Ciaconio* ſuppleta, adjicere placuit:

C bilios. m. f. cos. advorſom. cartacinienſeis. en ſiceliad. rem. cerens. exeſt ANOS. cocnatos. popli. Romani. artiſumad. obſideone D. EXEMIT. LEGIONEIS. cartacinienſeis omneis. MAXI MOSQUE. MACISTRATOS. Lucas, bovebos ſelicteis. NOVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACEL am: mœnitam. urbem PUCNANDOD. CEPEI. ENQUE. EODEM. MAC eſtratod. proſpere IEM NAVEBOS MARID. CONSOL. PRIMOS. C eiet, reſmecoſque, CLASESQUE. NAVALES. PRIMOS, ORNAVIT, PAIaverque, diebos. lx. CUMQUE. EIS. NAVEBOS. CLASIS. POENICAS. OMnis. parataſque ſumAS. COPIAS CARTAGINIENSIS. PRÆSENTED. maxumod. DICTATORED oloroM. IN. ALTOD. MARID. Pucnandod. vicet. XXI. QUE. NAVeis. cepet. CUM. SOCIEIS. SEPTEmereſmomque. ducis. quinreſmoſque, TRIRESMOSQUE. NAVEIS. XX. depreſet. auro M. CAPTOM. NUMEI. ΦΦΦ D. CC. arcem TOM. CAPTOM. PRÆDA, NUMEI ccclooo. c.

crave. CAPTOM. Æs. ccclooo. ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo ccclooo pondod. triomp OQUE. NAVALED. PRÆDAD. POPLOM. Romanom. donavet. captivos CARTAGINI enſeis ince NUOS. Duxet. ante. curom primoſque conſol.

consol. de. siceleis. claseque CART acienseom. triumparet. earom, rerom erco, S p. q. r. ei hance. columnam. p.

AQUE-DUCTUS.

Aquam Virginem Tiberius Cæsar induxit, *Nicolaus* V. Pont. instauravit anno M. D. LIV. Pontificatus anno VII. ut præfert Inscriptio.

Fontem felicem de suo nomine ante Pontificatum *Xistus V.* trino gurgite in Urbem induxit. Alii Pontifices alias aquas fontesque & aquæductus instaurarunt.

DUX VIÆ
URBIS ROMÆ ANTIQUITAT.
OCTIDVO LVSTRANDIS.
CAP. VIII.

EX JAC. BOISSARDI *Vesuntini* TOPOGRAPHIA *urbis Romæ.*

DIES PRIMUS.

A VATICANO auspicabor in eorum potissimum gratiam, qui ex Hetruria urbem ingredientur porta Vaticana, quæ Castello *S.* Angeli adjacet. Hic PRATA QUINTII, quæ alii *Pincii* fuisse autumant, hodie *Aprata*: locus est amœnissimus, quo juventus Romana ambulando laxare animum solet.

PORTA ÆLIA, vulgo *Castelli*, ducit ad *Hadriani Imp. Molem*, quod sibi & *Antonino* sepulchrum extruxerat: opus amplum & solidum, & latericium, sed nunc gradibus pertusum, ut commode habitetur, machinisque resistere queat, præsidiumque sit Summorum Pontificum: qui eo se per porticus ac meatus (vulgo *Curritoria* nominant) secreto conferre possunt. Olim *Crescentius* quidam per vim tenuit, & Urbem: nunc Pontificum est, & *Castellum S. Angeli*

geli hodie appellatur, ab Angelo, ut fama est, Urbem gladio propugnante: spectaturque in apice Angeli statua. Auxit firmavitque egregie *Alexander VI Borgia*, ut Inscriptio ad pontem ejusque insignia testantur. Marmora, columnæ, & statuæ in Vaticanum Templum *S. Petri*, Palatiumque translata sunt. Visuntur tamen *Hadriani* Imp. armati caput, ac *Palladis*. In conclavi superiore in locellis (Itali *nsolios* vocant) trium illustrium antiqua marmora conspiciuntur. Cetera ad rem spectant militarem, ut machniæ quibus ter quotannis Pontificis honorem, *SS. Petri ac Pauli* festo, ceterorumque Apostolorum, ignes artificiose jaculantur.

Hinc PONS ÆLIVS cui arx illa dominatur, sic dictus, quod ab eodem *Ælio Hadriano* Imp. in sepulchri gratiam sic conditus. Hodie *Pons Castelli* dicitur. Statuæ utrimque Principum Apostolorum affabre factæ, auspiciis *Clementis* VIII. Pont. cum Tiberis inundans, urbem pontemque valde deformasset, anno ejus sæculi XXX.

In ponte spectabis à regione Xenodochii *S. Spiritus*, ruinas *Pontis triumphalis*, qui collapsus est; itaque dictus, quòd per eum triumphantes pompa in Capitolium agerent.

BVRGVM vocant illam Vaticani partem omnem à ponte Palatium versus: olim silva fuit & lucus Vaticanus ante *Alexandri* II. Papæ tempora, in quo pyramis erat sepulchralis *P. Scipionis Africani* cujus adhuc quædam visuntur. In ea Templi area, quæ *Paradisus* dicitur, nux pinea ingens ex ære, æreique pavones inaurati. In *Burgo* Palatia ædificiis illustria sunt.

I. Cardinalis *Dandini* ad *Divæ Catharinæ*. Hic caput è marmore *Agrippinæ* matris *Neronis*: *Hadriani* item Imp. & *Antinoi Bithymi*, dilecti pueri. & M. *Aurelii*, ac *Sabinæ* cujusdam mulieris: alterum *Hadriani* simulacrum, sed mutilum.

II. Cardinalis *Strozza*, in quo inter cetera egregium

gium armamentarium omni genere armorum instructum, cùm hujus ætatis, tum veterum exterarumque gentium. Bibliotheca item egregia. Hîc & halcyones visæ, seu aves paradisi, quas *apodes* nominamus, quæ spectatæ colores variè mutant; quales & in conclavi Ducis Urbini, Pisauri conspiciuntur, ut & *Canopi* statua in gemma ex Ægypto, sceptra item pretiosa, &c.

III. *Campegiorum* ad dexteram. & *Parisinum* illi oppositum. Utrobique signa & picturæ.

IV. Domus *Petri de Radicibus*. Hîc *Bacchus* pampinis redimitus, & Satyro innixus, dexterâ vasculum tenens, *Musæ* tres, longis institis amictæ; una librum, altera Musicum instrumentum, tertia larvam tenens: operis est laudatissimi. *Caroli Magni* caput, sed dissimile ei quod in Prætorio apud Noricos pro vera effigie ostentant. Fragmenta item mutila *Cupidinis Herculis* & *Floræ*.

V. *Casiorum* Palatium ad *S.* Onuphrii portam. Ejus area prima plena statuis, quæ in imagine sculptæ circumferuntur; plena inscriptionibus, quæ libro pererudito *De gente Casia*, Romæ edito, pleræque continentur.

Hîc *Hyppolytæ Amazonis* icon à *Michaele Angelo Bonaroto* sculptorum principe, valdè laudata ab artificio ac proportione. Altera *Apollinis*, ut putatur. Tertia *Sabinæ* mulieris, nihil illa Amazonide inferioz, nisi quod brachiis mutila.

In horti proximi area prima, *Bacchus* basi impositus visitur in altera vas ahenum cum *Fauno*, in tertia *Neptunus* in basi, in quarta *Apollo* barbyton tenens. Hîc & marmor *Agrippinæ* filiæ *M. Agrippæ*: & *Juliæ Augusti* Cæs. filiæ. *Pallas* item armata, & *Hermaphroditus* Ad dexteram fons est. Undique circumstant viginti duo *Termini* marmorei, *Faunus*, *Jupiter Hammon*, *Pompejus Magnus*, *Demosthenes*, & *Speusippus* Philosophus, ut creditur, sororis *Platonis* filius.

Portæ

Portæ objecta est *Roma* de *Dacia* victa triumphans throno insidens, galeata, amicta, lauream manu tenens coronam: *Dacia* mœrentis habitu. Trophæa, circum armaque barbarica, & duo victi Reges semicolossei, è lapide Numidico. Dux item *Parcarum* statuæ, totidemque *Sybyllæ*, ex eodem lapide, basibus impositæ.

Proximum est ædificium rotundum, quod à re *Antiquarium* nominant. In fronte est *Jovis* vultus porphyreticus, & hinc *Othonis* Imp. illius *Poppæa* conjugis imago.

Suprà statuæ quinque, *Palladis*, *Cereris*, *Victoriæ*, *Copiæ*, & *Dianæ*, Intus est *Somnii* vel *Quietis*, seu ut aliis placet, *Æsculapii*, papaver tenentis simulachrum. Mox *Sabinæ* mulieris altera imago, in porta, *Jovis* colossea facies ad sinistram, ad dexteram *Herculis*, in medio est *Palladis*. Sub *Hercule* est *Satyrus* cui astat juvenis inflans fistulam septemplicem: qua nihil vidi factum elaboratius *Scopæ* putatur opus. *Sub Jove* est *Pyrrhi* Regis Epirotarum caput galeatum. Proxima est *Ledæ*, malum tenens, & *Cupido Ledæ*, ut & *Satyri* statua versatilis est, & absolutissimi operis. Propè sunt capita *Porciæ Catonis*, *Jovis*, *Ganymedis*, *Dianæ*, *Neptuni*, & antiquissimum signum Ægyptium, quod dicitur caput *Asaroth* matris *Osidiris*, vel ut aliis placet, *Opis*, seu *Cybeles*, matris Deum.

Ad portam statuæ duæ: ad lævam arietis *Phryxi* è candidissimo marmore, cujus basi inscriptum est, SECVRA SIMPLICITAS: ad dextram *Leo*, in cujus basi legitur, INNOXIA FORTITVDO. Juxta est *Heliogabali* Imp. integer, stolatus; in cujus basi antiqua affabre sculpti sacrificantium ritus & habitus. Supra est Imperatoris imago triumphalis, curru quadrijugo vecta. Ibidem est *simia* ex Æthiopico lapide, qualis ab Ægyptiis adorabatur.

In cœnaculo *Bacchi* caput è rubro lapide, & suprà *Neptunus* quadrigâ vectus, & *Pomona* dea bis ibi spectatur.

Musæ-

Musæum Cardinalis magnificum, cujus pavimentum vermiculatum, sedes tessellatæ.

Visuntur hic capita illustrium Romanorum, *Scipionis Africani*, *M. Antonii* III, *viri*, *Septimi Severi*, *C. Neronis*, *M. Antonii Caracallæ*, *M. Catonis*, *C. Julii Cæsaris*, *L. Syllæ*, *Juliæ Mammeæ*, *Hadriani*, *Macrini*, *Cleopatræ*, *Faustinæ*, & *Sabinæ* matronæ.

Bibliotheca librorum antiquorum & recentium. In interiori conclavi gemmæ, lapides pretiosi omnis generis artificio potiùs sculpturæ, quàm materiâ commendatæ; Juxta est *Scipio Nasica*, *M. Brutus*, *Hadrianus* Imp. *Cupido* dormiens, & *puer* anseris guttur gemina constringens manu, aliaque ab artificibus laudata monumenta: ut vel hujus unius Palatii causa Romam quis antiquitatis amans (ut cetera desint omnia, quæ sunt plurima) proficisci debeat.

PALATIUM PONTIFICIS.

IN edito Vaticani loco, situ lònge augustissimum, quale Pontifices decet Maximos, qui relicta Laterana sede ob amœnitatem loci & salubritatem huc commigrarunt. Oppidum potius dixeris, adeo amplum est, quam domum: nos ad antiquitatem quæ spectant dumtaxat hic persequemur.

Sacellum hic *Xisti*, quod ampliſſum æquat Templum, quò sede vacante conveniunt Cardinales creando Pontifici Maximo, & *Conclave* vulgo nominant. In Sacello, *Dei judicium* supra Altare depictum visitur cum stupore mortalium, etiam summorum pictorum. Opus est magni illius *Michaëlis Angeli Bonarotæ* toto orbe vel illo opere celeberrimi, qui & vicinum *Paulinum* Sacellum, sed longe illo minus, depinxit. Certè *Judicii extremi* pictura sæpius in æs incisa exemplar ac typus est pictorum: hominum situ vario mirificè commendatur ac symmetria.

Horti hic sunt, qui ab amœnitate hodie *Belvedere* appel-

appellantur. In unius hortuli peristylio, area media variis exoticis consita arboribus. Hinc *Tiberis* spectatur: innititur enim lupæ lactanti puerulos *Remulum* & *Remum*: illinc *Nilus* est, cui sphynx subjacet: circumquaque ludentes pueruli, XVII. cubitorum altitudinem, quibus excrescit fluvius, designantes, auctore Plinio. In basi Sculpti *hippopotami* & *crocodili* Nilo propriæ animantes. Repertum hoc monumentum olim ad Templum *S. Stephani di Caco*, & pictum æries typis est in manibus.

In peristylio *larvæ marmoreæ* singularis artificii tredecim visuntur.

I. In loculis seu repositoriis, quæ *Ischios* ab Italis vocantur, est à tergo Nili *Antinous* è marmore candidissimo, artificio mirabili; qualem *Hadrianus* Imp. fieri jusserit, qui mortuo divinos honores, Sacerdotes Templaque decreverit, & urbem ejus nomine in Ægypto condiderit. Ad dexteram illi *Arnus* fluvius est habitu hominis jacentis, urnamque effundentis: ad lævam *Cleopatra* est dextræ innixa.

II. In secundo loculo *Venus Erycina* est è balneo prodiens, pudica tamen &c.

III. Alio loculo, eadem cum *Cupidine* colludens cui inscriptum: VENERI FELICI SACRVM SALVSTIA HELPIS DD. Juxta est *Bacchus* brachiis mutilus, & *Hercules* ille, licet truncus, usque eo tamen à *Michaele Angelo* prædicatus, ut omnium signorum quæ Romæ sunt, absolutissimum esse dixerit. Artificis *Apollonii* nomen hic inscriptum, ΑΠΟΛΛΩΝΙΟC ΝΕCΤΟΙΟC ΑΘΗΝΑΙΟC: ΕΠΟΙΕΙ pendente nimirum titulo, *Faciebat* ut *Plinius* in Præfat. Natur. hist. de artificibus testatur & *Basilius Magn.* Orat. ad juvenes. Juxta est *mulieris* truncus, & *Mercurii*. Hic & arca marmorea, cui insculpta est *Meleagri* venatio, opere musivo, quæ tabula reperta est in vinea Vaticana Pontificis.

IV. Quar.

IV. Quarto loculo est *Commodi* Imp. statua Herculis habitu & forma quo se nomine vocari & effor-mari jusserat, ut historici Greci Latinique testantur. Brachio puerum tenet cujus imprudentia de-jectis è fenestra pugillaribus quibus conjuratorum nomina prodebantur, cæsus est, *&c.*

V. Quinto loculo *Appollo* est *Pythius* cui se im-plicat squamosus serpens: palliolum gestat brachio, cetera nudus: pharetram gestat & arcum.

VI. Sexto loco est *Laocoon* cum duobus filiis, quos gemini dracones flexuosis gyris implicant, ut à Marone II. Æneid. describitur, opus est omnium quæ toto orbe spectantur, absolutissimum, quod-que *Michael Angelus* vocare non dubitavit *artis mi-raculum*, & ante illum C. *Plinius*, qui factum esse asserit ab *Agesandro*, *Polydoro* & *Athenodoro*, sculpto-ribus Rhodiis sui sæculi celeberrimis, servatumque ait in *Titi Vespasiani* Palatio, inventum autem in Cari-nis ad aquarum receptaculum, quæ vulgo *Sette sale* dicuntur. In proximo cœnaculo *Cleopatræ* est mori-entis statua, ea arte perfecta, ut per vestes tenuissi-mas è marmore factas, corporis forma numeris o-mnibus absoluta appareat. Ibidem labrum est mar-moreum, ex variis lapidum pretiosorum generibus, cujus æstimari pretium non potest nihilque par alibi visum. Effossum olim è *Titi Vespasiani* Thermis: di-gnum vas, quo tantus Imperator lavaretur.

Proximè spectatur *Mercurius* & *Cybele* vertice tur-rita, cui astat *Leo*, & *Atis* adnixus pinui, ex qua pendet fistula & cymbalum. Hic & fons rusticus; in quo Dii & monstra marina expressa. Dici non potest quam spectantibus voluptatem admirationemque adferant universa. Hic & effigies Principum vario-rum: in his *Pauli III.* Pont. Max & *Caroli V.* Imp. Aug. *Michaelis Angeli* manu depictæ. Ad Helveticorum stationem marmorea statua unius è *Curiatiis*, opus egregium. Plures vidi pugnantium habitu apud sculptorem *Odoardi Farnesii* Card. amplissimi.

In

In AVLA CONSTANTINIANA (ut reliqua omittam, sunt enim innumerabilia) picturæ sunt summorum artificum, ut ejus Imperatoris pugna ad *pontem Mulvium* cum *Maxentio*, partaque victoria, opus *Raphaelis Sanctii* Urbinatis, cujus tumulo inscriptum fuit, illo sospite naturam nec vinci nec mori potuisse: quod elogium alli *Michaeli Angelo* tribuunt.

Palatium hoc Pontificum à *Nicolao III.* Pont. Max. inchoatum, auctum post ab aliis, perfectum à *Julio II.* & *Leone X.* tandem ædificiis illustratur picturisque à *Xisto V.* ut machina cœlo assurgere pendereque videatur.

TEMPLO S. PETRI VATICANO QUÆ ADJACENT.

QUIA supra dicere me memini, cum de septem Urbis Ecclesiis, quæ maxime indies Religionis ergo frequentantur, agerem, deque Romæ mirandis, nihil attinet hic referre.

Templo *S. Petri* adjacet Sacellum *S. Petronellæ*, quod fuit olim *Apollini* sacrum, ut & *S. Mariæ in Febre*, quod olim *Marti*.

In magna Templi area obeliscus integer ex lapide ophite erectus est auspiciis sumptuque *Xisti V.* è Circo Neronis, ad sinistrum Templi Vaticani latus, anno M. D. LXXXVI opera *Dominici Fontanæ* architecti Comensis, incertum majore arte an audacia in tanta mole transferenda: est enim altitudo pedum C. LXX. præter basim quæ continet XXXVII. Obelisci in inferiore parte latitudo est pedum XII. in superiore vero VIII. Pondus ejus sine basi librarum est 956148. Instrumenta omnia decies centena millia, quadraginta duo millia octingentas & viginti quatuor libras æquabant. Res nostro seculo stupenda, & cum antiquis comparanda; nisi si, ut fit præsentia fastidimus, & aliena plus æquo miramur.

CIRCUS & NAUMACHIA NERONIS non procul hinc

hinc, in quibus & ludi navales exhibebantur, & Martyres crudeli supplicio, Christum professi, setis objiciebantur. Sed vicit Piscatorum constantia, ut victâ idololatriâ Templum ibidem Deo Opt. Max. post sit conditum longe augustissimum.

Portæ *Borgi* numerantur quinque: Prima *Ælia*, ad Castellum S. Angeli. Secunda, *S. Petri*; sub hortis Pontificiis. Tertia, *Pertusa*, in editiore collis parte. Quarta, Palatio Cæsareo vicina. Quinta *Triumphalis*, nunc *S. Spiritus* Ad hanc *Borbonius* ictu glandis plumbei perit, & per eam Urbs capta est.

XENODOCHIVM S. SPIRITVS primum ab *Innocentio III.* conditum, post ædificiis auctum à *Xysto IV.* ubi peregrini ægroti libenter accipiuntur, tractanturque vere Christiane Medicorum summa cura & hominum: ut & cives ibi, qui familiam non habent, suo ære libenter curentur: honesti etiam Pontificis clientes ad inopiam redacti.

JANICULUM.

CIRCVS *Julii Cæsaris* sub *Janiculo* fuit. Ejus ruinæ in vineis ad Templum *S. Onuphrii*, sed solo æquatum. Mons hic extenditur à *S. Onuphrii* Templo usque ad Transtiberinam Urbis portam, quam nunc *Ripam* vocant, ubi erat *Naumachia*.

Hic ruinæ perexiguæ sepulchri *Numæ Pompilii* ostenduntur non tamen satis dignæ Regio sepulchro nisi quod luxus primis illis temporibus nondum Urbem invaserat.

MONS AVREVS, sic dictus à scintillante colore aureo sabulo, in quo Ædes *S. Petri* est. Rotundum illi Dorica structura, adjacet *Sibyllæ Tiburtinæ* creditum Sacellum, quale illud quod Tibure videtur. In illius Altari summo pictura Christi transfigurati videtur opus *Raphaelis* Urbinatis; Christi item flagellis cæsi, *Bartholomæi* Farneosis penicillo expressa. pulchrum item *Julii III.* Pont. Max quod sibi vivens statuit

ſtatuit: jacet tamen in Vaticano, loco humili.

PORTA S. PANCRATII, olim *Aureliana* dicta, ſeu *Septimiano*, ut à *Septimia Severo* inſtaurata, ad quam & aram & Thermas exſtruxit. Extra portam exſtat aquæ ductus non altus, opere per thombos diſtincto. Per hunc aquas ex *Alſetino* lacu in Thermas illas & *Philippi* & in *Naumachiam Auguſti* fluebant.

Ubi hodie Templum *S. Mariæ Tranſtiberinæ*, *Meritoria* Romanorum fuiſſe putantur, ubi veterani & exauctorati, qui merere amplius non poſſent, vivebant, ſeque curarent ſenes. Morbidis etiam vicinum erat *Æſculapii* fanum, cui ut ſalutis deo ſacrificabant.

Naumachia locus erat bello & claſſi inſtruendæ, qualis hodie apud Venetos *Arſenale*, inſtrumentis, nauticis, navibuſque fabricandis locus. Hodie dicitur *à Ripa*, quò navigia per *Oſtiam* Urbem invehuntur.

PONS AVRELIVS, ſeu *Janiculus* regionem Tranſtiberinam Urbi jungit, olim *Marmoreus* dictus, pòſt bellis civilibus fractus, *Ponte torto* vocatus tandem à *Xiſto* III. Pont. Max. in eam inſtauratus magnificentiam, *Ponte Xiſto* nominatur. E regione *Naumachiæ* reliquiæ pontis ſublicii conſpiciuntur: qui dum bello Hetruſco à Romanis abrumpitur, hoſtium impetum *Horatius Cocles* ſoles ſuſtinuit. *Æmilius Lepidus* lapideum pòſt fecerat, ex quo *Elagabalus* Imp. monſtrum hominis, in Tiberim, ſaxo ad collum alligato, præcipitatus eſt.

Non procul inde *Prata mutia*, quæ *Mutio Scævolæ* data ob egregium facinus coram *Perſena* Hetruſcorum Rege.

Turres duæ ad portum *Ripæ* à *Leone IV* exædificatæ, ad arcendas Saracenorum incurſiones, qui Oſtiâ in Tiberim invehebantur. Qua tempeſtate & *Burgum*, *Leonina civitas* dictum, auxit munivitque *Alexander VI. Borgia*, qui & ex *Hadriani Mola* arcem munitiſſi-

nitiſſimam fecit, turribus & vallis adjectis, & meatu.

INSVLA TRANSTIBERINA, *Tarquinii Superbi* temporibus nata creditur è ſegetibus & ſordibus, non admodum lata, ſed ſtadiis duobus longa. *Æſculapio* cur olim ſacra Romanæ hiſtoriæ referunt, & Scriptor de Viris illuſtribus cap. XXII. Templum hodie *S. Bartholomæo* dedicatum eſt. Navis illius forma lapidea, qua ſerpens *Epidaurius* advectus Romam, in fine inſulæ apparet, Tiberis eluvione nuper detecta.

In hortis *Farneſii* Card. Tranſtiberinis, ſpectatu digna duplex *Venus* marmorea: altera concham manu tenens, & pueri inverſis palliolis. Monumenta item, ſeu pilæ variæ, in quibus figuræ variæ hominum, leonum, mulierum, novem Muſarum, bacchantium, Satyrorum, Sileni ebrii, puerorum uvas geſtantium. Tabula marmorea, quæ faſces & ſecures Conſulares exhibet Columna fracta cum Græca inſcriptione memorabili. Tibure advecta, vel ut alii, Jeroſolymis in Italiam tranſlata.

In domo *Nic. Guiſa* ſtatua nudi hominis, quæ à cultro adjacente vulgo *Aguzacoltelli* dicitur. Tuto gladiatoris potius eſſe dimicantis.

PONS CAESTIVS ſive *Eſquilinus* Tranſtiberinam Regionem cum inſula conjungit, à *Valentiniano* & *Valente* Impp. inſtauratus, ut inſcriptio teſtatur. Hodie pons *S. Bartholomæi* à vicino Templo, quod olim *Æſculapii* fuiſſe diximus. Eſt & ibidem *B. Joannis Baptiſtæ* Templum, olim fuit *Jovis Fauni* quoque in ſuperiore inſulæ parte, Tiberis inundatione funditus ferè everſum. Ruinæ ingentes adhuc apparent.

PONS FABRICIVS, qui & *Tarpeius* inſulam urbi conjungit, è regione Theatri Marcelli Hodie *Pons quatuor capitum* dictus, ab Hermis marmoreis quadri frontibus hîc erectis. Sacella *Solis* & *Lunæ* utrimque poſita ſunt.

Hæc die primo diligenter inſpexiſſe ſufficiat.

ITI-

ITINERIS ROMANI DIES SECUNDUS.

THEATRVM MARCELLI ad Pontem Fabricium ab *Octaviano* Aug. in honorem *Marcelli Octavie* sororis filii, exstructum. Hodie Sabellorum ædes occupant, olim octoginta millium hominum capax fuit: cui Theatro *Octaviæ* Marcelli mater Bibliothecam libris omnium disciplinarum instructissimam honoris gratia adjunxit. *Porticum* quoq; *Octavieni* (cujus pars juxta *Theatrum Marcelli* adhuc supereſt, ubi fabri ferrarii habent officinas) in ejusdem sororis honorem ibidem *Augustus* fecit: & inter statuas fuit *Satyrus, Praxitelis* opus, & novem *Musæ, Timarchicidæ*, quarum duæ olim in hortis Carpensibus; & *Junonis* simulachrum, quod est in vinea *Julii* III. Pont Max. ad viam Flaminiam. Ad porticum *Spei* Templum *Germanicus* Cæsar adjecerat, ad Forum olitorium, qui locus hodie *Piazza Montanara*; cui junctum *Auroræ* fanum Romanis celebre; hodie ne vestigium quidem reliquum.

In *Salellorum* olim domo, quæ est in *Theatro Marcelli*, in tabula marmorea sculptus leo, cum tribus ad pugnam armatis, variaque marmora. In hortis pilæ diversæ, in quibus *Herculis labores*, imagines viriles, & *Mercurii* fragmenta.

S. NICOLAVS IN CARCERE, olim carceres plebis erant, ubi & *Pietatis* Ædem *M. Attilius Glabrio*, quòd filia ibi parentem lacte aluisset, dedicavit, teste Val. Maximo.

S ANDREAS IN MENTVZA, fanum fuit *Junonis Matutæ* à *C. Cornelio* Cos sacratum sub Capitolio.

PONS S. MARIÆ TRANSTIBERINÆ, seu *Mariæ Ægyptiacæ*, à vicina Æde sacra ruptus apparet: olim *Senatorius* dictus, & *Palatinus*, quod Senatores per eum ad consulendos libros Sibyllinos in *Janiculum*

cultum religiosè graderentur, & in Palatium ad Imperatorum ædes rediret.

PILATI DOMVS, quam hic vulgò fabulantur, lavacra potius seu sudatoria Laconica, ex crebris caminorum in pariete figuris videntur.

FORVM OLITORIVM, hodie est *Piazza Montanara*. Ibidem ara *Carmentæ*, quam in honorem *Nicostratæ* matris *Evandri* erexerat.

S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ Templum longo utrimque columnarum ordine, olim *Fortunæ virilis* fuit, vel ut aliis placet, *Pudicitiæ matronalis* delubrum. Quæ de *Bucca veritatis* vulgus fabulatur, Siculis gerris nugisque vaniora sunt. Qui lapis ad Scholam Græcam, de qua mox agam, ostenditur, ut plures alii Romæ, ad stillicidia potiùs, aquarumque receptacula pertinet.

In domo quæ fuit *Gregorii Serlupi* ad *S. Angelum in Pescaria*, caput est *Vespasiani* Imp. colossæum, è candidissimo marmore quo nihil Romæ exstat absolutius. In propinqua domo *Gentilis Delphinii* multa illustrium capita, *L. Veri* & *M. Aurelii* juvenis, *Bacchi* pueri suaviter ridentis aliaque sex urnæ item & tabulæ variæ sunt.

In domo olim *Valerii della Croce*, ad Judæorum vicum in hortulo visebatur *Hercules* & *Hippolita* una Amazonum equa insidens. *Pan* leonina pelle indutus cum fistula septem calamorum. In pila Meleagri venatio repræsentata: in deambulacro varia capita, ut & *Apollinis* statua & *Herculis* Aureum brachio sustinentis, quæ suis pedibus sine basi stabat. Vacca item ænea, & tigris marmorea.

Apud *Onuphrium della Croce* erat togati statua, adscriptumque in tabula, VALERIVS PVBLICOLA, & humani corporis fragmentum à *Michaele Angelo* magnopere laudatum.

Apud *Hieronimum Crucium* in tabula sculpti quinque Fasces Consulares cum securibus, ut indicat titulus appensus. Item *Medus Fidius*, *Honos* quoque

& *Vir-*

& *Virtus*, quos *Amor* conjungit.

Asylum fuisse putant à *S. Maria Ægyptiaca*, schola Græca, ad Tiberim, ubi *Misericordiæ* Ædes fuerit. Alii in Capitolio *asylum* collocant, ab *Augusto* Cæsare, ut scelerum occasionem, sublatum.

S. STEPHANVS ROTVNDVS, à figura orbiculari à regione *B. Mariæ Ægyptiacæ*: olim Ara *Vestæ* fuit, à *Numa Pompilio* ad *asylum* erecta. Columnis Corinthiaci operis undique fulcitur, & foramine in fornice lumen, ut & *Pantheon* admittit.

RVPES TARPEIA in extrema Capitolii parte, quæ spectat hanc Vestæ aram. Ex hac *Manlius* Regni affectati reus ex S. C. præcipitatus est.

DOMVS OVIDII hic ostenditur in ruinis ad Templum *S. Mariæ della Consolatione*. Alii ponunt in Vico Jugario ad Portam Carmentalem. *Vestæ* Templum à *Romulo* condita jam Urbe exstructum, inter Capitolium & Palatium, ubi Templum *S. Mariæ della Grace* (alii volunt *S. Mariæ Consolationis.*) Hic Vestales ignem perpetuum servabant, & *Palladium* ab Ænea ex Ilio allatum in Italiam cum Penatibus diis. Incenso Templo in *Veliam* translatum est simulacrum, ubi nunc Templum *S. Andreæ Pallaræ*.

FORVM BOARIVM, olim dictum, sive quod boves ibi venderentur, sive quod *Evander*, ob receptos Geryonis boves interfectosque, locum illum consecrarit. Hic ad *S. Georgium in Velabro* elegans spectatur Arcus, *Septimio Severo Aug.* & *M. Aurelio* Impp. ab argentariis & negotiatoribus positus, sacrificantium figuris insignitus, cum inscriptione eleganti: IMP. CÆS. L. SEPTIMIO SEVERO PIO PERTINACI AVG. &c. quam Antiquarii descriptam dabunt.

Templum JANI QVADRIFORMIS Arcui adjacet quadratum & totidem amplissimę portæ; superius duodecim receptacula, quibus totidem mensium simulacra olim recondita fuisse opinantur. Illi Deo

Romani sacrificabant ut sacrificiorum principi, qui idem & *Vertumnus* sit dictus. Multa Romæ *Iani* Templa dedicata. Ad Portam Carmentalem juxta *Theatrum Marcelli*, *Numa* extruxit portis duabus, quæ belli temporibus patebant pacis vero claudebantur. Ter id vere accidisse, ferunt Historici: primum à *Numa* conditore, iterum à *T. Manlio* Cos. tertium ab *Aug. Cæsare* post bellum Actiacum. Suetonius & Sex. Victor, Neronem quoque (sed dicis fortasse gratia) clausisse scribunt. Sunt in manibus nummi, in quorum parte aversa cusum legitur, PACE POPVLO RO. VBIQVE PARTA IANVM CLVSIT. Hodie S' *Catharinæ* sacrum est, non procul à *S. Maria dell' Anima*.

VELABRI ÆDES ubi hodie *S. Georgius in Velabro*, sive à velatura sic dictus, sive à vectura: naulum enim illic solvere Tiberi inundante, qui ad *Aventinum* transirent, & lintribus in aliam ripam transvehi cogebantur.

S. MARIA IN COSMEDIN, hodie *Schola Græca* dicta, forte à voce Græca, sive quod Græcorum olim fuerit. *S. Augustinum* ibi docuisse fabulantur, ut & quæ de *Bucca veritatis* nugantur, lapidi pertuso facie insculpta. Huic objacebat Tiberim versus *Herculis Victoris* Templum, hodieque apparet ædificium forma rotundum, dirutum fuit à *Xisto* IV. Pont. Max. Muscæ non intrabant, quod sic *Myagrum* deum rogasset; neque canes; quod clavam foribus appendisset, neque servi aut liberti, sed tantum liberti & ingenui ingrediebantur, tanta in veneratione antiquitus ille fuit, si credere fas est.

Spectatum admissi risum teneatis amici.

ARA ibidem MAXIMA ab *Hercule* erecta & Æmilius juxta *Pudicitiæ Patriciæ* fanum posuit: in Vico longo *Pudicitiæ Plebeja Virginis*, quod ex illo pulsa esset, quia nobilis cum esset, plebejo viro nupsisset. Neutrius hodie nec vola nec vestigium reperitur.

AVEN-

AVENTINVS MONS olim infaustus infelici augurio *Remi* cum *Romulo* contendentis, ibidemque ut Regni consortis occisi, *Ancus Martius*, Romanorum Rex. IV. Sabinis habitandum concessit. Alii sub *Claudio* Imp. primum habitari cœpisse scribunt. Nomen hodieque retinet.

S. SABINÆ Templum in *Aventini* vertice, olim *Dianæ*, idem *Ancus* Rex constituit, vel ut alii volunt, *Servius Tullius*, sextus Romanorum Rex: qui, ut servâ cornicularia natus, servis omnibus ibi Augusti Idibus quotannis diem festum instituerit. Hic *Honorius* IV. habitavit; & *Pius* V. aliqua ædificia fecit.

S. MARIÆ AVENTINI delubrum olim fuit *Bonæ Deæ*, à *Claudia* Vestali in *Faunæ*, sororis *Fauni* Latinorum Regis, honorem ædificatum, quæ & inter deas relata est.

Juxta *Iulii Cæsaris* domus erat, cujus uxore *Calpurnia* ad nocturna sacra *Bonæ Deæ* profecta, *Clodius* amore captus, ut potiretur, muliebri habitu est ingressus, deprehensusque ab ancilla, ut *Plutarch.* & *Asconius*.

THERMÆ in *Aventino* triplices.

I. DECIANÆ, à *Decio* Imp. constructæ, quarum ingentes ruinæ ad Ædem *S. Priscæ*, quæ olim *Herculis* fuit.

II. VARIANÆ his adjacent, hodie ad *S. Alexium*, mutorum & arcuum magnæ reliquiæ Tiberi imminent.

III. TRAJANI, cum Palatio, in ultima parte *Aventini*. Ruinæ sunt ad *Farnesianam* urbis munitionem *Pauli* III. Pont. Max. & portam Tergeminam in vinea *Francisci Albertini* civis Romani.

Juxta *S. Mariæ Aventinæ* Templum vinea est, quæ olim fuit *Valerii della Croce*, in qua consularis statua duplex, sed altera minor; aliæque, sed quarum ignotantur nomina.

REMORIA VIA, nomen hodie apud Romanos retinet, sic à *Remo* dicta, infeliciter auspicante, cæsoque ibidem à *Celere* rutro, *Romuli* jussu, & sepulto. Ducit à *Circo maximo* per *Aventini* dorsum recta ad Molem illam *Pauli III*, Pont. Max. qua Urbem muniit.

SPELVNCA CACI, de quo in *Herculis* fabulis, rupes est aspera & exesa è regione Templi illius. Ibidem & *Herculi* Templum extructum.

FVRCÆ GEMONIÆ non procul inde, ubi facinorosi uncis tracti immaniter trucidabantur: ut *Vespasiani* jussu *Vitellius* Imp. quod *Sabinum* ejus fratrem necasset.

PORTA TERGEMINA, antiquissima, opere latericio, tota ferè apparet ad radices *Aventini*, juxta Tiberim, ad vineas quæ *Trajani Thermis* adiacent. Nomen illi à trigeminis fratribus *Horatiis*, qui ea egressi, ut cum trigeminis *Curiaciis Albanis* pro patriæ libertate dimicarent: quibus cæsis, ac duobus fratribus amissis, ovans *Horatius* Urbem intravit.

HORREA Popu'i Rom à *Diocletiano* Imp. instaurata & aucta, ejus nomen sumpserunt. Inter *Tiberim* sunt & *Montem testaceum*, centum & quinquaginta cellis conspicua. Horum ruinæ instar arcis adhuc extant in vinea *Iu'ii Cæsarini* Patricii Romani.

MONS TESTACEVS vicinus, ex vasta fictilium vasorum congerie crevit. Quidam putant figulos urbis eo testas omnes projicere solitos, ne *Tiberis* fluvius rursus iis impediretur. Ambitu duo millia passuum continet altitudine vero CLX. pedes. Ridicula eorum opinio, qui è vasis, quibus tributa exteræ gentes Romanis ferrent, coaluisse fabulantur. Spatium id omne, quod Mons ille complectitur, *Circus Olympicus* est dictus: ut non sit verisimile, locum, qui Romanæ juventuti exercendæ, cursu, equis, quadrigis, luctaque, esset destinatus fornicum excrementis excipiendis datum, cum figuli Tiberis ripam habitarent.

C. CÆ-

C. CÆSTI pyramis, Septem viri *Epulonum*, integra ad *portam Ostiensem* conspicitur, urbis mœnibus inclusa, saxis ingentibus marmoris candidi, ac quadratis. Et licet inscriptio C. Cæsi nomen præferat, commune *Epulonum* omnium sepulchrum quidam faciunt, qui curam gerebant festorum, conviviorum, & solemnium in deorum honorem sacrificiorum

PORTA OSTIENSIS, seu *D. Pauli*, ab *Anco Marcio* ædificata; ducit enim ad *Ostiam*, & ad Apostoli Ædem sacram, unam è septem maximè frequentatis. Quod templum columnarum quatuor ordinibus nititur, quæ marmoreæ partim Dorico & Corinthio opere constant, partim Attico & Jonico. Nullum Romæ Templum plures habet columnas, vel exquisitius est excultum. Advecta autem hæc omnia è duplici portu Ostiensi Neroniano & Antoniano, qui magnificentissimis erant structuris ornati.

Aliud ultra Sacellum antiquum, vulgo *Tre fontane*, occurrit, per pontem ad lævam, relicta Via Ostiensi ad Tiberim. In porticu porphyreticæ sunt columnæ, rubri ac cinerici coloris. *Trium fontium* scaturigines intus visuntur, quarum aquæ sacræ habentur, morbosque depellere creduntur. Hic enim *B. Paulum* sub Nerone Capite truncatum tradunt.

Hæc die secundo diligenter lustrasse sufficiat.

ITINERIS ROMANI
DIES TERTIUS.

EX *Burgo* per *Ælium* seu *Castelli* pontem Urbem ingredienti bivium occurret. Ad dextram Tiberim versus Via Julia est; hodie *Strada Julia*, ubi domus quondam *Bernardi Alberichi*, cujus in hortulo *M. Catoni* caput, & leo inhians equo qualem & in Capitolio videas. In ædibus *Cevoli* Liguris olim erant statuæ plurimæ suprà in cōclavi. In altero Vico,

vulgo *Bánco*, in ædibus Card. *Sfortiæ* varia monumenta,& bibliotheca Græcorum librorum calamo exaratorum. In domo olim *Bindi Altoniti*, in cubiculo, continuo ordine videbantur,effigies *Vespasiani, Mutii Scævolæ, Augusti Cæsaris, Antonini Caracallæ, Iulii Cæsaris, Galeriæ Faustinæ, Opilii, Macrini Marii* septies Consulis, *Satyrorum* elegantium. *Cupido* item lupum tenens,& *Autumnus*, aliaque signa marmorea, picturæque recentes.

Ad dextram *Petri Strozzæ* Palatium, plenum ornamentis omnis generis. *Meleager* ingens & *Atlanta*, è marmore laudatissimum opus, sive artificis manum mireris, sive signorum spectes venustatem.

Palatium Cardinal. *S. Floræ* admiranda multa continet, sed communia omnibus prosequi nolimi.

Pauli Iordani in *Monte Iordani* Palatium varia ostendit cum novi tum antiqui operis monumenta.

Apud *Ardicium*, elegans statua viri, pallio ad lævam inflexo.

Apud *Vincentium Stampam* in *Campo Flisco*, in cœnaculo illustrium imagines fuere hæ, *Lucretiæ*, *Iuliæ Titi* filiæ, *Iuliæ Mammææ*, *Ælii Pertinacis*, *Drusi* fratris *Tiberii* Imp. & *Tiberii*, *Hadriani*, *M. Aurelii*, *Elagabali*, *Neronis*, *Augusti*, *Palladis*, *Apollinis*, *Philippi Amyntæ* Macedonis filii, *Satyrus*, *Venus*, puer ridens, *Faunus*, *Terminus*, tres *Charites*, & ignotæ plusquam xx. statuæ.

In ædibus Cardinalis *Putei*, capita antiqua erant, *Augusti*, *Hadriani*, *Faustinæ* junioris, & alia ignota: Inscriptiones variæ, & vasa ex alabastro & simithe lapide, pretii infiniti.

In *Hyperione*, vulgo *Parione*, apud *Franciscum Liscam* tres statuæ: Virginis *Vestalis*, stolâ amictæ;

ctæ; *Iuliæ, Pompeii Magni* uxoris, togatæ; *Tanis* semicapri, ad cujus pedes jacet aries. Sub porticu *Pomona*, *Silvanus* nudus, *Fama*, *Bacchus*, *Arethusa* nympha, *Cybele*, *Faunus*, qui cauda tigrem tenet, & baculo illi minatur. Item *Iuno Lucina* togata, *Hebe Iunonis* filia, urna aquam fundens; *Apollo* truncо sese inflectens, & serpente implicatus, &c. & inscriptiones variæ.

In Card. *Medicini* Palatio capita erant *Iovis*, *Palladis*, *Iulii Cæsaris*, *Augusti* & aliorum, Tibure advecta.

In extremo *Parionis* Vico, *Pasquini* statua, in Urbe decantata (famosis olim onustæ libellis, nunc prohibitis severe Edicto Pontificum) & toto orbe nota. Quidam *Alexandri Magni* fuisse, alii *Herculis*, neutri satis firma argumenta, afferunt: certè artificis est non vulgaris.

Antonius vero *Tibaldeus* Ferrariensis, vir magna veneratione & litteris conspicuus, de hac figura narrabat. *Roma*, inquit *vestiarius olim fuit, sui quidem officii sane peritus, nomine Pasquinus. Tabernam ipse aperuerat in vico Parionis: cumque magnum operariorum gregem aleret. (Aulicorum enim vestes ferè omnes ibi conficiebantur) ipsi magna cum libertate atque securitate, non modo Aulicorum omnium, & Antistitum, & purpuratorum, verum & Pontificis Max. facta, non sine ignominia notabant. Verba tamen eorum flocci pendebantur, uti hominum abjectorum levissimorumque, adeo ut nec ullam dicacitatis pœnam subirent, nec odium quidem hominum sibi concitarent. Immò verò, si quis, genere, doctrina, vel quavis re insignis, turpe summi alicujus viri factum narraret, se, quasi scuto, persona Magistri Pasquini ejusque operariorum protegebat, illos nempe asserens narrationis ejusmodi actores, ne ipse offensionem ipsius excuperet, qui cum se lasum putaret, aliquid ei mali moliretur. Hinc factum est, ut veniret in proverbii consuetudinem, Pasquino cuncta tribuere, quæ*

homines cujuſque generis in vituperationem ſummorum virorum adducerent. Ipſo verò mortuo, evenit dum eſſent Parionis viæ ſternendæ, ut ſignum vetus marmoreum reperiretur humi ſemiſepultum, fractum mutilumq; ſacere, ſpeciem referens gladiatoris: quod licet viatoribus præberet ſuo dorſo gradum, ne temporibus hibernis cœno pedes fœdarent; tamen, quia ſic poſitum viarum ſtrata minus æqualia minuſque pulchra ut munirentur in cauſa erat, è regione tabernæ Magiſtri Paſquini fuit erectum. Huic ſigno poſteà nomen ipſius Paſquini, ob vicinitatem, populus impoſuit. Aulici verò ſallidi, Poëtæque Romani ſolertes, morem inveteratum ſervandum duxerunt, ut magnorum virorum vitia verborum libertate perſtringerent, Paſquini perſonam ſuſcipientes, cum per ſe non auderent intimos animi ſui ſenſus aut verbis aut ſcriptis, ob imminens periculum, explicare.

Nec procul inde CANCELLARIÆ vaſtum eſt Palatium, quadratum è Tiburtino lapide, ex ruinis Amphitheatri *Titi Veſpaſiani* exædificatum, quod Theatrum integrè dirui vetuerunt Pontifices, ut ſplendor veteris Imperii appareat poſteritati. Primo ingreſſu offert ſe duplex coloſſea ſtatua. *Opis* & *Cereris* eſſe putant In ſuperiore cœnaculo capita ſunt *Antonini Pii*, *Septimii Severi*, *Titi*, *Domitiani*, *Auguſti*, *Getæ* Imp. *Sabinæ* mulieris, *Pyrrhi* Epirotarum regis, *Cupidinis*, & gladiatoris In conclavi etiam variæ, & hominum ignotorũ quinquaginta imagines.

Ad angulum ædes *Pauli Gallu*, ubi *Romuli* caput, & *Apollinis* pharetrati: item *M. Aurelii* Imp. *Bacchus* pampinis redimitus & uvis cum Satyro ludens. Opus hoc *Michaelis Angeli* primùm fuiſſe, cum Florentia Romam veniens famam quæſiviſſet, ut *Raphaelis* Urbinatis tum celebris faſtum retunderet, refert hic *Iac. Biſſardus*: defoſſum enim humi abſque brachio, cum *Angeli* nomine, repertum, creditum eſt antiqui artificis, æſtimatumque mille ducatorum pretio; comperto poſt dolo, ad quingentorum tantum redacta æſtimatio eſt.

FAR-

FARNESIANVM FORVM intervallo non magno abeſt; vulgò *Piaza del Duca* nuncupant. Palatium hic auguſtiſſimum ſpectantibus objacet, quo nullo Romæ magnificentius, à *Paulo* III. *Farneſio* Pont. Max. ſummis impenſis excitatum. Hic tot tantaque Antiquitatis monumenta viſuntur, ut ſola in libri molem excreſcere commodè, ſi pro dignitate dicantur, queant. Et quoniam, ut fieri amat, ſæpè temporibus mutatæ, alioque tranſlatæ ſtatuæ ſint, non hic *Iac. Boiſſardum* ſequar, qui nondum abſolutum luſtrant ædificium, mutilaque viderit marmora.

In periſtylio porticus inter columnas, duo ſunt *Hercules*, inſigni artificio, cum leonis exuviis & clava. Quorum minor ex Orientali marmore magnopere commendatur, Baſi ejus ſic inſcriptum lego: ΓΑΥΚΩΝ ΑΘΗΝΑΙΟC. ΕΠΟΙΕΙ. Ad ſiniſtram *Iupiter tonans* ſeu *fulgurator* eſt. Gladiatores hic duo coloſſei: ex alterius humeris dependet gladius, pede dextro in clypeum poſito, cui adjacet caſſis & veſtimenta; alter manu à tergo puerum tenet mortuum. Gradus aſcendenti Fluviorum occurrunt ſtatuæ marmoreæ, jacentium habitu, urnaſque tenentium, quibus aquam effundant. Mox duo Numidæ Reges captivi, erecti ad utramque portæ partem. Hic in Cardinalis conclavi egregia monumenta. In ſuperiore contignatione Cardinalis bibliotheca eſt, quę & ſcriptos calamo libros habet plurimos: Muſæum item eſt *Fulvii Urſini* Romani, hominis doctiſſimi, qui non urbis ſed orbis κειμήλια & numiſmatum, gemmarum ac librorum incredibili ſumptu collegit, communicavitque magnam partem cum poſteris, ediris variis ingenii monumentis cum Græcis, tum Latinis, quibus Virgilium, Ciceronem, Lyricas poëtas, Græcorum hiſtoricorum fragmenta ac Latinorum, mirificè illuſtravit: nuper verò imagines Illuſtrium amplius CLII. Antverpiæ typis *Theodori Galle* Philippi filii evulgavit. Sed ad rem redeo.

In altera Tiberim versus area, *M. Aurelii* Imp. ingens statua chlamydata spectatur, basi imposita, atque inscripta. In ædicula opus est marmoreum *Dirces* raptæ à *Tauro*, cujus Plinius, Propertius & Plautus meminere; quali nullum jam integrum factum præstantius opus Romæ reperias: quod Veneti magno redimere pretio & incredibili tentarant *Jacobum Boissardum* fugit ratio, qui montem esse marmoreum putat, in cujus vertice Marathonium taurum occidit *Hercules*. Repertum puto in Thermis Antonianis. Cetera (sunt enim pæne infinita) stupent spectantes, oculis igitur quisque lustrabit.

Domus *Nercsarum* Palatio *Farnesiorum* objacet; ubi inscriptiones variæ, & *Adonidis* statua, baculum tenentis. Quidam *Meleagri* putant, quod apri caput proximè jaceat; canis item, qui spirare videtur ac vivere. Ejus pretium quinque millibus ducatorum æstimatum: nec ullum Romæ opus magis integrum; nec usquam gentium pluris hæc sunt, æmulatione quadam Romanis contendentibus, ut hic domos adornent ornamentis. Est hic & *Veneris* non minoris, quàm *Adonis*, pretii: & *Dianæ* venatrix succincta, pharetra, arcu, & sagittis ornata. *Orcades* item duæ quæ pharetras & arcus gestant: & *Boni Eventus* simulacrum, dextra speculum, læva fertum ex spicis tenens. Opus est *Praxitelis* absolutissimum.

Ad CAMPVM FLORÆ, in domo *Latini Juvenalis della Regola*, in hortulo statuæ, *Trajani* Imp. armata, *Liviæ* uxoris *Augusti Lucretiæ*, *Herculis* tenentis malum Hesperidum, somnolentæ mulieris. *Herculis* cum clava & leonis spolio, duo Consules, totidemque matronæ, aliæque, & plusquam L. capita Impp. ac virorum illustrium.

In domo *Jordanis Boccabelli* erat *Getæ* Imp. *Dianæ* triceps, *Jupiter*, *Cybele*, *Faustina*, *Marciæ Otacillæ*, *Panis*, *Herculis*, *Cupidinis*, &c.

Apud *Lucam de Massinis* erant capita *Octavii* Aug. *Tiberii*, *L. Severi*, tria *Neronis*, *Bruti* Consulis, *Juliæ*, *Sa-*

Sabinæ, *Marii*, *Asdrubalis*, *Fauni* ridentis, & plusquam XL. ignotorum hominum. *Appollo* item truncus, & monstrum marinum.

Ad eundem *Floræ Campum* Palatium est Cardinalis *Ca oferrati*, qui & *S. Georgii* dicitur, splendore fortasse & artificio nihil cedens *Farnesiano*, sed tantum mole minus. Hic quattuor *Anni tempora*, *Elementa*, corporumque habitudines graphicè depicta. *Dii* præsides, *Mars*, *Saturnus*, & *Iupiter*. In conclavi *Iovis* furta XII. Opus est *Michaëlis Angeli*, quem ille Card. egregiè, dum vixit, fovit, impetravitque rara omnia. Sunt & marmoreæ statuæ *Iovis*, *Ganymedis*, *Bacchi Veneris* cum *Cupidine*, *Floræ*, *Mercurii* Consules, Imperatores, & matronæ. Hic erat *Actii Navii* Auguris statua, cotem novacula dissecantis, quæ olim in Comitio servabatur.

Vrsinorum domus in eodem *Campo Floræ*, structa erat in ruinis *Theatri Pompejani*, cujus pars adhuc integra ad domus stabula spectatur.

TEMPLVM S. ANGELI IN PISCARIA, in Foro piscario, olim fuit *Iunonis Reginæ*: quod incendio consumptum, *Septimius Severus* & M. *Aurelius* Impp. restituerunt, ut titulus antiquus, qui ibi legitur, testatur. Juxta Templum erectæ columnæ duæ, ex porticu *Septimii Severi Mercurio* dedicatæ. Ad hanc porticum Septimianam *Gabriel Vallatus* habuit ædes plenas Antiquitatum, quas studiosi, si sapiant, ne prætereant.

Ad TVRRIM ARANTIORVM; vulgo *La torre delle citrangole* vocant, habitabat *Marius Delphinus*, Gentilis F. & tali patre dignus filius. Nemo enim Romæ plura possidebat numismata; & inscriptionibus hortus erat refertus. Ibidem *Canopi* statua, ex Simithe lapide, facta in hydriæ speciem, cum litteris hieroglyphicis. Item *Stateres* antiqui ex orichalco, quorum usum revocavit, cum jam bilancibus uterentur.

SE-

SENENSE PALATIVM non procul à *Campo Floræ*: quo inſpecto, perge verſus *Parietem* ad ædes *Maximorum*, in quibus *Pyrrhi* coloſſea ſtatua, galeata, armata, &c. Duobus eam ducatorum millibus *Angelus de Maximis* olim redemit. Ibidem *Iulii Cæſaris* caput marmoreum, tabulæ, ſigna, marmorea vaſa, picturæ ad domus ſplendorem addita oſtenduntur.

Palatium novum Cardinalis *dello Valle* propè erat, quod Princeps ille ſignis adornavit Conſulum & Impp. Monſtratur *Hortenſius* & *Piſo, Frugi* cognomento. *Lethegus* item. Inferiùs inſcriptiones multæ, Græcæ atque Latinæ leguntur. In parte ſuperiore *Marſyas* columnæ alligatus, opus *Lenxidis* abſolutiſſimum, è Templo *Concordiæ* effoſſum. In prima corte Satyri duo geſtantes cophinos: in cubiculo *Julius Cæſar, Milo Crotoniata, Gieta* Imp. item amplius XL. capita, *Herculis, Sileni, Panis*, & aliorum: & verò capita à truncis avulſa dolendum eſt, ut hinc non facilè agnoſcantur niſi titulus adſit. Statuæ hic lapideæ *Palladis, Cybeles, Phaëthontis, Victoriæ, Neptuni, Apollinis* ex lapide Lydio, *Herculis* Nemæum leonem ſuffocantis: *Sabinæ* uxoris Hadriani, *Poppææ* Neronis, *Lucillæ* Pompejani, duarum *Napæarum*, unius *Najadis, Floræ*, & *Muſæ* unius quæ fiſtulam manu tenet: *Jovis* caput, & quinque Sabinæ mulieres. *Neptunus*: tabula *Meleagri* venationem continens: *Faunus* pelle tectus, *Mercurius* pallio in lævum brachium involuto, raptus Sabinarum in tabula. Ad ſiniſtram *Minervæ* eſt togata, *Hadrianus* Imp. paludatus, *Hercules* cum leonis exuvis, *Otho* Imp. & mulier ignota, Reges quatuor captivi, unus marmoreus, reliqui ex porphyro: Hermaphroditus, *Iupiter Bacchus, Hercules, Apollo, Praxitelis* opus; *Mars, Galba* Imp. *M. Antonius Pius, Conſtantius Magnus*, & Conſules aliquot. *Sallæſtii* quoque creditur hic eſſe ſtatua, item *Memmii*. In ſuperiore parte Tabulæ ferè LX. in quibus

bus *M. Aurelii Antonini* sculpti triumphi, quales in Capitolio conspiciuntur. In aliis varii sacrificiorum ritus. Item Corybantes cum tympanis, Najadum chori: *Meleagri* altera venatio. Tres colossææ statuæ, *Sabinæ, Hadriani. Cornelii Crassi,* & ignotæ feminæ. In veteri ejusdem *Vallei* Card. Palatio sunt antiquissimæ *Bacchi* statuæ: *Ganymede,* cum aquila & fulmine, *Apollo, Hercules, Tethys, Venus, Mercurius, Faunus,* & gladiator. Ad lævam porticus erat *Orpheus* cum barbito: *Bacchus* sinu gestans unas: *Atys* pastor Idæus sedens & fistulam inflans. *Isis* caput, & *Venus*, quam alii volunt esse *Tethyn*, vel *Galateam*: lupa ex prophyro lactans *Romulum* & *Remum*. Hinc *Scipio Africanus*, & delphinus puerum vehens, juvenis cælum adspiciens, *Antonius Tius*. Consulis, fortè *Bruti* caput, & *Faustinæ M. Aurelii* conjugis. Apud Vallæum Episcopum Horologium cum Zodiaci signis XII. & imaginibus quales in nostris hodie Kalendariis. Inscriptiones item, signa, & statuæ.

In *Albertinorum* ædibus Inscriptiones erant variæ, & statuæ deorum.

In *Cinciorum* proxima domo inter alia *Vertumnus* visebatur, cum ligone & venabulo; statua item *Apollinis Pythii* integra.

In domo *Iulii Cæsarini* erat *Adonis* nudus, sed brachiis carebat. In hortis vero ejus mulier cum vase, quam *Cariatidem* vocant, & *Venus* quoque marmorea, muliebris figuræ: *Iani* duo bifrontes. *Propertii* hic Poetæ inter alia caput ostentabant, si verum est, & *Faustinæ* junioris, *Augusti* juvenis. *Bacchi* cum pellibus, aliaque ibidem: sed crus æneum à *Michaële Angelo* valde laudatum ferunt.

Ambrosii Lilii domus *Pompeji* caput continebat, & in tabula XII. *Herculis labore*, affabrè sculptos.

Apud *Acanium Celsum Bacchi* caput, & pellis in numeris vervecina. Satyri pueri ridentis imago, redimita floribus, spectatu digna, aliaque.

Apud *Cavallerium Faunus* uvam altera manu tenen-

nens, altera pellem ferinam, uvis plenam & fructibus *Silenus* utrem ſtringens Hic & *Naturæ* dea, Altari impoſita, mammis, & animalium figuris ornata. In Tabula marmorea *Hercules* cum *Centauro* pugnans. In horto *Victoria* alata, octo columnarum bales, aliaque.

Apud *Hieronymum Alterium* non procul à *S. Marco*, Sacerdos erat *Cybeles* ſtolatus, manu vas tenens, *Hercule*, ſpoliis indutus leonis, trunco innixus, & coluber. Fragmenta item antiquitatis varia. Apud *Alterios* etiam ſenex calvus in cathedra ſedens: quis ſit, incertum. Et Hermaphroditus capite & brachiis carens.

Apud *Petrum Caroferratum* ad hortum ingens *Æſculapius* cum puella: uterque ſerpentem tenet. Erant hic & alia.

Apud *Fabios* prope *S. Luciam*, *Atlas* cœlum ſuſtinet, in quo circulos videas. Si integrum opus eſſet, pretio æſtimari non poſſet. *Æſculapius* item, *& Caracalla* Imp. & *Bacchus*, ſed fractus.

In Capitolii aſcenſu habitarunt *Boccabelli*. Hic frons elegans ex tophis & conchiliis, & piſces filis æneis alligati, ut natatare videantur.

CAPITOLIUM.

AD ſiniſtram *Capitolii* Monaſterium eſt *Franciſcanorum*, ARA CÆLI Templum nuncupatur, olim *Iovi Feretrii*. Gradibus adſcenditur LXXX. multis ordinibus. In pariete tabulæ figuris inſignes conſpiciuntur. Pro foribus ſepulchrum eſt *Flavii Blondi* hiſtorici, & *Lucæ Gaurici*. Templum duobus columnarum ordinibus ſuſtinetur, quibus, ſi Vaticanas excipias, nihil Romę præſtantius. Ad ſiniſtram in tertia epiſtylii columna legitur. A CVBICVLO AVGVSTORVM. Duæ hic marmoreæ ſtatuæ, altera *Conſtantini*, *Maximiani* altera, vel utraque *Conſtantini*, & equi duo ad gradus utrimque.

In area Capitolina M. *Aurelii Antonini* ingens ſtatua equeſtris ænea, affabrè facta, alii *L. Veri*, quidam *Septimii* eſſe putant. A Lateranenſi Baſilica eo tranſlata eſt à *Paulo* III. Pont. Max Farneſio.

Juxta ſunt poſitæ ad PALATIVM JVSTITIÆ, Fluminum ſtatuæ coloſſeæ, *Nili* cum ſphynge ſubjecta, & *Tigris* cum vicina tigride, unaque Cornucopiæ fructibus, quos advehunt fluvii; non abſimiles iis quos in Vaticani Pontificiis hortis diximus videri. Spectatur & ad radicem Templi Fluminis altera coloſſea forma, *Rheni* Germanorum fl. Alii *Iesus Panaris* ſimulacrum putarunt, quod pane projecto in Gallorum caſtra obſidione eſſent liberati. Hodie *Marforius* appellatur, qui olim *Paſquino* reſpondere calumnianti ſolebat.

E regione juxta gradus columna viſitur, *Milliarium aureum* dictum: fuitque olim in Urbis umbilico: à quo viæ omnes, quæ in varias Italiæ oras tendebant, ducebant initium.

In PALATIO CONSERVATORVM multa ſanè ſpectatu digna, ut orbis compendium videatur; ſtatuæ nimirum, tabulæ, inſcriptiones, tumbæ, marmora Leo item mordicus equum tenens; quod opus ad cœlum *Michael Angelus* tulit laudibus. Hic ad gradus, monumentum longe antiquiſſ. columna roſtrata, cum ſua inſcriptione priſci ſæculi, *C. Duilii* cui de Carthaginenſibus illo Punico victori poſita eſt, mutilaq; eſt, à nobis ſupra extremo Capite ſeptimo collocata: cujus meminit *Fabius Quintilianus* & *Servius*: explanavitque doctiſſimus *Lipſius* in Antiquis Lectionibus, & ſingulari libello *Petrus Ciacõnatus* Toletanus, homo doctiſſimus, qui Romæ in Vaticano Typographeio, & Lugduni Batavorum *Raphelengii* typis excuſus legitur. Hic & triumphantis M. *Aurelii* quadrigis tabula ſpectatur, de *Dacia* victa. Hujus triumphi duæ aliæ tabulæ in Templo *S. Marini* ſub Capitolio, unde hæc deſumpta. Superius ad portæ ingreſſum tabulæ mar-

marmoreæ inciſa menſura eſt Romani pedis & Græci. Propè *C. Marii* togata ſtatua. Intus parietes cœnaculorum picturis egregiis rerum geſtarum *Theodoſii* & *Arcadii* Impp. ornantur, habitu antiquo, manu artificis egregii. Hic & *Hercules* æneus deauratus, dextra clavam, ſiniſtra malum tenens Heſperidum. Is inventus eſt in *Foro Boario*, in ruinis Aræ maximæ, in cujus baſi ſcriptum eſt:

HERCVLI VICTORI
POLLENTI POTENTI
INVICTO
D. D. L. M.
FRONTO.

Ibidem *Satyrus* marmoreus caprinis pedibus, alligatus arboris trunco. Ultrà in columna marmorea ſtatua ænea eſt viri inclinati, & ſpinam è pedis planta extrahentis, opus admirandi artificii. Altera item laudatiſſima ænea lupæ lactantis *Romulum* & *Remum*, quæ olim in Comitio ſervabatur prope *Ficum Ruminalem*: unde in Baſilicam Lateranam, pòſt in Capitolium tranſlata.

Mox ingreſſus periſtylium, FASTOS illos toto terrarum orbe decantatos & utiles cernes Magiſtratuum ac Triumphorum Rom. deſignatis è marmore Conſulibus: quod opus è foro effoſſum *Paulus* III. Pont. Max huc tranſtulit, commodo publico ab iis etiam ſpectandum qui Capitolium per gradus infimos aſcendunt deſcenduntve. Legitur & carmē elegans *Michaëlis Silvii* Card. de marmorum illorum tametſi mutila ſint temporis injuriâ, utilitate ac fructu. Elogium item lapidi inciſum rerum in Belgio præclarè geſtarum *Alexandri Farneſii, Octavii* filii, Ducis Parmenſis, cujus & ſtatua, utpote Romani, ibidem oſtenditur, ut & *M. Ant. Columnæ*, bello navali Turcico ad Echinadas inſulas victoris cum Io. *Auſtriaco*. Sunt & Pontificum Maximorum optimè de Republica Romana meritorum ſtatuæ ingentes ſedentium habitu, ac benedicentium,

in

in Palatio Capitolino, *Leonis* X. *Gregorii* VIII. & *Xisti* V. Cætera Lector ipsi oculis lustrabit, in vestigandoque diligenter ad verum, ut fit evadet.

Qua in Capitolio ad *Rupem Tarpejam* itur, videturque ut vocant *Piazza Montanara*, Templum olim fuit *Iovis* Opt Max. omnium quæ Romæ erant maximum, à *Tarquinio Prisco* structum: post ad ejus ornatum impensa sunt à *Tarquinio Prisco* structum: post ad ejus ornatum impensa sunt à *Tarquinio Superbo* quadraginta librarum argenti millia.

Iovis Vejovis Templum, ubi hodie *Palatium Conservatorum*, versus Ædes *Iustitiæ*, ubi olim fuit arx Capitolina. Asylum ibidem quidam collocant. *Iunonis* quoque *Monetæ* Templum in crepidine *Camillus* constituit: & *Iani custodis*, in ea parte quæ hodie *Custodia sceleratorum* est.

E CAPITOLIO DESCENSVS.

PER *Clivum* descenditur in *Forum Romanum*, quæ est area per *Septimii* arcum usque ad Templum *S. Mariæ novæ*.

L. Septimii Severi Arcus triumphalis est ad Capitolii radices, marmoreus, integer; nisi quod pars sub terra lateat. Roma tot ruinis jã altiore. Utrimque eadem elegans inscriptio, sculptæque Imperatoris bellicæ terra marique expeditiones Ad ejus sinistrum latus gradus sunt quibus ascenditur.

Hic & CONCORDIÆ Templum *Camillus* dedicarat. Ab hoc ad *Iunonis Monetæ* centum gradibus conscendebatur, sic dictæ à monendo, quod Senones adventare voce monuisset. Ejus reliquiæ sunt octo illæ ingentes columnæ, quæ visuntur; quarum epistyliis inscriptum legitur: SENATVS POPVLVSQ. ROMANVS. INCENDIO CONSVMPTVM RESTITVIT. quod ad Capitolium alii referunt, quod sæpius deflagrasse, auctor est Cornelius Tacitus. In eam *Concordiæ* Ædem frequentes conciones. Patrumque conventus fiebant.

Ad

Ad ſiniſtram *Capitolini Clivi* partem locus eſt qui dicitur S. PETRI IN CARCERE, quod ibi vinctus fuerit clauſuſque, ideoque illi à *Silveſtro* Pont. dicatus eſt, ubi & prius *Vinculorum Petri* feſtus dies Kal. Auguſti agebatur. Sed *Eudoxia*, condito in Eſquiliis Templo in honorem *S. Petri ad Vincula*, eo ferias transferri poſtulavit. Carcerem hunc primus *Ancus Marcius* ſtruxit; ſubterranea adjecit *Servius Tullius*, unde *Tullianum* ea pars dicta, in qua & de *Catilinæ* conjuratis ſumptum ſupplicium, ut ſtrangularentur, refert Criſpus. Huic loco inſcriptum lego.

C. VIBIVS C. F. RVFINVS
M. COCCEJVS M. F. NERAT. COS.
EX S. C.

Templum S. MARTINÆ olim *Martis Ultoris* ſacrum fuit, conditum ab *Auguſto*, Cæſ. *Martique* dicatum, poſt bellum Philippenſe in Pharſalia. Alii *Secretarium* Romani Senatus faciunt, quo ſcripta & chartæ adſervabantur: exſtatque in eam rem Titulus, *Theodoſii* & *Honorii* temporibus inſcriptus.

S HADRIANI Templum proximum eſt, olim *Saturno* ſacrum, à *Numatio Plancio* ædificatum, vel inſtauratum potius: primum à M. *Minutio* & *A Sempronio* Coſſ. dicatum. Hoc Ærarium Populi Romani fuit, in quo pecuniæ publicæ ſervabantur: ut Scipionis Æmiliani tempore, XI millia librarum auri puri, & XCII. millia argenti, & infinitus cuſorum nummorum numerus, &c. Hic & tabulæ elephantinæ, quibus XXXV. Tribus civitatis Romanæ continebantur, cuſtoditæ, reponebantur & ſigna militaria, Acta publica, & Senatuſconſulta; ſpoliaque devictarum Provinciarum populorumque.

Templum B. MARIÆ LIBERATRICIS ad Capitolii radices, olim putatur *Veneris genitricis* fuiſſe. Tres illæ columnæ ſtriatæ fragmenta ſunt porticus *Liviæ* neptis Auguſti, in cujus honorem erexerat, ſed

sed paulo post *Nero* verterat, *Domitianus* vero, instauraverat. Quidam putant esse bases pontis aurei *Caligulæ*, octoginta columnis nixi, & sumptus incredibilis; per quem pontem in Capitolium à Palatio transiretur.

Columna, ad Ædem *B. Mariæ liberatricis*, est una earum quibus *Domitiani* aurea statua imposita: & propè jacebat *Rhem* fluvii statua, (nam de Germanis Imp. ille triumphavit) qui hodie *Marforius* est, in Capitolium translatus: cum pila suprapositâ, quæ obelisci alicujus fuisse videtur, qualis & in *Milliario* conspicitur. Juxta erat *Concordiæ* Templum, & ad dextram *Iulii Cæsaris*; ad lævam Basilica *Pauli Æmilii*, cui impensa sunt novies centena millia ducatorum.

ROSTRA NOVA sunt parietes illi sub Palatini radicibus, sic dicta à navium rostris quæ ibi appendebantur, & è quibus constructa erant. Hodie claudunt hortos amœnissimos Card. *Farnesii*. Hic *Cicero* sæpe dixit, ibidem ejus caput cum manibus quibus divina illa Philipica scripserat, conto infixa sunt jussu M. *Antonii* III. viri. ROSTRA VETERA ad Curiam Hostiliam sita erant prope *Comitium*, quod pertinebat ad Templum *B. Mariæ novæ* sic dictum quod eo S.P.R. de Reipublicæ commodis acturus coiret.

Templum S. LAVRENTII MINARDA, est in ruinis Templi *Faustinæ* & *Antonini* conjugis ædificatum. Sic enim inscriptum est:

DIVO ANTONINO
ET DIVÆ FAVSTINÆ
EX S. C.

Columnæ decem porticus alicujus ibi spectantur. Juxta erat olim arcus *Fabianus*, putealque *Libonis*, ubi judicia exercebantur.

FORVM JVLII CÆSARIS erat à *Faustinæ* porticu usq; ad *S. Martinæ* Templum. Augusti Foro adjacet Templum *S. Laurentii de thesauri*: ubi duæ porticus

cus erant erectæ, cum ſtatuis clarorum, Ad Sacram enim Viam in domo *Liviæ* habitabat *Auguſtus*.

Templum SS.COSMI & DAMIANI, duobus ædificiis rotundum, olim fuit *Caſtoris* & *Pollucis*. Alii inter Templum *S. Hadriani* & *Fauſtinæ* collocant: & illud *Romuli* & *Remi* fuiſſe ſine Auctore aſſerunt.

Templum PACIS, inchoatum à *Claudio*, à *Veſpaſiano* abſolutum, eſt in editiore loco ad *S. Mariæ novæ*: ubi columna integra ſtriata ſuperſtes, viſitur, omnium quæ Romæ ſunt altiſſima & maxima.

In hortis *S Mariæ novæ* fornices altæ ac rotundæ duorum olim Templorum ſpectantur, *Solis* & *Lunæ*, vel, ut alii, *Iſidis* & *Serapidis*, *Totius* ibidem *Vulcano* Templum condidit, *Æſculapius* quoque ædem habuit. & *Concordia*, quam *Fulvius* anno CCC. III. poſt Capitolium conditum fecit: ex quo *Pacis* illud delubrum *Veſpaſianus* Aug ædificaſſe creditur, qui & capta Jeroſolyma victiſque Judæis, ſpolia Templi Salomonis tranſtulerunt.

Nec procul inde ad Viam ſacram erectus Arcus marmoreus *Titi Veſpaſiani*, in quo Victoriæ ſculptæ & triumphi pompa, quo ferebantur Templi ſpolia: nempe *Arca fœderis*, *candelabrum* VII. *lucernis*: *Menſa panum propoſitionis*, *Decalogi tabulæ Moyſis*, & *vaſa ſacra* ex auro puro, quibus in ſacris Judæi utebantur. Spectatur & currus Triumphalis. Titulus ejus eſt:

SENATVS POPVLVSQ. ROMANVS
DIVO TITO DIVI VESPASIANI F.
VESPASIANO AVGVSTO.

FORVM NERVÆ, quod & *Tranſitorium* dictum, quod inde in Auguſti forum ac Romanum tranſiretur, & ejus arcus ſunt ad Ædem *S. Hadriani*. Huic nobilē porticum addiderat eo loco qui hodie *l'arca di Noë*, corrupto vocabulo ex *Arca Nervæ*, vocatur. In epiſtylio legitur: IMP. NERVA CÆSAR AVG. PONT. TRIB. POT. II. IMP. II. PROCOS.

Hujus

Hujus arcus fragmenta videas inter *S. Basilii* Templum, & *Turrim militiæ*. Ad dextram sunt reliquiæ duorum arcuum, & Palatii *Nervæ* sumptuosissimi: nullus enim Romæ locus olim cultior fuit.

VIA SACRA pertinet à Foro Romano per arcū *Titi Vespasiani* ug. usque ad Amphitheatrum, vulgo *Colosseum* nominant. *Sacra* dicta, quod Auge res ea via ad sacra perogenda in Capitolium procederent.

Ad dexteram prope arcum Titi TVRRIS est QVADRATA vulgo vocant *Studiolo di Virgilio*, Fabulanturque & casto illo ac parthenopæo indigna Vate, & Christiano homini non referenda. De cujus sepulchro ad *Pausilippum* montem dicemus, cum de Regno Neapolitano differendum erit, viâ *Puteolos* versus. Hic enim alium *Virgilium Magnum* fingunt, qui montem malis artibus pervium fecerit, cujus ibidem sepulchrum sit.

Prope *Pacis* delubrum & *SS. Cosmæ & Damiani* fuit *Curia Hostilia*, à *Tullo Hostilio* in veteri Curia Romuli condita. Eo Senatus de rebus arduis acturus conveniebat. Incensa tota, cum *P. Clodii* à *T. Annio Milone* cæsi corpus cremaretur, cum *Basilica Porcia* illi vicina quam *M. Porticus Cato* Censor ad ædes *Menii* condiderat. Alia Curia fuit in Monte Cœlio ubi Templum *S. Gregorii*.

ITINERARII ROMANI

DIES QUARTUS.

PALATINUS MONS

ANTE Romam à *Romulo* conditam habitatus à *Valentia* sive *Roma, Itali* filia, post ab *Evandri*; deinde Regum ad Impp. sedes augusta. Indicant superbissima ædificiorum fragmenta. Locus hodie incultus, & nullus Romæ magis desertus. Hortum dumtaxat hic Card. *Farnesii*, & vineæ, & vepres. Exiguum *S. Nicolai* Templum adhuc exstat, cum aliquot ædiculis.

Olim

Olim multa hic fana: *Victoriæ* à *L. Postumio*, Ædili cœculi conditum: spectabis hortos S *Mariæ novæ* ex ejus ruinis. *Apollinis* item, quod fulmine ictum restituit *Augustus*, addita porticu: ejus reliqua sunt testudo illa ampla ac rotunda, quæ exstat, magisq; integrè se attollit. *Penatium* quoque fanum, quos ibi *Æneas* ex Ilio allatos condiderat, colebanturq; Romæ religiosè. Ibidem & *Larum*, *Fidei Iovis Victoris*, *Elagabali*, *Orci*, & aliorum deorum delubra erant: sed hodie ne vestigium quidem demonstrari potest.

Hic & Patricii habitarunt, *Tarquinius Priscus* Rex in ea montis parte, quæ spectat Templum *Iovis Statoris*. *M. Cicero* magnificas quoque ædes excitarat, emptas à *Crasso* quinquaginta millibus ducatorum. Juxta erat & *M Flacci* domus, ex qua *Q. Catulus* struxit magnificam porticum.

Locus Palatini ad *Titi Vesp.* arcum, olim *Germalus*, à germanis fratribus *Romulo* & *Remo* appellatus: qui à *Faustulo* casam incolente non procul à *Græcostasi* illic sunt nutriti. Hinc ad arcum alterum *Constantini Magni* summa *Velia* protendebatur; sic dicta, quod vellerent ibi lanas ab ovibus pastores, priusquam tondendi modus esset repertus; unde avulsæ lanæ *vellera* vocantur.

Versus *S. Mariam novam Scaurus* Palatium habuit egregium, cum atrio, altissimis columnis nixo pedum XL. præterbasim & epistylium.

Græcostasis hic fuit, Palatium amplum, quo Legati variarum gentium excipiebantur. Hic & *Concordiæ* statuam *Flavius* erexerat, qui plebem Senatui reconciliarat.

Templum S. ANDREÆ IN PALLARA, in quo olim *Palladium* asservabatur, ligneum simulacrum, oculis versatilibus, & ab Æneа cum Penatibus diis ex Ilio allatum in Italiam. Post in Templo *Vestæ* conditum est, Virginibusque servandum traditum.

Ubi Cœlium Palatinus spectat, Templum quondam *Cybeles*, quæ & *Dyndimene* & *Ops* dea. Ejus simulacrum

ſacrum ex Ida Phrygiæ Romam à *Scipione Naſica* allatum religioſe aſſervabatur. Verſus Aventinum vero natalis domus fuit *Auguſti* Cæſaris. Ejus ruinæ altiſſimæ ſpectantur verſus Circum maximum. Huic *Appollinis* Templum adjunxerat, cujus & ruinas videas : cujus in apice erat Solis currus aureus. Bibliotheca quoque addita, quæ hinc *Palatina* nominata, in qua & *Appollinis*, ut Muſarum choragi, ſtatua ænea poſita, pedes L. alta : opus *Scopæ* egregium.

Balnea Palatina ibidem fuerunt, in quæ pars aquæ *Claudiæ* per aquæductus derivabatur, qui hodie videntur in vinea *Phedriæ* Patricii Romani, verſus Circum maximum. Vicina his fuit Curia *Saliorum*, & *Auguratorum*, aliaque.

Palatii portæ veteris veſtigia oſtenduntur è regione *S. Laurentii in Miranda*.

Ad columnas porticus *Liviæ*, Templum eſt rotundum *S. Theodoſio* dicatum, prius à *Romulo* conditum dicatumque *Jovi Statori*, quod fugientem Romanorum exercitum ſtitiſſet bello Sabino. Alii negant hoc eſſe *Jovis Statoris* Templum, ſed potius ingentes illas ruinas è regione Templi *Concordiæ*, quas jam diximus partes eſſe Curiæ veteris.

Relicto *Jani quadrifrontis* Templo, & Foro Boario, tendens ad Circum maximum, vides locum depreſſum, aquis manantibus, quibus mulieres lintea lavant. Putantur eſſe fontes Nymphæ *Juturnæ in Velabro*.

Fornicatum opus quod juxtà protenditur, pars eſt Cloacæ maximæ, quæ à *Tarquinio* ſtructa eſt, ut ſordium omnium Urbis receptaculum, à Foro Romano in Tiberim derivans; adeo ampla, ut ſub ejus olim fornicibus currus onuſtus ageretur. *Chiavica* nunc vocatur.

Lacus Curtius illi adjacebat; in quam ſe voraginem *Curtius*, peſtilentiæ depellendæ, quia hinc aër exhalabat corruptus, præcipitavit.

Hic lucus *Numæ Pomptilii*, in quo cum *Egeria* nym-

pha agens, cærimonias didicit ritusque sacrorum. Hic & Gallorum Senonum cineres conditi: qui locus & à doliis *Dolioli* vocatur.

CIRCUS MAXIMUS.

SPATIVM id occupat quod est inter Palatinum & Aventinum, longitudine trium stadiorum cum dimidio, latitudine vero trium jugerum. Capax erat CCLX. millium, vel, ut alii restringunt, CL. millium, *Romulus* hic primus Consuales ludos *Conso* Deo in Sabinarum raptu exhibuit, *Tarquinius Priscus* Circo locum designavit, *Superbus* ædificavit, in quo Circenses ludi certaminaque populo exhibebantur: *Augustus* ornavit, *Cajus* ampliavit, *Trajanus* restituit auxitque ædificiis, *Elagabalus* Chrysocolla stravit, ut Palatium, porphyro lapide. Hodie circumscriptio apparet, graduque quibus spectabant, cellæque. Hodie olitorum horti sunt & viridaria. *Neptuni* Templum adiectum, ubi nunc *Anastasiæ* delubrum. Ruinæ conchyliis incrustatæ marinis, & opere tessellato.

Obelisci duo hic erant, alter pedum CXXXII. longitudine, sine basi, quem *Xistus* V. Pont. in Vaticanum transtulit: alter longus erat pedes XXCVIII. quem *Augustus* Hierapoli ex Ægypto Romam transtulit ad Circi ornatum.

Naumachia in eodem Circo ubi se nautica re juventus exercebat. Ostendunt locum ubi crebræ aquarum lacunæ, & arundineta.

Supra murum ruinæ aquæductus aquæ Claudiæ: quem rivum *Claudius* Imp. è fontibus *Curtio* & *Cæruleo* (quos cœptos *Caligula* imperfectos reliquerat) derivavit à Porta Nænia per Cœlium Montem usque ad Aventinum.

Ad VIAM APPIAM à Circo veniendum. Ad lævam ingens olim moles *Septimii Severi* attollebatur, Plinius à columnarum numero *Septisolium* à septem solariis, vulgo *Septizonium* nominat. In eam

altitu-

altitudinem erexerat Imp. *Septimius*, ut in Africam navigantes conſpicerent adorarentque cineres ibi in apice collocatos: *Septimius* enim Afer erat. Noſtro ſæculo tres ordines, cum titulo exſtabant, & in Antiquitatum picturis reperias: ſed *Xiſtus* V. Pont. *Max.* quod ruinam minarentur, repugnante Populo Rom. funditus ædificiis exſtruendis evertit. Tituli autem fragmentum erat: TRIB. POT. VI. COS. FORTUNATISSIMUS NOBILISSIMUSQVE.

VIA APPIA

INCIPIEBAT ab Arcu triumphali *Conſtantini* per *Septizonium Severi* ducebat ad Thermas Antonianas. Inde per *Portam Capenam* ad ruinas *Albæ longæ*, per Terracinum, Fundos, Campos ſtellatos, Brundiſium uſque ſeſe porrigebat. *Appius Cæcus* nomen dedit, qui lapide duriſſimo ſtravit Capuam uſque. *Cæſar* produxit inſtauravitq;: *Trajanus* ampliavit & perfecit. Ejus Viæ reliquiæ ad Vrbem, viaque Neapolitana ad Privernum & promontorium apparent.

VIA NOVA, ea pars quæ ab Appia & Thermis ducit ad Capenam Portam, ſic dicta, quod ab *Antonino Caracalla*, dum Thermas conderet, novo lapide ſit ſtrata.

THERMÆ ANTONIANÆ, non procul ab Æde *S. Sixti*, ab *Antonino Caracalla* ſtructæ in Aventino, è regione Piſcinæ. Ingentes hic ruinæ, nullæq; Romæ magis integræ, præter Diocletianas. Columnæ hic ex ophite lapide, & labra marmorea capaciſſima. Templum *Iſidis*, quod idem *Caracalla* adjunxerat, ubi nunc Ædes SS. *Nerei* & *Achillei* aliis vero S. *Sixti* Templum videtur.

Ad *Viam Appiam* delubra deorum varia: *Quirini Martis*, & aliorum, ſed quorum non reperias veſtigia, nedum Templa.

PORTA CAPENA, à *Capena* urbe vicina, *Alba longa* dicta & *Camœna*, à Camœnarum delubro.

Triumphalis item, quod *Scipiones* per eam triumphum duxerint, & nuper *Carolus* V. sub *Paulo* III. Afris devictis Hodie *S. Sebastiani*, à Templo duobus passuum millibus ad *Calixti* cœmeterium dissito.

Ut Templorum hic obscurâ vestigia sunt, sic & sepulchrorum, quæ multa in Appia Via, teste *M. Tullio* in Milonianâ. Moles alta quadrataque, quæ ad sinistram attollitur. *Cethegorum* putatur, ex Titulis ibi repertis, & Epitaphiis: rotunda vero forma, *Memmii* fuisse monumentum creditur, in utroque tamen *Cethegorum* legitur nomen.

Almonis rivus non longe ab Urbe occurrit, qui Romam influens, sub Aventino Tiberi se insinuat.

Sepulchrum *Scipionum* fuisse altum illud ædificium & rotundum ad dexteram, ex Inscriptionibus ibi repertis colligitur.

Sinistra digressus ab *Appia*, Sacellum est rotundum, quod vocatur *Domine quò vadis?* Historiam supra, cum de Ecclesiis agerem, retuli.

Ædificium huic proximum *Luculli* attribuitur. In eo, sicut & in aliis plurimis, sub fornicibus integris cellulæ, quibus ordine urnæ cineribus mortuorum plenæ collocabantur. Ad sinistram ulterius parietes ex coctili lapide pars sunt Templi *Fauni* & *Silvani*.

Ad dexteram ædis *S. Sebastiani* Templum visitur, integrum illud quidem, sed ornamentis spoliatum, quo greges noctu, aut dum se æstus frangat, agunt opilones. *Apollini* sacrum olim fuisse putatur.

Quadraginta inde passibus, obscuro inter dumeta loco, caverna est subterranea, cujus aditus propter arbusta lapidumque acervos vix cernitur. Ingressus videbis fornices artificiosè constructas, quæ utrimque habent repositoria x. aut xii. pedum, quibus olim mortuorum Christianorum corpora condebantur, idque clam, durante persecutionis furore. Lampadum etiam loca reperias. Hic Christianos vigente sub Imp. Rom. persecutione crudelissima delituisse fe-

ferunt, vocanturque hodie *Stantie di Chr ſtiani*.

In Templo *S. Sebaſtiani* deſcende per gradus in ſpeluncas, quas, *Catacumbas* nominant, ubi quoque, Chriſtiani latebant Tyrannorum metu. Narrant martyrii palam XL. Pontifices primos illic accepiſſe Adhæc, ut inſcriptio loci teſtatur, CLXXI v. millia Martyrum mortem pro fide Chriſtiana fortitei oppetiiſſe. Locus ſane religioſe cultus, tenebris item ſqualoreque horrendus, quem ſine facibus ac ductore loci bene perito ingredi minime tutum ſit, adeo anfractibus, mæandris, cuniculis ac meatibus plenum eſt, ut labyrinthum intrare videaris. Hodie *Cœmeterium* ſeu *Sepulchrum Calixti* nominant. De mirandis ac ſacris Reliquiis oſtenduntur ad Altare *Sacelli* lævi lapidi impreſſa veſtigia CHRISTI Domini in cœlum ſpectantibus diſcipulis aſcendentis. Cetera Scriptores dabunt. *Onuphrius*, *Serranus*, atque *Hugonius*.

Huic Templo adjacet delubrum amplum & rotundum, centum ingentibus marmoreis columnis ſuſtentatum, quod *Sulla* in Ædilitate *Marti Gradivo* conſecravit, audiebanturque ibi hoſtium Legati, quos in Urbem nollent admittere, ſpeculandi gratia. Ejus pars maxima precibus *S. Stephani* Pont. cum *Marti* ibi ſacrificare juſſus à *Gallieno* Imp. eſſet, fertur corruiſſe.

Juxtà olim *Manalis lapis* ſervabatur, quem ſolemni pompa Romani in Urbem, quo pluviam eliceret, importabant.

Supra in eadem *Appia Via* quadrati oppidi mœnia integra conſpicias, quod *Sinueſſam* nonnulli, alii *Pometiam* fuiſſe tradunt. Rectius vero ſentiunt, qui Prætorianorum militum, & Auguſtorum Medicorum ſtationem ſedemque fuiſſe putant. Intus area vacua eſt.

Sepulchrorum moles utrimq; videas cum quadratas, tũ pyramides obtuſas ac ſolidas, partim lateritio lapide, partim Tiburtino ſtructas. *Metellorum* fuiſ-

ſe, indicant Inſcriptiones: unaque vaſta, turris inſtar ampliſſimæ, *Cæciliæ Metellæ*. Teſtatur marmorea hoc tabula verſus aream Prætorianam: CÆCILIÆ Q. CRETICI F. METELLÆ CRASSI. Moles eſt rotunda ex quadratis marmoribus candidis, intus concava, & ſuperiore parte aperta cælum admittit. Muri craſſi pedes fere XXIV, In circuitu inciſa boum capita, carne nudata, ut in ſacrificiis ſolet: in lemniſcis & faſciarum involucris quæ folia ac flores jungant. Itali *Feſtenes* hodie vocant: putantque Antiquarii geminam hecatomben *Metello* factam in funere fuiſſe: nam & ad collis radices vocis imago, Græci ἦχω nominant, exauditur, ut nuſquam gentium major. Octies enim (expertus loquor) integrum Poetæ verſum articulatè refert, confuſe item ſæpius, ut plorantium ejulatus, planctuſque funebres nimium quantum multiplicarentur, dum duplex Hecatombe, ludique funebres matronæ agerentur: niſi ſi natura, aut ut fit, caſu id accidiſſe verius exiſtimes. Aliorum eſto judicium.

Loco prope depreſſo ingentes ſunt *Circi Hippidromi* ruinæ, ut nuſquam alibi integriores. *A Baſiano Caracalla* extructus putatur, quo loco *Tiberius* Aug. Prætorianorum militum ſtabula erexerat. In hoc Circo milites ſe quotidie curſu, equitatione, ac quadrigis exercebant. In media area veſtigia carcerum, baſium, ſtatuarum, altarium, ac metarum. Picturæ circum crebræ apparent. In medio vaſtus quoque jacet obeliſcus ex ophite lapide, ſed tres in partes vaſtas confractus, notiſque hieroglyphicis ſacris Ægyptiorum undique animaliumque figuris exornatus: valde ut mirer à *Xiſto* V. Pont. Max. homine celſi ac vetè heroici ſpiritus, non eſſe in Urbem, ornandi gratia, traductum: aut ſaltem, ſi ſumtus ingens in tanto loci intervallo fuiſſet, ibi erectum baſique impoſitum: niſi mors præmatura hominis conſilium ut fit plerumque, in curſu abrupit.

Super

Super *Circo* Templum integrum quadratum apparet, cum columnis & porticu anteriore. Id olim deo *Ridiculo* consecratum putant, quod *Hannibal* à Cannensi strage, qua civium Romanorum XL. millia ad internecionem cæsa sunt, copiis victricibus Urbem occupare conatus, castra ibi locasset; editoque ingenti risu ac cachinno, prodigii loco, fugisset, solvissetque obsidionem, & in Campaniam cum exercitu divertisset, ubi enervatus miles deliciis elanguit. Poterat alioqui urbe jam consternata fortasse potiri, sed quod ille apud Livium Afer ait: *Vincere scit Annibal, victoria uti nescit.* Quare Deo *Ridiculo* fanum Romani metu liberati condiderunt.

Hinc tribus fere milliaribus digressus Romam revertere. Ad mœnia cum ventum erit, transi ad *Portam Latinam*, sic dictam à vicina Æde *S. Ioanni* Apostolo sacra, qui ibi oleo & igne cruciatus dicitur sub *Domitiano*: diesque festus in Martyrum fastos Majo mense relatus religiosè colitur.

Sequitur *Gabiena Porta*, à *Gabiorum* urbe, quo ducit, sic dicta, ubi via cum Prænestina conjungitur, sicut *Latina* cum *Appia* interdum concurrit.

COELIUS COLLIS.

A PORTA *Gabina*, relictis ad dextram mœnibus, in *Cœlium montem* ascendes, qui ad mœnia longè extenditur usque ad Portam majorem. Dictus & *Querquetulanus*, à quercuum ibi copia, priusquam ab *Hetruscis* habitaretur, qui duce *Cœle Vibenna* auxilium Romanis tulerunt, collisque hic propterea illis concessus, & posteà *Tuscus vicus*. Ruinæ multæ cetera obscura omnia atque collapsa.

In *Cœliolo*, qui appendix est *Cœlii*, Templum est *S. Ioannis* Evangelistæ, olim *Dianæ* sacrum.

In Cœlii summitate Ædes *S. Stephani* rotunda, à *Simplicio* Pont. Max. ex *Fauni* delubro dicata. Temporis injuria senio dirutam instauravit *Nicolaus* V. Pont. Max. ea qua cernitur forma, nisi quod sub

Gregorio XIII. additæ victoriarum martyrii picturæ elegantes amplius xxx.

Ad Templum SS. *Joannis & Pauli*, versus *Septizonium Severi*, Curia fuit Hostilia, à *Tullo Hostilio* erecta, diversa ab ea quam supra ad Templum *Pacis* in Foro Romano collocavimus. Huc S. P. Q. R. de publicis negotiis actutus conveniebat.

Templum *S. Mariæ in Dominica*, Aventinum versus situm, & à *Leone X.* instauratum. Ibi olim *Albanorum* mansiones fuerunt: vicinusque est aquæ *Claudiæ* ductus, in cujus arcu hæc legas:

P. CORN. R. P. DOLABELLA. COS. C. JVNIVS C. F. SILANVS FLAMEN MARTIAL. EX S.C. FACIVNDVM CVRAVERVNT. IDEMQVE PROBAVERVNT. Ad aquæductum erectum castellum, ad receptacula aquarum.

Templum *Quatuor Coronatorum*, ab *Honorio* Papa conditum, instauratumque pœnè collapsum à *Paschali* II. versus Esquilias: olim fuerunt castra peregrina, quibus accipiebantur sub Augusto navales copiæ quas ad *Misenum* habebat.

Inter Portam Gabinam & Cœlimontanam Palatii *Constantini Magni* ingentes ruinæ: nunc *S. Joannis* dicitur: splendore Imperatoris ostendens magnificentiam.

S. JOANNES IN LATERANO, nomen tenet Basilica, quam rogatu *Silvestri* Pont exstruxit *Constantinus Magnus* (alter autem *Lateranorum* fuit M. *Antonii* avus.) Sedes olim Pontificiæ Sedis fuit, sed post ducti amœnitate Collium Vaticanorum, eo se receperunt Pontifices, habitantque augustum Palatium ad *S. Petri* Ædem.

Ad Templum locus qui *Basilicus Constantini* vulgo dicitur, orbiculato ædificio octo columnis porphyreticis nititur, duabusque ad portam positis. De puerorum cæsorum sanguine, quo lepra Medicorum consilio curaretur, fabula quibusdam videtur: nam ab Episcopo Nicomediensi baptizatum referunt Historiæ.

ſtoriæ, Eccleſiaſticæ, cum in Aſiam veniſſet. *Iacobus Boiſſardus* balneum Laterani Palatii fuiſſe potius putat, quod eo uſque protenderetur; & forma perſuadet.

Ad dextram Sacella ſunt, parieteſque marmore incruſtati, & columnæ Jeroſolymis allatæ Romam. Ad ſiniſtram columnæ marmoris flavi, quæ manu aut veſtibus tritæ gratum ſpirant odorem violarum, cum lilio. Qui ab Ægypti Regina Salomoni donatas fuiſſe fabulantur, ſine Auctore nugas aguat.

S. JOANNIS Templum auguſtum ingreſſo occurrunt ſepulchra Pontificum Maximorum ſumptuoſa, aræque marmoreæ affabre factæ, ut nihil uſquam videas abſolutius. Altaris ſummi lateri ſiniſtro appoſita Tabula ænea, characteribus antiquis, continens leges & Senatuſconſulta ſub *Veſpaſiano* Aug. quæ olim in Capitolio cum aliis multis aſſervabantur. Ad Sacrarii fores, juxta hanc Tabulam humi ſepulchrum eſt *Laurentii Vallæ* Romani, & hujus Templi Canonici.

Ante Chorum columnæ æneæ IV. ſtriatæ, Corinthicis epiſtyliis opere concavo. Narrant vulgo Terra ſancta plenas è CHRISTI ſepulchro Jeroſolymis Romam advectas. Varii varia de his prodiderunt. Quidam volunt Athenis è Templo *Iovis* Romam à *Sulla* tranſlatas. Alii è roſtris navium in Actiaca pugna captarum ab *Auguſto* Cæſare conflatas, & ad rei memoriam Templo *Iovis Capitolini* applicatas. Alii Jeroſolymis advectas in Italiam ab Imp. *Veſpaſiano*, devictis Judæis, cum reliquis ſpoliis, quæ in triumpho *Titi* propoſita ſunt.

An equam *Xiſtus* V. noſtra memoria novum Lateranenſe Palatium à fundamento exſtruxit, Cœnaculum hic erat Rotæ ampliſſimum, in quo Pontifices ac Cardinales & Archiepiſcopi ſedebant, cum de rebus magnis eſſet agendum, treſque portæ altiſſimæ marmoreæ ex Jeroſolymitano Prætorio erant advectæ. Concilia hic

Lateranensia habita totius Cleri confessu.

SCALÆ SANCTÆ, quas in *Pilati* domo CHRISTUS JESUS virgis cæsus conscendit; alio sunt ab eodem pontifice translatæ: quæ Religionis gratia, rependo & osculando à piis quotidie frequentantur. Juxta erant cathedræ duæ ex prophyro pertusæ, de quibus mendacia anilesque fabulas nugantur Ecclesiæ Catholicæ Sedisque Pontificiæ hostes acerrimi. Sed jam mendacium diserte refutatum ab *Onuphrio Panvino*, & *Roberto Bellarmino* Card. amplissimo, Controversiarum Tomo 1. de Pontif. Rom. Ut & de *Ioanna* papissa confictæ nugæ jactataeque, quas iidem refellunt, & nuper Gallice singulari libro *Florimundus Ramundus*.

Columna candidi marmoris juxta posita in pariete, fracta in partes duas: creditur in Christi morte cum Templi velo terraque ac pettis scissa fuisse.

SANCTA SANCTORUM, Sacellum est summa veneratione cultum quod mulieribus ingredi nefas: in quo *Arca fœderis* servatur, *virga Aaronis*, *mensa cœnæ Dominicæ*, *Manna sacrum*, *umbilicus* & *præputium Christi*: *Sanguinis* ejus corona, *clavus* unus integer, quo *Christus* cruci affixus, *frenum* equi *Constantini Magni* è clavis duobus pedum confectum, ut ex quarto lamina confecta, & Imperatoris aureo diademati apposita. Quatuor enim clavis Salvatorem cruci affixum fuisse, cum tabella sub pedibus, Græcorum antiquæ picturæ docent, & *Gregorius Turonensis* Episc. asserit. Aliæ item hic Reliquiæ.

Sacellum hodie S. *Petro* sacrum, Via Lavicana, quæ est Cœlium inter & Esquilias, olim *Quercu* deæ sacrum dicatum erat delubrum.

Non procul à Templo S. *Ioannis* Porta est ejusdem nominis, olim *Cœlimontana* dicta quod ad *Cœlii* radices sita sit; item *Asinaria*. Ab ea principium sumit *Via Campana*, quæ ducit eo, vocaturque à fertilitate vulgo *Terra di lavoro*, ac paulo extra Urbem Latinæ Viæ conjungitur.

In

In ultima *Cœlii montis* parte Templum est S. CRVCIS IN JERVSALEM, unum à septem Ecclesiis quæ máximè frequentantur. Olim sacrum fuisse putatur *Veneri* & *Cupidini*. Hic pars *Crucis Dominicæ* asservatur. *Titulus* quoque linguis tribus scriptus, *Denarius* unus ex triginta quibus Christum Judas vendidit, *spina* coronæ ejusdem, aliaque miranda. Sacellum hic subterraneum, ab *Helena Constantini* matre conditum, in quod semel tantum quotannis 20. Martii mulieribus ingressus patet. Templi Monasterio adjunctum est Amphitheatrum, minus illud quidem *Colisæo*, ut vocant, sed antiquius: *Augusto* enim imperante à *Statilio Tauro* conditum. Alii vocant *Castrense* illud Amphitheatrum à *Publio Victore* in Esquiliæa Regione positum, in quo milites exercerentur, Nunc fere dirutum à *Paulo* III. Pont. Max. instaurando Monasterio, quod restat, intra extraque mœnia spectatur.

SESORIANA BASILICA ad Templum *S. Crucis* erat, pertinebatque ad Nævian portam. Ruinarum pars adhuc notatur ad mœnia.

Arcus qui per Nævian portam in Urbem tendunt, & per dorsum Cœlii montis ad Lateranense Templum usque ad Aventinum pertinent, sunt aquæductus aquæ Claudiæ: qui omnium quas Romæ videmus altissimus judicatur ac longissimus, quemque per XL. milliaria in Urbem *Claudius* induxit: cui postea *Anio* novus adjunctus per viam Sublacum versus, summisque impensis per Nævian portam deductus. Ejus pars major in *Aventinum* derivabatur, pars in *Palatium*. Cœptus quidem à C. *Caligula*, sed à *Claudio* perfectus.

PORTA NÆVIA, eadem & *Major* dicitur & *S. Crucis* in arcu Triumphali structa creditur, quod & operis amplitudo satis ostendit.

XENODOCHIVM S. JOANNIS visitur propè ductum aquæ *Claudiæ* versus Cœlium, lane opulentissimum, ægris curandis accommodum. Est enim & phar-

& pharmacorum ac Medicorum copia, ut etiam divites morbis laborantes curari seſe ibidem ære ſuo jubeant. In ejus area ſepulchrorum arcæ & aræ videntur marmoreæ, labra balneorum & Thermarum, marmoribus figuræ inciſæ, *Satyrorum* chori, accubitus jacentium ritu, *Amazonum* pugnæ, *Meleagri* venatio, aliaque id genus monumenta.

TEMPLVM S. CLEMENTIS viam habet per aquæductum, quod diverſis marmoribus incruſtatum, Inſcriptiones habet antiquas figuraſque ſacrorum inſtrumentorum, quibus Pontifices, Augures, ac Sacerdotes olim uſi ſunt in ſacrificiis.

Amphitheatri moles ſtupenda in reditu ſeſe offeret, ex ingentibus Tiburtinis lapidibus ſtructa, inter Cœlium montem & Eſquilias. *Coliſeum* vulgo nominant, à coloſſea ſtatua, quam *Nero* illic erexit, altam CXX. pedes.

Domus *Neronis* id totum loci ſpatium occupabat, quod eſt inter Palatinum & Cœlium, & porrigebatur uſque ad Eſquilinas (uni erant horti *C. Mæcenatis*) ut urbis potius quam domus formam referret. Continebat enim agros, lacus, ſilvas, & porticum integro milliari longam, tribus columnarum ordinibus. Reliqua ædificia deaurata erant & gemmata. In ea delubrum *Fortunæ Sejæ*, in quo deæ ſimulacrum ex marmore Phenigete, ſeu diaphano. Porta hujus domus principalis erat, ubi poſteà Amphitheatrum poſitum, antequam coloſſus Principis erigeretur.

Hujus Amphitheatri ea amplitudo atque altitudo, id artificium, nihil ut Romæ in eo ſit genere admirabilius. Cœptum eſt à *Veſpaſiano*, abſolutum vero à *Tito* filio. Spatio XI. annorum, XXX millia ſervorum tantum opus perfecerunt. Capax fuit LXXXVII. millium hominum, qui in gradibus commode ac ſubſellis ſedebant, ludoſque, qui in media cavea exhibebantur, ſpectabant.

Conſtantini Magni arcus Triumphalis ad ſiniſtram verſus

versus Cœlium est, & Septizonium Severi, ad Palatini radices. Integrum adhuc exstat cum suis victoriis, statuis, & Votis decennalibus ac vicennalibus litteris inscriptis. *Constantino* autem à Romanis positus, post devictum *Maxentium*, ad Pontem Milvium, qui tyrannide barbarica Urbem oppresserat.

Ad *Colisseum* equos hodie agasones exercent, urgentq; calcaribus, & in gyrum currere adsuescunt. Juxta ædificium est altum & testudineatum, & in speciem pyramidis rotundum. *Meta* erat *sudans*, sic dicta, quod aquæ inde manarent, quas potarent in Amphitheatro spectantes.

Ab Amphitheatro Via sacra per Forum Romanum, Capitolioque ad lævam relicto, à Templo S. *Martinæ* ad Palatium *Maffejorum* diverte: in quo capita Illustrium virorum cum pectoribus, in suis basibus, & alia IV. absque pectoribus; urna marmorea, vasa, pateræ, lucernæ, crateres, aliaque spectatu digna. *Laocoontis* item caput artificiosissimum. Ibidem tabula marmorea, in qua Circus expressus, cum suis metis obeliscis, & aris. Altera item est discumbentium in triclinio cum syntheſi, ut nusquam alibi majore vel forma cernatur, vel artificio. In hortulis quoque statuæ muliebres. *Pan* quoque in pila grandi sculptus cum *Syringe* & *Cupidine*. Plurima in hoc Palatio videntur antiquitatis monumenta, Epitaphia, Inscriptiones, & id genus aliæ priscæ vetustatis reliquiæ, quæ & artificum oculos pascunt, & eruditorum hominum animos excitant,

Jam domum te recipias licet.

ITINERIS ROMANI DIES QUINTUS.

AB *Ælio ponte*, & *S. Angeli castello*, Tiberina platea, ad *Ursi* diversorium in bivio, dextra ingressus ad Turrim sanguineam, domum offendes *Baldi Ferrarii*. In fronte est *Galba* Imp: paludatus: ibi & pilæ duæ, & tabula variis figuris insignis,

Apud

Apud *Io. Bapt. Gallesium* ſtatuæ muliebres plurimæ: & in tabula *Æſculapius*, dextera ſerpentem tenens, & fœmina quoque ſerpentem comprimens, cum hac ἐπιγραφῇ:

NVMINIBVS C. PVPIVS O. F. A. N.
FIRMINVS SANCTISS. D. D.

Ibidem & *pila* diverſis inſculpta figuris, ut *Herculis* geminos tauros cornibus apprehendentis. Hinc domus eſt ad Agonem Card. *Pacieci* Hiſpani. Adjacet Templum *S. Apollinaris* vetuſtiſſimum; olim enim *Appollini* ſacrum. A tergo eſt *S. Auguſtini* Sodalitumque Eremitarum Templum, in quo *B. Monicæ* ejus matris Reliquiæ frequentantur

Apud *Archintum* viſitur ænea ſtatua ſervilis, qualis in Capitolio, quam *Zingaram* vocant. Supta capita ſunt, ut *Iovis Capitolini*, aliorumque.

Forum illud ampliſſimum quod *Parmenſis* Duciſſæ Palatio objacet in Agone, dicitur vulgo corrupta voce *piazza navona*. Circus olim fuit agonalis, in quo ludi & certamina à *Numa* in *Iani* honorem inſtituta celebrabantur. *Nero* Circum auxit, poſt *Alexander Mammeæ* filius, qui Palatiũ juxta exſtruxit, & Thermas Alexandrinas celeberrimas. *Nero* quoque circa Thermas habuiſſe putatur, ubi Templum *B. Mariæ rotundæ*, poſt Templum *S. Euſtachii*, *Hadrianus* quoque ſuas Thermas ad *S. Aloyſii*. Sed, ut fit in locis frequenter habitatis, veſtigia tecta obſoleverunt.

In Agone apud *Marium Melinum Pallas* armata & galeata viſitur, muliebres aliæ ſtatuæ, & gladiator nudus, & *Hercules*, *Sabinæque* mulieris caput. *Cupidinem*. *Alcibiadis* pueri figura. *Silvani* & *Bacchi* ſedentes. Capita *Iovis Druſi* & decem ignota. *Satyrus* quoquè integer ſingulari factus artificio.

Apud *Io Bapt. Melinum* tria capita egregia.

Apud Epiſ. *Paulum* in fronte ſtatua eſt muliebris, & intus caput *M. Ciceronis*, M. Tullii filius.

Ad S. *Aloyſii* apud *Alexand. Rufinum*, *Iulius Cæſar* eſt quaſi coloſſeus, armatus; ocreis, ſeu caligis, aut

aut ſandaliis. *Auguſtus* quoque Cæſar. His ſtatuis nihil Romæ ſpectatur rarioris artificii. Caput item aliud *Iulii*, & quattuor virorum mulierumque.

In *Farnenſis* Ducillæ (ut loquuntur) hortulo *Bacchus* duplex viſitur egregii operis, & ſupra in Tabula tres *Curiatii*. & mulier genibus nixa.

Apud *Franc. Ragaterium*, Antiquitatis ſtudioſiſſimum, ad Templum *Pacis*, capita varia, *Bacchi*, *Alexandri Magni*, duplex *Iovis Nutrix*, *Satyri*, ſeu *Panes* Imperatorum vero *Trajani*, *Hadriani*, *M. Aurelii* pueri, & *Getæ* & viginti ignotorum hominum, & quadraginta à corporibus avulſa capita, & *Iovis* ex porphyro. In ejuſdem vinea ad Portam Flaminiam inſcriptiones variæ: Rex *Numida* captivus ex porphyro lapide, egregie elaboratus, & thorax æneus Imperatoris alicujus.

Apud *Alex. Cherubinum* inſcriptiones, & *Silvani* ridentis caput marmoreum.

Ruinæ apparent inter Ædes S. *Euſtachii* & *Minervæ*, longæ & quadratæ putant fuiſſe Templi *Boni eventus*, quem priſca coluit ſuperſtitio, felicis exitus ipſe. Ejus olim ſtatua plebejo habitu, læto vultu, dextra craterem, læva tenens ſertum ex ſpicis.

Fornices illæ rotundæ, & altæ, qui locus *Ciambelia* dictus, Thermarum *M. Agrippæ* fuiſſe exiſtimantur: ad quas & *Nero* Imp. Thermas exſtruxit, quarum ruinæ à tergo ſunt S. *Euſtachii*.

IANTHEON M. *Agrippa* juxta Thermas ſuas conſtruxit, in omnium deorum honorem, rotundum, ne qua de loci præſtantia lis inter deos ſeu dæmones potius oriretur. Alii *Opis* ſeu *Cybeles* fanum fuiſſe, ut turrigeræ deorum matris, & *Terræ* dominæ, tradunt. Critici certant. Rectius à Summ. Pontificibus *B. Virgini Diviſque omnibus* eſt conſecratum. Sphæricum eſt ædificium, quo nihil Romæ ſpectatur antiquius, integrius, atque ſplendidius. Lucem, quod feneſtris careat, in ſumma fornice foramine admittit. Altitudo latitudinem æquat, & rotun-

rotundum eſt. In medio crate ænea tectus puteus, excipiendis aquis pluviis. Porticum habet elegantiſſimam, ingentibus columnis XIII. ex ophite lapide nixam, epiſtyliis Syracuſanis. Laqueatia, quæ tectum ſuſtinent, ænea ſunt, auro perfuſa cum valvis & porta. Laminis olim argenteis coopertum erat, ſed *Conſtantinus Heraclii* nepos eas cum reliquis ornamentis Urbis abſtulit. Subjectæ ſunt plumbeæ à *Martino* VII. Pont Max. Gradibus olim ſeptem, qui templum ambiebant, aſcendebatur, nunc undecim adſcenditur: ut hinc Urbem ruinis altiorem editioremque factam credas. Inſcriptum eſt cubitalibus litteris: M. AGRIPPA. L. F. COS. III. FECIT. & infra litteris minoribus: CÆS. L. SEPTIMIVS SEVERVS PIVS PERTINAX, &c. quæ, commodo quod fiat tuo, deſcribes. *Severum* & *M. Augonium*, vetuſte corruptum *Pantheum* cum omni cultu reſtituiſſe oſtendit. Conditus hoc Templo *Raphael Sanctius* Urbinas, pictorum Princeps. Ad porticum duos leones Ægyptii ex lapide Marmaridum ſubnigro ac duriſſimo: in baſibus notæ ſunt hieroglyphicæ. In medio vas amplum ex porphyro, opera & lapidis magnitudine admirandum: cui non abſimile, paulo tamen minus, eſt in Templo *S. Mariæ majoris* ſub imagine *Crucifixi*. in Eſquiliis.

Templum B. MARIÆ SVPRA MINERVAM proximum eſt, ſic dictum, quod olim *Minervæ*, ſacrum. Habent hodie *Dominicani* Sodales. In horto ruinæ apparent victoriam, quarum ibi titulos *Pompejus* ſtatuiſſe creditur. In Altaribus & aquæ luſtralis repoſitoriis inſcriptiones quædam. Conditus hic *Petrus Bembus* Card. ad Aram ſummam, *Thomas Cajetanus* Card. & *Paulus Manutius*, homines ſæculi ſui diſertiſſimi.

In domo *Metelli Porcarii*, ante oſtium ſtatua ſedentis marmorea, & in angulo *Terminus* ingens, cum hac inſcriptione: C LIVIVS C. F JVSTVS &c. Tabulæque marmoreæ titulus eſt, VENVLEJA, &c. quæ, ſi

vacat,

vacat, transcribe. Hic ursus marmoreus ovem devorans, & Sacrificium marmori insculptum, & *Diana* summo artificio in tabula. Candelabrum quoque antiquum triangulare. Corpora trunca, *Herculis, Hermaphroditi, Apollinis, Bacchi, Fauni.* In pilis duabus venatio *Meleagri*, & *Cacus* caudâ attrahens boves *Herculis*: in tertia labores *Herculis*, Capita quoque plurima in conclavi.

M. Agrippæ, *M. Catonis*, *M. Antonii*, *M. Bruti*, *Romuli*, *Cleopatræ* } Illustrium: { *Augusti*, *Tiberii*, *Vespasiani*, *Nervæ*, *M. Aurelii*, *Othonis*, *Hadriani* } Imperatorum.

Lucillæ item & *Antoninæ* Augustarum

Plurima item alia capita, tabulæque marmoreæ,

Apud *Iulium* quoque *Porcarium* tabulæ plurimæ, ut *Meleagri* venatio. In pariete Tabulæ quinque variis figuris ornatæ: ad dextram pugnantium imago: hinc *Taurus Europam* vehens.

Post arcus est antiquus & rudis, qui *Camillanus* hodie dicitur, & *Camillo* esse positus creditur. Est tamen, ut *Boissardus* hic tradit, sub Imperatoribus excitatus. Nuper dirutus permittente Pont. *Clemente* VIII. à Card. *Salviato*, cujus objacet Palatium & his crevit lapidibus.

In domo *Nic. Stagni* ad Arcum Camillanum *Hercules* est, leonina pelle & capræ tectus: nisi pedibus careret, nihil esset eo præstantius. Altera statua sive *Iovis*, sive *Neptuni*: summi utraque artificii, repertaque in Esquil iis ad Thermas *Titi*, qui locus vulgo *Le sette sale* nominatur in vinea *Stagnorum*. Alia ibidem antiquitatis rudera.

Apud *Leonardum* & *Iulium Sabinum* sculptores, icones marmoreæ, sed quia venditæ facile migrant, nescio an facile reperias. Apud illum erant *Hadrianus* Imp. & *Lucretia, Hercules* & nudus, & exuviis indutus

dutus leonis. *Cæsaris* & *Octavii* caput, ac *Pyrrhi* Regis galeatum. *Faustina* item & *Galeria* Augustarum. Apud hunc vero *Ianus* bifrons, *Pallas*, *Livia* uxor *Augusti*, & *Iulia*, filia *Augusti*, *Galbæ*, *Septimii*, *Severi*, *Commodi*, & *Gordiani* capita, & *Faustinæ* duæ. *Bacchus* item elegans, & *Europæ* statua.

In domo *Fauli de Castro Sextatis* caput visitur *Galeriæ*, *Faustinæ*, *Veneris*, *Palladis*, & *Opis*, aliorumque.

Apud *Iacomellum* ad *I. Magutum*, *Atis* est pastor Idæus, trunco arboris innixus, tibiamque inflans. *Faunus* ore exerto ridens, hydram baculo percutiens mordicus uvam tenentem. *Medusa* item galeata, *Faustina* senior, & *Livia Drusilla*, uxor *Augusti*, mater *Tiberii* Aug. quem ex *Tiberio Nerone* primo marito susceperat. Capita ibidem *Iani* bicipitis *Corneliæ* uxoris *Pompeii*, *Iuliæ*, *Iulii* Cæs. filiæ & uxoris *Pompeii*, *C. Cæsaris*, qui *M. Agrippæ* & *Iuliæ* filius fuit.

Apud *Dominicum de Nigris* est *Copiæ cornu* statua, *Naïs* nympha dormiens, quæ sinistra in urnam recubat. Hanc ex aquæductu *Aquæ Virginis* esse putant. *Nar* fluvius seminudus illi adjacet, sinistra tenens *cornu Copiæ*, *Bacchus* hic pampinis vinctus, *Hercules* cum clava. Capita item illustrium virorum, ut *Neronis*, *Othonis*, & *Hadriani*.

Juxta *Arcum Camillanum* olim jacuit pes colossæus ingens, qui totius molem corporis facile indicat. Translatus, opinor, est in Capitolium: ibi humi jacere videas.

Apud *Augustinum Rhegiensem*, & *Papyrium Papuzuccam*, imagines deorum, Imperatorum, & illustrium capita virorum plurima ostendebantur, quæ cum voluptate spectavimus.

Franc. de Aspera habet domi, quæ est ad *S. Magutum*, statuam *Copiæ*, & *Pomonæ*, vestitarum; *Bacchi* simulachrum, & *Aristidæ* Athenienſis.

Thomas sculptor duo habebat capita *Faustinæ*, duo

duo *Palladis* galeatæ, & *Silvani*.

PALATIUM *S.* MARCI per Viam latam accedes. Hic ſtatim labrum ingens apparet marmoreum, quale ad *S. Salvatoris* in lauro, quod in *Thermis Agrippæ* inventum eſt. Ad Templi portam *Faunæ*, vel ut alii, *Bonæ deæ* ſtatua. Palatium aſcendenti multæ occurrunt imagines, ſignaque marmorea. Tabulæ item cum ſacrificantium ritu. In Circo *Cleopatra* eſt, & mulieres circum plangentes, aliaque miranda.

Apud *Curtium Frangipanum* *Mercurius* erat petaſatus, *Cupido* alatus, & aries Phrygius. Capita deorum dearumque, ut *Iani*, *Iovis*, *Bacchi*: illuſtrium, *Marii Coſ.* *Auguſti* Cæſaris. *Hadriani*, *Antinoi*, *Lucillæ*, *Caracallæ* aliorumque larvæ.

Apud *Laur. Mancinum*, Tabula magni pretii, cui *Cupidines* inſculpti; leonis caput coloſſeum, rictu animal continens.

Hinc NERVÆ FORUM eſt poſt *S. Hadriani* Ædem, in ejus medio olim columna ingens ænea, totumq; forum ſtatuis plenum, quæ nunc alio tranſlatæ. Dictum & *Tranſitorium*, quod inde in *Forum* *Auguſti* atque Romanum tranſitus eſſet utrimque: unde & hodie Templum *S. Hadriani in trefori* nuncupatur. Hic & ejuſdem Imp. Palatium fuit, cujus ruinæ ad Turrim militiæ, & Templum *S. Blaſii*.

Hic & FORVM TRAJANI, inter *Capitolium*, *Quirinalem*, & *Forum* *Auguſti*, cinctum olim porticu magnifica, fulta ingentibus columnis, *Apollodoro* architecto. ibi multæ ſtatuæ, & imagines quædam. Arcus quoque triumphalis marmoreus, cujus hodie ne veſtigium quidem exſtat: ut ne porticus quidem, niſi quod ad Ædem *S. Mariæ de Laureta* columnæ duæ reliquæ ſunt porticus *Trajani*. Apparet ſolum, omnium inſtar, columna *Cochlis*, quæ Imperatoris majeſtatem populique Rom. oſtendit. Scripſit ea de re figuraſque æri inciſas exhibuit *Alfonſus Ciaconius*, homo Hiſpanus: cœlatæ enim ſunt in circuitu

res

res gestæ Cæsaris *Trajani* bello Dacico, aliisque militaribus expeditionibus. Alta est pedes CXXVIII. cum basi vero CXL. lapidibus structa est XXIV. tantæ vastitatis, ut opus videatur non ab hominibus sed à gigantibus perfectum. Singuli lapides gradus octo continent: per hos ascenditur. Lumen præbent fenestellæ XLIV. Nihil usquam terrarum admirabilius, nihil magnificentius. Erecta autem est, quemadmodum inscriptio ostendit, *ad declarandum quanta altitudinis mons & locus tantis operibus sit egestus.* Detentus vero bello Parthico Imp. columnam sibi erectam non vidit, sed rediens victor fluxu sanguinis moritur Seleuciæ. Syriæ Corpus Romam relatum, ossa cineresque in pila aurea recondita. In Foro hoc *Trajani*, Templa sunt S. *Silvestri*, S *Basilii* & S. *Martini*, quæ posita sunt à *Symmacho* Pontifice Max. *Bonifacius* quoque VIII. tres turres ibidem exstruxit, dictas hodie *Militiæ*, præsertim media, quod sint eo loco, ubi militum *Trajani* olim stationes fuissent.

MACELLUM DI CORVI. olim *Corvini* domus fuisse putatur. Juxta erat domus *Marci Macaronei.* Sub porta caput erat *Alexandri Magni.* In vase sculptus *Hercules*, virtutis ingressus viam. In horto equus bene ornatus, inventus in Thermis Antonianis. Et *Laocoontis* simulacrum, licet semiruptum, laudatum tamen à *Mich. Angelo.* Item *Appollinis*, *Dianæ Sphyngis.* & illustrium capita marmorea, *Romuli*, *Herstliæ* ejus conjugis, *Alexandri Magni*, *Iulii* & *Octavii* Cæsarum, *Marcelli* ejus nepotis; *Trajani*, *Hadriani*, *Antonini*, *Zoroastris* Astrologiæ inventoris, & denique *Antonini Caracallæ.* His ordine perlustratis ad hospitium tuum te conferas suadeo.

ITI-

ITINERIS ROMANI

DIES SEXTUS.

MONS ESQUILINUS.

A FORO *Nervæ* incipit *Saburra*, & sub *Carinis* extendebatur usque ad *Tiburtinam Viam*, quæ medias Esquilias dividebat. Vicus *Patricius* est dictus Vallis illa quæ est inter *Esquilias* & *Viminalem*, sic dictus, quod Patritii plurimi eam partem incolerent.

ESQUILIÆ; vulgo *l'Esquille*, dictæ ab excubiis, quæ ibi tempore *Romuli* collocatæ. Differt hic collis à *Cælio*. Via Lavicana; separatur à Viminali. Vico Patricio. Via Tiburtina, ut dixi, dividit medium *Collem Esquilinum*, quæ à *Saburra* extenditur ad Portam Mæviam. Tiburtina autem Via, priusquam ad *Marii* trophæa pertingas, dividitur, dextra versus *S. Ioannem Lateranum*, & cum Lavicana jungitur; sinistra vocatur *Prænestina*, tenditque ad *S. Laurentii* portam.

Via Tiburtina arcus est *Galieni* Imp. qui & à vicino Templo, *Viti* dicitur: constat è lapide Tiburtino, sed simplex est structura. Juxta erat *Macellum Livianum*, ubi obsonia vendebantur.

S. MARIAE MAJORIS hic Ædes est, auro marmoribusque ornata. Nititur columnis marmoreis Jonicis Arca hic seu labrum, quale ad *Pantheon*, *Isidi* olim sacrum Templum fuit. Sepulchrum ibi *S. Hieronymi*. Ostenditur imago *B. Mariæ*, quam *S. Lucas* depinxerit.

Propè est S. LUCAE Sacellum, juxta *S. Potentianæ*. In colle declivi fuit olim locus *Junonis*, prisca religione sacer.

In *D. Praxedis*, inscriptiones sunt, & columna cui alligatus CHRISTUS virgis est cæsus Jerosolymis allatam ajunt.

In Templo *S.* PETRI AD VINCULA, sepultus

Iacobus

Iacobus Sadoletus Card, sed titulus non exstat. Ad *Sacrarium*, sepulchrum *Iulii* II. Pont. Max. ubi *Moyses* ille à *Bonarota* sculptus, qui nulli antiquorum operum cedit. Alia ibidem antiqua & admiranda. Vas pro foribus marmoreum, quam magnum fere ad *S. Marcum* spectari diximus.

Hinc itur ad Templum QUADRAGINTA MARTYRUM: à quo usque ad Templum *S. Clementis* Via Lavicana *Esquilina* extendebantur, quæ ibi *Carinæ* dictæ.

Thermarum TITI VESPASIANI hic vestigia, sunt ædificia subterranea, quæ dicuntur *Le sette sale*: erant enim castella, seu aquarum receptacula, ad lavacra Thermarum necessaria. In proximis vineis *Feliciorum* fornices apparent, in quibus *Groteschorum* picturæ insignes: pertinebant enim concamerata hæc loca ad Palatium *Titi*. Hic reperta illa *Laocontis* statua integra, quæ est in Palatio Vaticano Pontificum, & cum summa admiratione quotidie spectari, ne dicam stupore, solet.

Ædes S. MARIÆ IN MONTIBVS à *Symmacho* Pont, structa in ruinis Thermarum *Hadriani*, unde & hodie *Adrianello* locus nominatur.

Ad Templum SS JULIANI & EUSEBII moles quædam lateritia alte attollitur, in qua fuerunt castella aquæ *Marciæ*. Supra posita erant trophæa *Marii*, hoc est, armorum spoliorumque congeries, arboris trunco alligata, posita bello Cimbrico è marmore in *C. Marii* honorem Quæ cum evertisset bello civili *Sulla*, restituta sunt à *C. Cæsare*. A tergo trophæorum in vineis magnæ ruinæ sunt Thermarum *Gordiani* Imp. juxtaque Palatium exstruxerat, in quo ducentæ erant duplici ordine marmoreæ columnæ. Præter murorum spondas tamen nihil hodie reperias, reliqua ornamenta in divitum ac Nobilium translata domos ac familias.

Ab his Thermis Via ad dextram, dicta *Lavicana*, tendit ad *Portam majorem*, ut hodie nominant quæ etiam

etiam habet inscriptionem. Inter hanc Portam quæ & hodie *S. Crucis*, olim vero *Navea* dicta est; & inter *Esquilinam*, quæ & vulgo *S. Laurentii*, à Templo quo ducit, ad mœnia conspicies ruinas amplæ basilicæ, quam *Augustus* nepotum nomine *Caii* & *Lucii* ædificavit. Restat adhuc fornix altissima. Vulgus corrupta voce, pro *Cajo* & *Lucio*, nominant *Galluccio*.

Juxta fuit olim PALATIVM LICIANVM, ubi post Templum *S. Bibianæ Simplicius* Pont. posuit: ad quod Palatium fuit *Ursus Pileatus*, locus sic dictus ab Ursi statua, quæ pileo tecta.

Secundum mœnia perge ad *Esquilinam* Portam, quam & *S. Laurentii* & *Tiburtinam* hodie nominari diximus, à Templo quod ei Martyri *Constantinus Magnus* ædificavit, antiquitate & religione clarum. In eo sunt monumenta vetera, tabulæ, & sarcophagi, præsertim figuris instrumentisque sacrificantium insigniti.

Hac porta sumptuoso aquæductu inducitur in Urbem *aqua Marcia*, quem *Q. Marcius* primum extruxit, post vetustate consumptum restituit *M. Agrippa*. Aqua vero deducta per millia xxxv. & per Esquilinam hanc Portam derivabatur ad Thermas *Diocletiani*, locaque vicina: salubris enim, & potui apta civibus. Inscriptum aquæductui legitur: IMP. CÆS. DIVI JVL. F. AVGVSTVS PONT. MAX. Cetera tu & lege & describe.

Ab altera hujus Portæ parte ingrediebantur aquæ, *Tepula* & *Julia*. Hujus scaturigo distat ab Urbe milliaria sex: *Tebula* undecim, quæ ex *Frescatino* agro oriebatur. His & *Anio* vetus jungebatur, qui è Tiburtinis montibus viginti millibus Romam perductus.

Super *Aniene* FONS est MAMMÆVS, sic dictus à *Julia Mammæa*, matre *Alexandri Severi* Imp. cujus impensis est restauratus. Hodie *Ponte Mammolo* hinc etiam appellatur.

Ab

Ab Esquilina I orta Via Prænestina *Prænestè* ducebat,& altera Lavicana ad *Lavicanas*, hoc est ad *Valmentonem* ferebatur.

Esquiliarum pars ad S. LAVRENTII IN FONTANA vocabatur *Virbius Civus*, ad quem lucus erat *Fagutalis*, iuxta quem *Servius Tullius* Rex Rom. sextus habitavit. Inde *Vicus* est *Cyprius* : qui & *sceleratus* dictus, quod à genero cæsus *Tullius* & per patris mortui corpus filia aurigam carpentum agere coëgit. Pertinebat autem usque ad *Busta Gallica*, sic dicta quod Galli Senones ibi cæsi, cremati, ac sepulti à *Camillo*. Locum hodie corrupta voce *Porto gallo* nominant, ubi structum Templum *S. Andreæ ad Busta Gallica*. In summo Vico sceleratо Palatium habuit *Cassius*, quod solo est æquatum, positumque *Telluris* Templum quod hodie *S. Tanti Leonis* est.

Templum S. GREGORII IN DAMASO ædificatum est in ruinis arcus triumphalis *Gordiani* Cęs. qui variis erat marmoribus insignis.

Ad S. AGATHÆ, ad radices Collis Viminalis fanum fuit *Silvani*, cuius adhuc durant vestigia.

ITINERIS ROMANI

DIES SEPTIMUS.

VIMINALIS COLLIS.

VIMINALIS collis adjacet *Esquilino*, ad mœnia in longum extensus, dictusque à *Iovis Viminalis* inibi Templo religiosè culto. Hinc & *Porta Viminalis* dicta, & *Nomentana*, quod *Nomentum* via ducat. Hodiè *Porta S. Agnetis*, ab ejus Templo, quod olim fuit *Bacchо* sacrum; in quo spectatur arca vastissima ex porphyro, qua nulla Romę major. Pueri vindemiam colligentes inscripti sunt. Falso vocant plerique *Sepulchrum Bacchi*.

VIA NOMEMTANA longius paulo PONS est NOMENTANVS, à *Narsete* eunucho sub *Justiniano* Imp. ut inscriptio docet structus.

Inter

Inter *Nomentanam* & *Salariam* pōrtas *Nero* Imp. habuit ſuburbanum, cujus adhuc apparent veſtigia. Donaverat *Nero* liberto,& in eo veritus ſupplicium pugione ſub papillam adacto,adjuvante *Sporo* liberto,mortem ſibi conſcivit.

Porta *Querquetulana* hodie clauſa manet. Juxta apparent mœnia quadrata. Reliquiæ ſunt caſtelli,in quo diverſabantur milites, qui cuſtodiæ *Diocletiani* Imp. erant deſtinati.

In dorſo Viminalis Thermæ ſunt *Diocletiani* admirandæ vaſtitatis,ac ſemidirutæ;nullæ tamen Romæ integriores. In his conſtituendis quadraginta Chriſtianorum millia per annos XIV. ſervili more dicuntur eſſe vexata. *Diocletianus* & *Maximianus* magno ſumptu inchoarant. *Conſtantinus* vero & *Maximianus* abſolverunt, dedicaruntque. Hodie locus dictus *alle Therme*, & ſubterraneus locus *Bocca di Therme*;receptaculum eſt aquarum, quæ ad lavacra erant neceſſariæ: *Dioclotianus* etiam Palatium adjecerat,quod teſtantur ruinæ,teſtudinataque ædificia, quæ ſuperſunt, baſeſque columnarum ibi repertæ.

Hic celebris illa fuit *Bibliotheca Ulpia*, in qua elephantini libri aſſervabantur:

Ad Thermarum dextram erant horti Card. *Bellaii* amœniſſimi,fructibuſque abundantes. In ambulacris ſtatuæ ſtabant, *Jovis*, *Apollinis*, *Orphei*, *Palladis Bellonæ*,*Vertumni*,*Antinoi*, aliorumque deorum, virorumque illuſtrium,baſibus impoſitæ.In contignatione vero duarum *Najadum Hebes*,*Vulcani*, *Ganymedis*, *Jonis*, *Appollinis*, *Sabinæ* uxoris *Hadriani*, *Lucillæ Fauſtinæ* junioris, &c.

Ad alteram Thermarum partem Templum eſt S. SUSANNÆ, olim ſacrum *Quirino*, *Romulus* enim *Proculo Julio* Alba redeunti, in cœlum tranſlatus, ibidem creditur apparuiſſe. Propterea divini illi ſunt à Senatu honores tributi, Templumque poſitum, ut deo. Et clivius qui ad arcum uſque Cōſtan-

tini pertinet, *Vallis Quirinalis* hinc dictus, quod *Quirinus Romulus Proculo* ibi occurrerit.

Olympiadis balnea sua habent vestigia non procul à Templo *S. Laurentii in Pane & perna*, vulgo *Panisperna*. Et hic *Decius* Imperator habuisse Palatium fertur.

S. IVDENTIANÆ Templum *Pius* I. Pont. precibus *S. Praxedis*, suæ sororis, constituit, ubi etiam ruinæ balneorum *Novati*.

In Templo S. LAVRENTII IN PANISPERNA lapis ostenditur marmoreus, religiose cultus, in quo *S. Laurentii* aflatum corpus & ustulatum repositum est à morte. Quale marmor & visitur in *S. Laurentio* extra muros. Sepulchrum hic quoque *Gul. Sirleti* Card. linguarum peritissimi.

A Templo *S. Susannæ* Via Quirinali horti, qui olim fuerunt *Rodolphi* Card. Carpensis: quibus nihil Romæ amœnius tunc fuisse *Ias Boissardus* audacter pronuntiat, imo ne in Italia quidem, aut *Neapoli*, quæ urbs hortis loci bonitate præstat: ut ne *Toletani* ibidem horti superent Carpenses. Statuæ hic multæ, ut amplius cxxxvi. idem numerarit: & certè erat *Rodolphus* ut doctus, sic & Antiquitatis amantissimus, vestigia partis secutus *Alberti Pii*, Carporum Principis, qui & in *Erasmum* doctè stylum strinxit. Fons hic, artis admirandæ, superare omnia videtur. Statuas, qua potero brevitate, recensebo: de situ non admodum laborans, quod transferri soleant signa, imo & migrare in alienas familias, pretio empta: Romæ enim cupide nimium quæruntur.

Ad portam primam *Medusæ* caput: ad secundam *Naturæ* simulacrum, variis animalium figuris, & florum: mammosæ: hieroglyphicum quid esse dixeris. Ad primos Palatii gradus *Sphynx* est, & *Æsculapius* è marmore. In corte *Hercules* clavæ læva innixus, cum exuviis leonis. *Senex* quoque ignotus cum sandaliis. *Pallas* quoque galeata, & propè *coluber* se insinuans, *Urania* hinc, & *Tragœdia* & quinque con-

tinen-

tinenter *Termini* seu *Herma*, interjectis matronis. *Pluto* insidens tricipiti *Cerbero*, & mulier è lapide subnigro.

In cœnaculi porta ad pastoris dormientis basim in scripto est:

At secura quies, & fallere nescia vita.

Ad fontis ingressum erat *Hercules*: continens manu mala Hesperidum: mox *Faunus* utrem premens. *Nejas* nympha somnolenta ad fontem dormit, puer pone adstans blandè idcirco arridet, ut hinc artificis divinum agnoscerres ingenium. Ex altera parte mulier vestita, cujus è vasculo aqua scaturit limpida. Super cisternam hinc inde *Pomona* & *Flora* stabant, ad dextram *Serapis* è lapide Numidico, basi variegatæ impositæ, ibidem & *Jupiter* pallio tectus: & capita *Medusæ Palladis*, & *Jani* bifrontis; & in tabula marmorea sculptus erat *Mithras* Persarum deus, mactans taurum. Ad cisternæ ingressum tabulam marmoream duo viri tenebant, cum his litteris ΑΓΑΗΒΟΛΩ ΚΑΙ ΜΑΔΑΚΒΗΛΩ. In hortuli ingressu, hinc *Pallas*, illinc mulier erat: in porta caput muliebre: & in tabula marmorea *Hercules* vi comprimens capillos mulieris quæ in serpentem desinunt. *Lernæam* paludem, ad quam Hydram *Hercules* vicit, plerique interpretantur. In horto *Pallas* altera vestita in urna, variis animalium figuris ornata. *Candelabrum* ingens triangulare, cum tribus figuris *Herculis*, *Faunæ*, & *Fortunæ*. Ad dextram *Apollo*, cui ad pedes anas erat. Alterum rursum candelabrum triangulare, cum suis figuris, & Votis *Jovi* & *Syriæ*. Ad ingressum vineæ *Nereis* nympha incumbens urnæ, sub qua raptus *Proserpinæ*, Hic *Terminus* biceps, *Domitiam* statua, cum leonis spolio, item *Palladis* & *Liviæ Drusillæ* matris *Augusti*: *Apollinis* tripodes duo benè elaborati, *Ledæ Apollinis*, *Hermaphroditi* & *Faunæ*, quæ est *Bonæ Deæ*, statuæ visebantur. In umbraculis arborum *Satyri* simulachrum & *leonis* egregium. Erant & variæ inscriptio-

nes Hujus *Albericipii* Card. Carpenſis Palatium eſt in Campo Martio, de quo infra dicemus.

Apud *Laurentium Rodolphi* fratrem videbatur & *Mercurius* petaſatus, alter item cum lyra *Hermaphroditus* cum cane, *Diana* ſuccincta ut venatrix, ſingulari artificio. *Bacchus*, & larvæ quatuor. Tabula marmorea in qua tres ſacrificantium habitu matronæ. Capita varia deorum & Impp. *Traiani*, *M. Aurelii*, *Catonis*, *Commodi*, *Hadriani*, *Antinoi*, *Antonini Pii*, *Septimii Severi*, *Scipionis Africani*, *Bruti*, *Bacchi*, *Herculis* cum leonis exuviis circa fauces religatis.

Inter hortos Carpenſes & *S Suſannæ* Templum via arcta & obſcura, ad quam ruinæ Templi *Solis* monſtrantur.

QUIRINALIS COLLIS

DICTUS à *Quiritibus*, qui *Curibus* urbe Sabinorum cum *Tatio* Romani migrantes Collem hunc occuparunt. Hodie *Monte di Caballo*, ab equis ſummi artificii, quos ibi ſpectari mox dicam. Dividitur autem à *Viminali* ea Via, quæ ducit ad Portam S. *Agnetis*.

In hoc monte horti ſunt magnificentiſſimi Ferrarienſis Card. quibus nulli Romæ arboribus ſplendidiores, ut & ſilvæ ſpeciem præbeant, & labyrinthi. Hac re vincunt Carpenſes hortos, ſed Antiquitatibus & Inſcriptionibus priſcis ſunt inferiores.

In dorſo Quirinales coloſſeæ ſunt duorum virorum ſtatuæ, qui frenis duos ingentes equos atque indomitos è marmore retinent. Baſi inſcriptum leges, opus eſſe *Phidiæ* & *Praxitelis*. Hinc monti nomen *Caballino*, Romam ferunt advectos à *Tiridate* Armeniorum Rege, & *Neroni* donatos: qui ut peregrinum Regem Romano exciperet ſplendore. Theatrum *Pompeii*, in quo ludos exhibuit, laminis aureis tridui tantum ſpatio, ſterni curavit. Quam magni-

magnificentiam non tam admiratus est rex Barbarus (nec enim Romam orbis opes advehi ignorabat) quam artificum solertiam atque diligentiam.

Prope est domus Religiosorum *S. Benedicti*, qui *S. Pauli* Ædis sacræ curam habent, & è regione ingens Palatium æstibus aptum à *Xisto* V. exstructum. Spectantur & altissimæ testudines, quæ sunt reliquiæ Oratorii *Neronis*, quod hortis adjunxerat. Frontispicium alte se extollit quod hodie vocant *Fronton di Nerone*. Hinc *Nero* spectavit Urbis incendium, quod per incendiarios clam ipse excitarat, & Christianis imputavit, ut in odium eos S.P.Q.R. adduceret: Edicto etiam publicato, ut qui Christum *Deum* faterentur, comprehensi & in Neronis hortis flammis excarnificati exurerentur.

In altera Quirinalis parte sunt arcus, fornices, & cellæ subterraneæ plurimæ; Thermarum nimirum reliquiæ *Constantini* Imp.

Qua *Saburrani* spectat Quirinalis, Sacellum adhuc exstat, in hortis *Bartholinorum*, fornicatum, tessellato opere ex conchyliis venustissime exornatum, variorumque figuris piscium. Id olim fuit *Neptuno* sacrum.

Vicinus ei locus est, qui hodie *Bagnanapoli* vocatur, corrupto vocabulo, ex *Balneis Pauli*, hæc enim *Paulus Æmilius* construi curavit: & Palatium Comitum (hodie *di Conti*) ex his ædificatum, & exiles hodie sunt reliquiæ. Turrim autem Comitum *Innocentius* III. Papa, qui ex hac familia erat, erexit. Altera Turris militiarum structa est à *Bonifacio* VIII Pont. Maximo.

In hac Quirinalis parte domus erat *Corneliorum*, à qua platea dicitur *il Vico di Cornelii*, & Templum S. SALVATORIS *di Cornelii*, quod olim *Saturno* & *Baccho* sacrum fuit.

A Templo S. *Salvatoris* Via ad Portam S. *Agnetis* per dorsum Quirinalis, olim dicta *Alta semita*. Ad cujus dextram, non procul S. *Vitali*, ædes *Pom-*

ponii Attici cum luco erant, teste Cornelio Nepote.

In extremo Quirinali & Viminali fuit SABURRA PLANA, & ad radices Viminalis Templum *Silvani*.

In Quirinali summo Templum fuit *Appollinis* & *Clatræ*, & Sacella *Iovis* & *Iunonis*, Capitoliumque vetus, quorum vestigium nullum.

Ad S. *Susannæ* olim Forum & domus Sallustii, qui locus hodieque corrupta voce *Sallustrico* dicitur. Horti ejusdem amœnissimi locum illum occupabant inter portam Salariam & Pincianam, colles & valles utrimque. In horum medio fuit aliquando obeliscus parvus hieroglyphicis Ægyptiorum notis signatus, & *Lunæ* dedicatur: nunc alio translatus.

In descensu Quirinalis versus Forum Nervæ turris est, hodie *Torremezza* dicta: creditur fuisse domus *Mecænatis* pars, ad cujus etiam hortos amœnissimos *Augustus* Cæsar sæpe, vitandorum negotiorum gratia divertit. Alii Templi partem faciunt, quod *Soli M. Aurelius* dedicavit,

Apud *Ascanium Margaritam*, non procul à Comitum turri, capita erant marmorea *Sabinæ* mulieris, *Alexandri Mammeæ* filii, *Hadriani*, *L. Veri Claudii* Imp. qui *Gallieno* successit, & *Bacchi* rubro marmore, & alterius pampinis revincti: pueri humeris urnam sustinentis. In tabula vir taurum conficiens, mirum opus. *Silenus* ebrius, Tabulæ item duæ, ubi *Hercules* rogo impositus spectatur. *Termini* duo, *Martia Otacilia* in solio sedens, sedens & *Iulia Mammea* vestita, Capita *Æsculapii*, & colossi, aliaque in Cœlio monte effossa.

Apud *Eurγalum Silvestrum*, ad Templum *Pacis*, *Bacchus* erat hedera coronatus, *Sabinæ* mulieres aliquot intus, capita *Iovis*, *Augusti*, & *Hadriani*; *Hercules*; *Diana* cum *Lunæ* cornibus, *Bacchus* alter pampinis redimitus, scyphum manu gestans, *Endymion*, *Antoninus Pius*; & quæ ad Gallica busta effossa sunt,

Ha-

Hadriani & *Antinoi* capita, *Palladis* quoque & *Augusti* Cæs. *Diana* succincta, cum pharetra ex humeris. *Pan* saliens, *M. Antonii* III. viri caput, *Cupidinis* pueri suavè ridentis, *Jovis Neptuni*, *Ledæ* cum cygno ludentis, *Herculis*, *Lucretiæ*, gladiatoris cum machæra; aliaque vetustatis miranda monumenta.

ITINERIS ROMANI
DIES OCTAVUS.

A BVRGO rursum per *Ælium pontem* adverso Tiberi, venies ad locum qui hodie *Ripeta* dicitur, ad *S. Blasii* Ædem, quæ olim *Neptuni* fuisse putatur, ab *Hadriano* Imp. instaurata & ampliata. Hic naufragi tabulas potenti maris deo suspendere solent votaque solvere.

In VALLE MARTIA ad Templum S. ROCHI Mausoleum Augusti apparet, ab *Octaviano* extructum sibi sepulchrum, posterisque è familia *Cæsarum*. Amphitheatrum enim seu Circum à *Julio Cæsare* ibi erectum sustulit, & cum sepulchro mutavit. Ambitus ferè adhuc integer est, opere per rhombos distributo.

In *Mausoleo* duo erant obelisci ex ophite lapide Ægyptio, pedes alti XLII. quorum unus in Via Flaminia fuit ante Templum *S. Rochi*, alter terra obrutus in hortis posterioribus.

CIRCVS vero JVLII CÆSARIS, quem diximus, ab hac Mole usque ad montis vicini radices erat. Juxta Palatium *Augustus* habuit, & porticum superbam; lucumque *Diis manibus* sacraverat, à Templo *B. Mariæ Populi* usque ad *Trinitatis*.

Sepulchrum *Marcelli* Mausoleo jungunt quidam, & vestigia monstrant; quæ tamen ad Mausoleum pertinere *Boissardus* opinatur.

Naumachiam quoque *Augustus* instituerat in depressiori parte Vallis Martiæ, quæ vergit ad Collem Hortulorum, in qua ludi fierent navales. *Domitia-*

nus eam vetuſtate collapſam reſtituit, nomenque ſuum dedit: qui & *Flaviæ* genti Templum ibidem collocavit, ubi hodie S. *Silveſtri* Templum eſt.

VALLIS MARTIA dicta eſt à *Campo Martio*, cujus pars erat depreſſior. Ejus locus à Tiberi verſus Collem Hortulorum, & ab area *Domitiani* in Via Flaminia, uſque ad Portam Flaminiam.

VIA FLAMINIA (hodie *El corſo*, à curſu animalium ac puerorum ſtato anni tempore) dicta eſt à *Cn. Flaminio* Coſ. qui Liguribus devictis eam ſtravit. Tenditque à Porta Flaminia (quæ olim etiam *Flumentana*, à Tiberi flumine cui adjacet, hodie *Porta del popolo*) *Piſaurum* uſque & *Ariminum*. Extra hanc horti ſunt Inſcriptionibus pieni, præcipue *Franciſci Ragaterii*, ſimulacris ornati.

Julius III. *de monte* Pontif. Max. prope Portam ſuburbanam prædium & vineam exſtruxit, quæ Romana omnia majeſtate ſuperat: & quemadmodum inſcriptio ait, *publicæ commoditati* fontem irriguum in viam derivavit. Colles autem poſſidet ad *Pontem* uſque *Malvium*, qui hodie *Ponte mole* dictus eſt:

Ingredientibus occurrebat vis magna illuſtrium virorum *Hirtii*, *Panſæ*, *Ciceronis*, *Cethegi*, aliorum. In area variæ icones. *Herculis*, *Ganymedis*, *Veneris*, *Appollinis*, *Dianæ*, *Opis*, *Æſculapii*, *Bacchi*, aliorumque, quæ in bacillis rite collocatæ ſtatuæ erant.

Fontem hic poſuit tanti artificii & ſumptus, ut neſcias artificemne an Pontificis celſum animũ admireris magis. Certe ſtuporem ſpectanti præbeat, typum architectis; & Rhetorum hic campus ſit deſcribendi ſingula, ut conatur Boiſſardus: ſed vidiſſe quam legiſſe magis juvat nec ſatiat. Inſcriptiones hic, ſed novæ, quibus Dominus carpendi modice, non furandi violandique facit poteſtatem; quas aut deſcribe, aut lege. Hic in vicinis collibus ædificia, ad æſtivas inambulationes; duo obeliſci, & pyramis altiſ-

altissima. Hortus hic Inscriptionibus plenus & marmoribus, in quibus est *Terminus* ex alabastro Orientali candidissimo, & *Suria* (sic enim Ægyptii *naturam* vocant) facie velo tecta, & in pectore animalia omnis generis gradus undique: significans, arcana naturæ ignorari, ex effectis animalium cognosci, & labore ad eam cognoscendam ascendi posse. Major hinc hortus est, vineis ac vitibus consitus, cum *Terminis* ingentibus, qui sunt *Herma*, à Græcis sic *Mercurii* nomine appellati, ut *Alcibiadis*, *Socratis*, *Aristophanis*, &c. quas *Tiburi* effossas statuas in *Hadriani* villa, Romam allatas fuisse, doctis assentior, ediderunt que imagines *Achilles Statius* Lusitanus, & bis *Fulvius Ursinus* Romanus, homo Antiquitatis omnisque adeo eruditionis princeps.

Ulterius TONS est MULVIUS Tiberi impositus, hodie *Ponte di Mole*: ad quem *Maxentium* Urbis tyrannum pugnando vicit *Constantinus*: qui ne in triumphum duceretur, equo in flumen se præcipitavit. In *Constantini* vero honorem Arcus erectus est, qui est inter Amphitheatrum (vulgo *Coliseam*, & Septizonium *Severi*.

Portâ Flaminiâ in Urbem reverso occurrit *Arcus Domitiani*, vulgo *Di Portugali* (à Lusitaniæ Legato, qui juxta habitarit) vel *Tripoli* dictus ad Templum *S. Laurentii in Lucina*. Rudis est fabrica, ingens tamen est hic *Domitiani* statua: præterea nihil; quam tamen alii *Claudii* Imp. esse volunt, eique arcum dedicatum.

Templum S. LAURENTII IN LUCINA, olim fuit *Junonis Lucinæ*, quam puerperæ venerabantur, si partum enixæ essent.

In ædibus *Pauli Ponti* Via Flaminia erat *aper Calydonius* à *Meleagro* cæsus: quod simulacrum quingentorum ducatorum pretio vendi non potuit, propter operis excellentiam. Ibidem *Hercules* cum spolio leonis; *Apollo*, *Pomona*, *Cupido*, *Silvanus*, *Diana* pharetrata, *Meleager* alter mu-

tilatus, *Pallas, Hermaphroditus Adonis*, *Nox* seminuda coronata ſtellis, *Atalanta* cum aprino capite, *Sinus* barbatus, hederaque redimitus. Capita hic *Poppæa* uxoris *Neronis*, *Druſi* fratris *Tiberii*, *Jovis*, pueri ridentis, & alterius galeati; duarum mulierum incognitarum, item *Jani* bifrontis; *Tigres* ænei duo. Hæc omnia inventa extra Urbem in vinea ad *S. Laurentii extra muros.*

Apud *Franc Aragonium* in eodem Vico Populi, varia monumenta viſebantur marmorea. Pueri item & *Najadis* nymphæ urnam tenentis, *Pomonæ* item, aliaque.

In domo, quæ fuit olim Card. *Sarmoneti*, coloſſea ſtatua viſebatur, & *Hercules* cum clava & leonis exuviis. ad cujus pedes jacebat tauras. Senex ſtolatus, & nymphia.

Apud *Ambroſium Lilium* ad radices Collis Hortulorum ſpectabatur Tabula pulchra Regis judicantis in tribunali: niſi forte contentio eſt *Nepiuni* & *Palladis*. *Hercules* quoque Juvenis jubis tenens caput equinum.

CAMPVS MARTIVS, qui olim extra mœnia erat, locus à Quirinali ad *Xiſti* pontem & Tiberim pertinens. In eo juventus Romana exercebatur armis ad bellum, & Comitia fiebant creandis Magiſtratibus.

Obeliſcus è regione Ædis *B. Mariæ Populi*, Portæque Flaminiæ ſpectatur, notis & litteris hieroglyphicis illuſtris. Olim medio in *Campo Marcio* erectus ſtabat, poſt prope Templum *S. Laurentii in Lucina* jacuit in cellis vinariis. Hunc *Auguſtus* Cæſar ex *Hierapoli* transferri Romam juſſit, cum aliis duobus, quos in Circo Maximo ſtatuit. Plinius aliam ſcribit ex. ped. & à *Marſydite* ſculptum, in eoque Philoſophiæ Ægyptiorum interpretationem contineri. Baſi inſcriptum legitur, quod & *Joſephus Caſtalio* J C. commentario Romæ explanavit:

CÆSAR DIVI. F. AVG.

PONT.

PONT. MAX. IMP. XII.
COS. XI. TRIB. POT. XIV.
ÆGYPTO IN POTESTATEM
P. R. REDACTA
SOLI DONUM DEDIT.

Apud *Antonium Paloſum* prope *Deganam veterem*, ſtatua fuit equi impingentis, multi artificii. Capita item *Druſi, Iuliæ Auguſti* filiæ *Galeriæ. Fauſtinæ* junioris, uxoris *M. Aurelii, Hadriani, Eruti* priſci, *Domitiani, Galliæ, Sabinæ*, & *Hadriani, Herculis* quoque, *Bacchi, Silvani*, & *Mercurii*, & in marmorea tabula *Tiberii* Cæſaris triumphus expreſſus.

Apud *Iacobum Iacobatium* mulieris ignotæ ſtatua. Capita *Hadriani, Nervæ*, M. *Aurelii, Antonini Pii, Scipionis Africani*, & gladiatoris. Deorum quoque *Iovis, Panis, Veneris* marmoreum, & alterum æneum, aliaque viſu digna.

Apud *Marcum Caſalem*, Antiquitatis perſtudioſum, ſtatua muliebris coloſſea, & viri altera; *Bacchum* eſſe alii putant, alii *Appollinem*, qui ibidem & integer eſt & pharetratus. Mulier copiæ cornu tenens. Sed præ cæteris elaboratiſſimum caput *Iulii Cæſaris* ſervat, quod pretio negat æſtimari poſſe: imo Capitis illius dominum (ne heredes venderent aut alienarent) domum cum hortis proximis poſſidere teſtamento juſſit. Clauditur itaque, ſervaturque in armario, peregrinis tamen oſtendunt heredes non inviti, ſi qui his delectentur Antiquitatis monumentis.

Forum habuit *Antonius Pius* Imp. in Campi Martii ea parte, quæ vulgo vocatur *Lapiazadi Sciarra* Altiſſimam hic columnam cochlidem idem erexit, altam pedes CLXXV. Feneſtellas habet LVI. quæ lucem intus præbent. Lapidibus confectam XXVIII. quidam volunt; at mihi non liquere pronuntio: gradus enim rupti ſunt, neque aſcenſus in ſuperiora, ut in ea quæ *Trajano* eſt dicata, patet. Exterius continet *Antonini* res geſtas, excellenti figu-

rarum ſculptura. Locus hodieque à Columna illa *in Colonna* appellatur.

Ad Templum S STEPHANI IN TRVGLIO, columnæ illæ undecim, reliquiq; ſunt porticus, quam in ſuo Foro M. *Antoninus Pius* ſtruxerat, Palatiõ ſuo conjunctam, quod ab hoc Templo *S. Stephani* uſq; ad *Panitheum* pertinebat.

Inter columnam *Antonini* & Fontem Aquæ Virginis erant *Septa Campi Martii*, ſic dicta, quia vallatus locus erat denſo tabulato, in quem populus Romanus conveniebat Magiſtratibus creandis ſuffragia laturus. *Ovilia* quoque dicta, ab ovium incluſarum ſimilitudine. Hæc Tribus in Comitiis conveniebant.

Collis ille editior inter Columnam & S. LAVRENTIVM IN LVCINA, hodie *Monte Acitorio* corrupte fortaſſe appellatur, quaſi *Mons citatorum*, in quem è Septis ſingulis Tribus poſt lata ſuffragia ſe recipiebant. In eodem Colle fuit *Curia publica*, qua hoſtium Legati accipiebantur, quibus Urbem ingredi non licebat, nec in *Græcoſtaſi* diverſari: quæ, ut dixi, fuit prope Comitium & Roſtra, ad Forum Romanum. In eo *Julius Antonius Sanctorius*, Card. *S. Severinæ* multis titulis dignus, Palatium modo exædificavit, ubi ingenii, prudentiæ ac probitatis ſuæ opera ſedulo cunctis exhibet, hæreticorum ipſe acerrimus hoſtis.

AQVÆ VIRGINIS fons eſt proxime, humili & depreſſo Aquæductu, per cuniculos & tubos à vicina pontis Salarii per Portam Collinam, ſub Hortulorum colle, & per Martium Campum influens: hodie *Fonte di trevi* vocatur. Hujus aquæductum inſtauraſſe *Nicolaum* V. Pont. titulus ibidem indicat: ſolaque hæc aqua de tot Aquæductibus olim tanto ſumptu in Urbem inductis, civium uſui ſuperſtes manſit.

Ad Populi Romani Septa, via erat fornicata, in qua Templum *Neptuni* & *Claudii* Amphitheatrum, cujus hodie nulla veſtigia.

Ad

Ad *Aquam Virginem* Templum quoque habuit *Juturnæ*, soror *Turni* Regis Rutulorum, nymphæ antiquitus inter *Napæas* habita, & inter *Indigetes*, quæ agrorum cultum juvare credebatur: unde nomen fere conditum

Domi *Jacobi Colonni de Jesi* statuæ stabant & Inscriptiones variæ. Juxta est Arcus è lapide Tiburtino, qui pertinet ad *Aquam Virginem*, cum hac Inscriptione: TI. CLAVDIVS DRVSI F. CÆSAR AVGVSTVS. Cetera tibi describe, ex fide tamen bona, ne quid peccet scriptura. In fonte hi versus leguntur, sub statua Nymphæ, quæ tamen ablata est:

Hujus Nympha loci sacri custodia fontis
Dormio, dum blandæ sentio murmur aquæ:
Parce meum, quisquis, tangis cava marmora, somnum
Rumpere, sive bibes, sive lavêre, tace.

Pompilius Narsa statuas habebat *Herculis* & *Veneris*, in vinea sua Collis Hortulorum repertas.

In Monte *Acitorio* ædes sunt *Gaudiorum* olim Card. *Gaddi*, Hic illustrium capita, & Augustorum, *Julii Cæsaris*, *Octaviani*, M. *Agrippæ*, *Septimii Severi*, *Getæ*, *Alexandri Mammeæ*, *Pyrrhi Regis Epiri*, *Claudii*, *Aureliani*, *Antonini Caracallæ*, *Philippi* Imp. è serpentino lapide viridanti. Statuæ item *Antonini Pii*, *Galeriæ*, *Faustinæ*, M. *Aurelii*, *Faustinæ*, junioris, *L. Veri*, *Trajani*, *Hadriani*. Rursum *Appollo* arcum tenens, *Cupido* dormiens in clava *Herculis* & leonis exuviis. Tabula hic ostendebatur limbo inaurato, cujus pretium ob marmoris excellentiam æstimari non poterat: aliaque κειμήλια gemmarum, & lapidum in Musæo servabantur.

Apud *Desiderium Urjacium*, ad *S. Magdalenæ* & *Pantheon*, *Dianæ* statua, vel *Orcadis* nymphæ, capreoli pellem tenens, & *Orpheus* mutilus, aliaque visebantur.

Apud *Antonium Gabrielem* ad *S. Mariæ supra Miner-*

Minervam, capita erant *Tiberii*, *Trajani*, *Germanici*, *Commodi*: *Hermaphroditus* item & *Druſius*, quem alii *Romulum* faciunt, in Thermis Antonianis repertus, cum *Remi* capite, quod ad Magnum Etruriæ Ducem miſſum ibidem caput *Pythagoræ* antiquiſſimum, *Catonis*, *Lucillæ*, *Otacillæ*, *M. Agrippæ*, qui *Pantheon* condidit: *M. T. Ciceronis*, *Bacchi*, *Cupidinis*, *Eratus* Muſæ, *Caſoniæ*, *Fauſtinæ*, *Termini*, *Satyri*, & reliquorum.

Præter cetera Romæ ſpectandum maxime Palatium erat Cardinalis *Rodolphi Tii Carpenſis*, in Campo Martio, de cujus hortis ſupra dicere memini in Quirinali. Liber foret, ſi quis omnia depingat, omnia colligat; quod utinam aliquis præſtet! Nos receuſebimus pauca de multis. In hortulo *Termini* quinque, *Nilus* cum crocodilo. *Nar* fluvius; matrona brachium ſerpente implicatum habens, quam *Cleopatram* quidam putarunt. Muſæum illi triplex. In primo ſimulachra *Apollinis*, *Dianæ*, *Cereris*, *Atys* paſtoris Idæi, & aliorum. Urnæ ex cocto lapide toto Palatio inter ſtatuas appoſitæ, aſpectu pulchræ. Libri duobus locis antiquiſſimi in membranis ſcripti, Græci, Latini, Hebræi, Arabici. Ad dextram capita *Galeriæ Fauſtinæ*, *Juliæ* Cæſaris *Auguſti* filiæ, *Antoniæ*, *Cupidinis*. Inſcriptiones marmoreæ variæ; Tabula una è lapide biſalthe nigro & denſiſſimo, notis Ægyptiis illuſtris. Ad lævam capita *Juliæ Mammeæ*, pueri ridentis, mulieris ornatæ ca'antica, vel mitra Syria; *Herculis*, *Faunt*. Inſcriptiones rurſum plurimæ: *Alexander Magnus* in tabula, cum puero alato. *Canopi* caput ex lapide Ægyptio viridi, & *Jovis Ammonis*.

In ſecundo Muſæo Vaſa omnis generis, capita *Antonini Caracallæ*, *Juliæ Titi* filiæ, *Galbæ Numæ*, *Pompilii*, *Domitiani*, *Septimii Severi*, *Philippi* Imp. & aliorum. Libri rurſum antiqui, cum in membranis ſcripti, tum in papyro Ægyptia. Inſcriptiones quoque & Epitaphia pretioſa in lapidibus. Tabula

gran-

grandis marmorea cum Græca inſcriptione. Hic puer ſedens & *Alexandri Magni* quali morientis caput. Item *Bruti* caput. hoc addito elogio:

Quæ tibi cumque mei potuerunt pignora nati
Nata dari, populo ſunt ſacramenta data:
Et volui majora nimis ſed cura meorum
Fida cui prohibet me cinerem eſſe rogi.

Ad dextram portæ, *Venus* erat, cujus artificium ſuperabat reliqua omnia quæ Romæ ſunt: neque abs re (nec enim integra) credebatur eſſe *Venus Gnidia*, celeberrima veterum ſcriptis. Juvenis quoque non minoris artificii cum muſculis, adeo elegans, ut artificum oculos non ſatiet. In coenaculo coloſſeum mulieris caput, & *L. Veri*, juvenis, & adulti, *Poppeæ Sabinæ*, *Hadriani*, *Annii Veri* & Græci hominis, *Termini* ex marmore hæmathite, *Satyri*, *Cupidinis*. Hic & præſtantiſſimorum Italiæ pictorum imagines conſpiciebantur, *Raphaelis Urbinatis*, *Michaelis Angeli Bonaroti* & aliorum. Marmora quoque inſcripta variis & characteribus & linguis,

In tertio Muſæo pulchro ordine erant capita virorum illuſtrium ſeptuaginta ſex, quorum tredecim majora ſummi artificii, ex Orientali marmore candidiſſimo, unum *Veneris*, duo vetularum, totidem *Herculis*, unum *Palladis*, &c. Hic & *Satyrus* & puer plorans quibus nihil tota Urbe eſt elaboratius. Simulachrum oſtendebatur *Cybeles* ex marmore nigro Ægyptio, & *Syriæ* ſive *Naturæ* ex candidiſſimo, cum mammis & animalibus, facie tamen nigra. Item *Anubis* cynocephalus. *Terminus* hæc receptacula ſuſtinebat; *Hercules* item, *Satyrus* ex hæmathite lapide, cornu inflans. *Faunus* ſtatua & *Socratis*, rarum opus & admirabile. In vaſe æneo ſculpti pueri piſcantes. *Appollo*, & gladiator, aquila, taurus. &c. Hic & velut armamentarium omnis generis armorum. Illud affirmare poſſim, Romam nihil poſſidere magnificentius, nihil admirabilius, quam quæ *Rodolphus* Card. *Carpenſis*, vir doctus juxta ac humanus.

nus colligit utinam ea heredes ſervent, nec ut ſæpe fit, diſtrahant vel donent, exteroſve arceant, ne inſpicere poſſint ignaviâ vel odio adducti.

Apud *Dominicum Capotium*, in plateæ *Siarræ* principio, varia ſimulacra erant: *Palladis* veſtitæ, & *Dianæ*: capita *Iunii Bruti*, qui *Tarquinium* Roma exegit, *Octavii Auguſti*, *Maximi*, *Hadriani*, *Antinoi*, *Septimii Severi*, *Iuliæ Mammeæ*, *Alexandri Severi*, *Cleopatræ Veneris*, *Herculis*, *Apollinis Sileni*, pueri plorantis, *Iani* bifrontis, Parthorum Regis captivi, & *Bacchi* inſidentis vaſi. Quæ omnia reperta in vinea ejuſdem *Dominici* extra Portam *S. Ioannis*, qui locus dicitur vulgo *Baſilicolo*.

COLLIS HORTULORUM

EXTENDITUR ab Æde *S. Silveſtri* uſq; ad Portam *Pincianam*, ſive *Collinam*, ſecundum Urbis mœnia; quamvis & alii ejus magnitudinem producant uſque Portam Flaminiam. In hoc colle *Pincius* Senator olim magnificentiſſimè habitavit, unde collis & Porta vicina *Pinciana* dicta. Domus ejus veſtigia in mœnibus apparent. In eodem colle & *Domitiæ* gentis ſepulchrum fuit, quo conditus & *Nero* Tyrannus. In ſummo Colle concameratio eſt ſeu fornix, aut arcus, pars Templi *Solis*: juxta humi jacebat obeliſcus ex lapide Thaſio factus cum titulo: SOLI SACRUM.

Templum S. TRINITATIS, Monachorum Gallorum Minimorum, à *Ludovico* XI. Gall. Rege conſtructum, in quo Cardinalium aliquot ſepulchra, & M *Ant. Muretti* hominis diſertiſſimi, ad ſummam Aram cernas, & magni Cardinalis *Carpenſis*, cujus titulus eſt

RODULPHO PIO CARD. CARPENSI, PRINCIPI SENATUS AMPLISSIMI, ECCLESIÆ DEI MUNERIBUS SINGULARI PRUDENTIA PERFUNCTO, JURIS ECCLESIASTICI DEFENSORI, A GRATIA, TERRORE, VOLUPTA-

PTATVM ILLECEBRIS, ET DIVERSIS SENSIBVS ÆQVE INVICTO, AD BENEFICENTIAM NATO, IN SVMMA GRAVITATE JVCVNDISSIMO, IIVS V. PONT. MAX. SALVTARIS OFFICII IN CVSTODIA CATHOLICÆ VERITATIS CONSORTI, PERPETVIS DE CHRISTIANA REPVBLICA SENSIBVS STVDIISQVE CONJVNCTISSIMO, HOC AMORIS JVDICII SVI MONVMENTVM P. ANNO SALVT. M. D. LXVIII. OBIIT ANNO M. D. LXIV. NONAS MAJAS.

Ad *Collinam Portam*, non procul à Templo S. *Susannæ Saluſtius* hortos, ut dixi, amœniſſimos habuit, atque ædes, quarum ruinæ ſpectantur, in valle, qua itur ad Salariam. Horti porrigebantur per colles inter Portam Pincianam & Salariam. Obeliſcus hic quoque fuit nunc alio tranſlatus, non adeo magnus. *Lunæ* ſacer, hieroglyphicis ſignis notatus. Locus nomen fere retinet *Soloſtrico*.

Campus SCELERATVS, ſeu *Via ſceleratæ*, in qua Virgines *Veſtales*, quæ ſtupro violatæ eſſent, vivæ defodiebantur, erat à Porta Collina ſub ædibus & hortis Saluſtianis uſque ad Portam Salariam.

Salaria Portâ, quæ & *Quirinalis*, *Collina*, & *Agonalis* dicta digreſſo ad ſiniſtram viæ Salariæ ruinæ ſe offerunt Templi *Erycinæ Veneris*, quæ à matronis Auguſto menſe colebatur, ut *Verticordia*, quæ maritos uxoribus conciliaret. Hic & ludi Agonales fiebant, unde etiam portæ nomen.

Tertio ab Urbe lapide pons eſt *Anieni* impoſitus, integer adhuc, à *Nerſete*, ut Inſcriptio longa docet. Ad hunc pontem ferunt *Annibalem* imbrium inundatione perterritum, ſoluto obſidio caſtra moviſſe ab Urbe. Hic inferius Tiberi *Anio* miſcetur, ibique *Torquatus* gigantem Gallum ſuperavit, & à collo torquem aurem detraxit, unde & *Torquati* nomen adhæſit. Obſervandum, Tiberinam aquam multis annis

annis incorruptam ſervati ſolitam, ſuaviſſimam & ſaluberrimam, quoties hauritur paulo ſupra Urbem uſque ad mare. Accidit hoc ex miſtione *Tiberis* cum *Aniene*; quoniam hic aquas habet multo infectas nitro, quod ne putreſcat prohibet. Quippe *Tiberim* ſupra *Anienis* oſtia accolunt utriuſque aquas Romano more, ne corrumpantur, miſcent. Inter *Anienis* arenas leguntur amygdala, aniſum, feniculum, aliaque in petram verſa, ut in Romanorum conviviis in deliciis ſint, ludantque arripientes, putantes ſe dulciaria tragemata arripere, vocanturque paſſim *Confetti de Tivoli*. Superioribus quoque annis corporis cadaver humani cæſum, & in flumen *Anienem* projectum, arboris radici adhærens, in lapidem converſum eſt, & à putrefactione alienum, ut *Titus Celſus*, Patricius Romanus, à ſe viſum affirmat.

Ad Salariam Portam Templi *Honoris* reliquiæ ſunt: item ſuburbanæ domus *Neronis*, ubi *Sporo* liberto adjuvante, adacto ſub papillam pugione ſeſe interemit, cognito ſe à Senatu ad pœnam quæri.

In Urbe ad vallem Collis Hortulorum, & Quirinalis radices, Templum eſt *S. Nicolai de Archemoriis*, ſic dictum, quia olim eo loci Forum fuit Archemorii.

Rurſus ad Hortos Carpenſes cameræ ſunt, & fornices longo ordine. Alii minii officinas, quæ ibi ad Circum fuerunt, fuiſſe putant: alii meretricum ſeptem, Floralibus ludis, qui *Floræ* in Circo fiebant.

Ad Templum DVODECIM APOSTOLORVM leo marmoreus erectus eſt, ſingularis artificii opus. In æde *Columnarum* marmor *Meliſſæ* mulieris, ut habet inſcriptio, oſtendebatur.

Ad S. MARIAM IN VIA, apud *Franc. Aragonium*, in hortulo ad fontem Nilus erat ſiniſtrâ innixus crocodilo, utrimque duæ ſtatuæ togatæ. Hinc capita plurima, rurſum viginti quatuor capita, altero hortulo.

Apud

Apud *Hieronymum Frangipanem Cupido* alatus: ſtatuæ quatuor & *Hercules*. In pila, ſive arca ſculptum erat *Judicium Paridis* de formæ præſtantia *Junonis*, *Palladis*, ac *Veneris*. Mulier item larvam tenens, &c.

Apud *Hieronymum Celottum* ad S. *Mariam in via*, Nympha erat dorſo monſtri marini inſidens: *Doriden* alii, alii *Galateam* faciunt. Tabula marmorea cum tauris duobus, quos viri duo cornibus retinebant. Altera in tabula *Jupiter* cum apro quem canis tenebat. *Victoriæ* quoque deæ ſignum: Inſcriptiones item, & marmora varia.

Buffalorum ædes ſub Quirinali, parvę quidem, ſed refertæ monumentis Antiquitatis. Signa hic *Apollinis*, *Veneris* cum *Cupidine*, *Jovis*, *Junonis*, aliorumque deorum. Capita *Jovis*, *Palladis*, *Apollinis*, *Martis*, *Herculis*, *Mercurii* & *Æſculapii*. Hortulus optimè conſitus erat exoticis arboribus. Palmæ multæ quidem Romæ, ſed dactylos tantum ferunt in hortis S *Mariæ populi*, & *Tranſtiberinæ*, Erant hic arborum intervallis coloſſeæ ſtatuæ *Cerberi* tricipitis & *Tigridis*. Statuæ *Dianæ*, *Pomonæ*, Sacerdotis *Flaminis*, *Veneris*, *Herculis*, *Sabinæ* mulieris, Perſæ ſervi è lapide pretioſo. In cubiculo. *Marii* ſepties Coſ. *Tiberii*, M. *Aurelii*, *Commodi Maximini* Auguſtorum, Græci alicujus illuſtris. *Scipionis Africani*, *Hadriani* Imp. mox *Herculis Veſpaſiani*, M. *Aurelii*, *Getæ* Imp. *Antonini Pii* duæ ſtatuæ, *Lyſiæ* quoque Athenienſium Oratoris, hoc titulo ΛΥΣΙΑΣ. Ad horti extremum tabula marmorea, in quâ tres *Charites* expreſſę. Fons horto erat additus ex tophis marinis efformatis affabrè in ſpeciem rupis naturalis, tantæ pulchritudinis, ut nihil ſpectari potuerit elegantius. Conchylia hic pretioſa, margaritarum ſplendore, & cochleæ Indicæ, colore iridis, & unionum. Rupes arboribus integebatur atque inumbrabatur. Tres hic *Muſæ*, & *Caracalla* Imp. In loculis vero repoſiti ſtabant, *Demetrius*, *Maximinus*, *Philippus*, *Claudius*. Per tubos

bos aquas rupes ejaculabantur limpidiſſimas. Lapidum hic varia genera, teſſellato opere. Opus ſane admirandum & mirum quidem, ſed pulchritudine par fonti *Iulii* III. Pont. in vinea extra Portam Flaminiam, de quo fonte initio hujus dici agere meminimus.

DE COEMETERIIS URBIS ROMÆ.

Ex ONUPHRIO PANVINIO.

CAP. IX.

COEMETERIUM omnium vetuſtiſſimum OSTRIANUM, Via Salaria, ad tertium ab Urbe lapidem, in quo *B. Petrus* Apoſtolus baptizaſſe dicitur, de quo Protonotarius S.R.Eccl. in Actis Liberii Papæ c. 3. ſic ait: *Erat non longè à Cœmeterio Novella, ad tertium milliarium ab Urbe, Via Salaria, Cœmeterium Oſtrianum ubi Petrus Apoſtolus baptizavit.*

Cœmeterium VATICANUM juxta Templum *Apollinis*, & *Neronis* Circum, Via triumphali ſitum in hortis Neronianis, ubi nunc eſt Baſilica S *Petri*. Hoc cœmeterium præter ſepulchra habebat fontem Baptiſmi, qui non omnibus cœmeteriis communis erat.

Cœmeterium AD NYMPHAS, in prædio *Serepæ*, Via Nomentana, lapide ab Urbe inter ſeptem & octo, in quo ſepulta fuerunt corpora ſanctorum martyrum *Alexandri* Papæ, &c.

Cœmeterium vetus, à Papa *Calliſto* ampliatum, ex ejus nomine CALISTI appellatum eſt, Via Appia lapide ab Urbe ſecundo, ſub Baſilica S. *Sebaſtiani* ſitum: in eo cœmeterio erant *Catacumbæ*, ubi aliquando jacuerunt corpora ſanctorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*.

Cœmeterium S. SOTERIS Papæ Cœmeterio *Calliſti* vicinum fuit.

Cœme-

Cœmeterium S. ZEPHERINI Papæ Via Appia, prope Catacumbas, & Cœmeterium *Calliſti*.

Cœmeterium CALEPODII Preſbyteri, Via Aurelia, lapide ab Urbe ſecundo, extra Portam Janiculenſem, prope Eccleſiam S. *Pancratii*.

Cœmeterium S. PRÆTEXTATI Presbyteri, Via Appia, lapide primo obeuntibus per Diverticulum ſiniſtrorſum; ubi fuit *Urbanus* Papa ſepultus.

Cœmeterium S. TONTIANI Papæ, non longe à ſanctis *Abdon* & *Sennen*

Cœmeterium CYRIACÆ, in agro Verano, in Eccleſia *S. Laurentii extra muros*.

Cœmeterium LUCINÆ, Via Aurelia, extra Portam *S. Pancratii*.

Cœmeterium AERONIANI, Via Latina, haud longe ab Urbe, in quo ſepulta eſt *S. Eugenia*.

Cœmeterium S. FELICIS Papæ, Via Aurelia, milliario ab Urbe, adjunctum eſt cœmeterio S. CALEPODII, prope *S. Pancratium*, extra Portam Janiculenſem.

Cœmeterium PRISCILLÆ, alias S. MARCELLI Papæ. Via Salaria veteri, in cubiculo claro juxta cryptam *S. Crescentionis*, lapide ab Urbe tertio à *S. Marcello* Papa dedicatum.

Cœmeterium S. TIMOTHEI Preſbyteri, Via Oſtienſi, intra Baſilicam *S. Pauli*.

Cœmeterium NOVELLÆ, Via Salaria, ab Urbe Roma milliario tertio.

Cœmeterium BALBINÆ, alias S. MARCI Papæ, inter Vias Appiam & Ardeatinam, juxta Baſilicam *S. Marci* Papæ.

Cœmeterium S. JULII Papæ, Via Flaminia, prope Eccleſiam *S. Valentini*, extra muro urbis, adhuc extat in vinea Fratrum Eremitarum S. Auguſtini.

Cœmeterium S. JULII Papæ, Via Aurelia.

Cœmeterium S. JULII Papæ, Portuenſi Via.

Cœ-

Cœmeterium S. DAMASI Papæ, inter Vias Ardeatinam & Appiam.

Cœmeterium S. ANASTASII Papæ, intra Urbem Regione quinta Esquilina, in Vico Ursi pileati, prope Ecclesiam S. *Bibianæ*.

URSVS PILEATVS, juxta Palatium Licinianum ad Portam Taurinam, in Via Tiburtina.

Cœmeterium S. HERMETIS, alias DOMITILLÆ, factum à *Pelagio* Papa Via Ardeatina.

Cœmeterium S. NICOMEDIS, Via Ardeatina, lapide ab Urbe septimo.

Cœmeterium S. AGNETIS. Via Nomentana.

Cœmeterium S. FELICITATIS, Via Salaria:

Cœmeterium JORDANORVM, ubi *Alexander* fuit sepultus.

Cœmeterium S. NEREI & ACHILLEI, Via Ardeatina, in prædio S. *Domitillæ*, lapide ab Urbe secundo.

Cœmeterium FELICIS & ADAVCTI, Via Ostiensi, milliario ab Urbe secundo.

Cœmeterium TIBVRTII & VALERIANI, Via Lavicana, tertio ab Urbe lapide.

Cœmeterium MARCELLINI & PETRI, Via Lavicana, juxta Basilicam *B. Helenæ*.

Cœmeterium MARCI & MARCELLIANI, Via Ardeatina.

Cœmeterium JANVARII, restauratum à *Gregorio* III.

Cœmeterium S. PETRONILLÆ, ornatum à *Gregorio* Papa, Via Ardeatina.

Cœmeterium AGATHÆ ad *Girolum*, Via Aurelia.

Cœmeterium URSI, ad *Portensam*.

Cœmeterium GARDIANI, Via Latina.

Cœmeterium INTER DVAS LAVROS, ad S. *Helenam*.

Cœmeterium S CYRIACI, Via Ostiensi.

Astulfus Longobardorum Rex, multorum corpora

pora Sanctorum effodiens circa Romam, eorum cœmeteria subvertit.

Paulus & *Paschalis* Papæ, multa corpora Sanctorum quę in dirutis cœmeteriis jacebant, intra Urbem in Ecclesiis S. *Stephani* S. *Silvestri* & S. *Praxedis* collocarunt.

Cœmeteria in quibus erant privatorum sepulchra marmorea, lateritia, & loculos habentia, in iis Christiani sepeliebantur.

Ex sepulchris quædam fuerunt hereditaria, quædam donatitia.

Cœmeteria loca erant Christianorum sepulturæ speciatim assignata.

STATIONES ROMANÆ

AD TEMPLA SANCTORVM.

MAGNIS PONTIFICUM INDULTIS.

DOMINICA ADVENTUS.
- PRIMA, ad *S. Mariam majorem.*
- SECVNDA, ad *S. Crucem in Ierusalem.*
- TERTIA, ad S. *Petrum.*
- FERIA IV. QVATVOR TEMPORVM, ad S. *Mariam majorem.*
- FERIA VI. ad *SS. Duodecim Apostolos.*
- SABBATO ad *S. Petrum.*
- QVARTA, ad *SS. Duodecim Apostolos.*

IN VIGILIA NATIVITATIS, ad *S. Mariam majorem.*

NATIVITATIS DOMINI MISSA
- PRIMA, ibidem ad *Præsepe.*
- SECVNDA, ad *S. Anastasiam.*
- TERTIA, ad *S. Mariam majorem.*

IN

IN FESTO
- S. STEPHANI. ad S. *Stephanum*, in Cœlio monte.
- S. JOANNIS APOST. ET EVANG. ad S. *Mariam majorem.*
- SS. INNOCENTIVM, ad S. *Paulum.*

IN CIRCVMCISIONE DOMINI, ad S. *Mariam trans Tiberim.*

IN EPIPHANIA DOMINI, ad S. *Petrum.*

DOMINICA IN
- SEPTVAGESIMA, ad S. *Laurentium extra muros.*
- SEXAGESIMA, ad S. *Paulum.*
- QVINQVAGESIMA, ad S. *Petrum.*

FERIA
- IV CINERVM, ad S. *Sabinam.*
- V. ad S. *Georgium.*
- VI. ad SS. *Joannem & Paulum*
- SABBATO, ad S. *Tryphonem.*

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ, ad S. *Joannem in Laterano.*

FERIA
- II. ad S. *Petrum ad Vincula.*
- III. ad S. *Anastasiam.*
- IV. QVATVOR TEMPORVM, ad S. *Mariam Majorem.*
- V. ad S. *Laurentium in Panisperna.*
- VI. QVATVOR TEMPORVM, ad SS. *duodecim Apostolos.*
- SABBATO, ad S. *Petrum.*

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ, ad *Mariam in Dominica.*

FERIA
- II. ad S. *Clementem.*
- III. ad S. *Sabinam.*
- IV. ad S. *Ceciliam.*
- V. ad S. *Mariam trans Tiberim.*
- VI. ad S. *Vitalem.*
- SABBATO ad SS. *Marcellinum & Petrum.*

Do-

DOMINICA III QVADRAG. ad *S. Laurentium extra muros.*

FERIA
- II. ad *S. Marcum.*
- III. ad *S. Potentianam.*
- IV. *S. Sixtum.*
- V. ad *SS. Cosmam & Damianum.*
- VI. ad *S. Laurentium in Lucina.*
- SABBATO, ad *S. Susannam.*

DOMINICA IV. QVADRAGES. *Lætare Jerusalem.* ad *S. Crucem in Jerusalem.*

FERIA
- II ad *SS. Quatuor Coronatos.*
- III. ad *SS. Laurentium in Damaso.*
- IV. ad *S. Paulum.*
- V. ad *SS. Silvestrum & Martinum.*
- VI. ad *S. Eusebium.*
- SABBATO ad *S. Nicolaum in carcere.*

DOMINICA IN PASSIONE, ad *S. Petrum.*

FERIA
- II. ad *S. Chrysogonum.*
- III. ad *S. Cyriacum.*
- IV. ad *S. Marcellam.*
- V. ad *S. Appollinarem.*
- VI. ad *S. Stephanum in Monte Cœlio.*
- SABBATO ad *S. Joannem* ad *ante Portam Latinam.*

DOMINICA PALMARVM, ad *S. Joannem in Laterano.*

MAJORIS HEBDOMADÆ FERIA
- II. ad *S. Praxedem.*
- III. ad *S. Priscam.*
- IV. ad *S. Mariam majorem.*
- V. IN COENA DOMINI, ad *S. Joannem in Laterano.*
- VI. IN PARASCEVE. ad *S. Crucem in Jerusalem.*
- SABBATO SANCTO, ad *S. Joan. in Laterano.*

DOMINICA RESVRRECTIONIS DOMINI, ad *S. Mariam majorem.*

FERIA
- II. ad *S. Petrum.*
- III. ad *S. Paulum.*
- IV. ad *Laurentium extra muros.*
- V. ad *SS. Duodecim Apostolos.*
- SABBATO IN ALBIS, ad *S. Joannem in Laterano.*

DOMINICA IN ALBIS, & Octava Paschæ, ad *S. Pancratium.*

IN FESTO ASCENSIONIS, ad *S. Petrum.*

IN VIGILIA PENTECOSTES ad *S. Ioan. Laterano.*

DOMINICA PENTECOSTES, ad *S. Petrum.*

FERIA
- II. ad *S. Petrum ad Vincula.*
- III. ad *S. Anastasiam.*
- IV. QVATVOR TEMPORVM, ad *S. Mariam majorem.*
- V. ad *S. Laurentium extra muros.*
- VI. ad *SS. Duodecim Apostolos.*
- SABBATO, ad *S. Petrum.*

Stationes QVATVOR TEMPORVM in Septembri.

FERIA
- IV. ad *Mariam majorem.*
- VI. ad *SS. Duodecim Apost.los.*
- SABBATO, ad *S. Petrum.*

Reliquæ *Stationes* suis quæque diebus sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, ac Virginum, quorum in Urbe Templa sunt, magno piorum concursu frequentantur. Pontifice Max. vel Sacris operante, vel præsente, stipante etiam ingentis Patrum Purpuratorum atque Episcoporum caterva. Nunc eædem *Stationes*, animi relaxandi gratia, carmine legentur: amant enim alterna Camenæ.

EÆDEM
STATIONES ROMANÆ
QUADRAGESIMALI JEJUNIO.

Versibus à POMPONIO LÆTO redditæ

QVÆ tua præsidio Sanctorum crimina tolli
Quæsieris, voti, me duce, compos eris.
Festa Quadragenæ, nec sit grave, tempora serva.
Quæque dies veniam continuata dabit,
Primus Aventinum labor, est consendere montem
Audiat ut primas Diva Sabina preces.
Proximus, ut properes galeati ad Fana Georgi,
Hinc ubi Velabro sunt Fora juncta boum
Joannis Paulique colas hinc numina fratrum.
Inde Tryphon humili voce rogandus erit.
Mox suscunda genu Laterana Palatia flexo,
Templaque quæ Petri ferrea Vincla tenent.
Post ibi Anastasiæ sanctum venerabere numen,
Circa Palatinum suspicis unde jugum.
Hinc Major veneranda Parens, nix plurima Templi
Fixit ubi Icario sub Cane lapsa notam.
Atque tuas illa excipiat Laurentius aras,
Quæ Panispernæ est nomine nota, preces.
Datque pias votis duodenus Apostolus aures
Hic ubi Virginea campus obitur aqua.
Conspicuas opibus magnis ubi Julius ades
Struxit. Quarte tibi Sixte colende nepos.
In Vaticana est Petri veneranda potestas:
Huic dedit in terras jura superna Deus.
Hic veros CHRISTI referentia lintea vultus,
Et madida illius sanguine tela colos.
Hinc adeas Mariæ Templum, cui Domnica nomen;
Marmorea ante ipsas est ubi Cyerba fores.
Funde preces sacra pariter Clementis in Æde,
Stagna Nero abductis hic ultifecit aquis.
Et tibi Balbinæ visenda est virginis Ara,
Edita Aventini quam juga montis habent.

Cæciliæque *sacrum statuas trans Tiberis undas.*
Te vocat, & Christi Transtiberina *Parens,*
Vitalemque *roges, quà mons delivior ipsas*
Vergit in Esquilias alme Quirine *tuas,*
Et Marcellino ac Petro *communia quæras*
Templa, aderit precibus numinis uterque tui.
Te sacer hinc extra videat Laurentius *Urbem,*
Accessus toneat nec via longa tuos.
Inde colas Marcum, *cui cessa Palatia surgunt,*
Fundata auspiciis Paule Secunde tuis.
Est quoque Patricio veneranda Potentia *Vico*
Continuo Esquilias unde Sabaira videt.
Publica mox ubi jam populo Piscina patebit,
Optatam excepto det tibi Sixtus *opem,*
Fratresque cum Cosma Damiani *numen adora.*
Quorum sunt Sacra Fana propinqua Via.
Mox in Lucina Laurentius *ade colendus,*
Flaminia Domiti quà tegit arcus iter,
Suntque Quirine tui superanda cacumina montis,
Annuat ut votis casta Susanna *piis.*
Atque Crucis *Domini sacras accesseris Aras:*
Post ubi Sanctorum quattuor *ossa jacent.*
Et pete qua tollitur Damasi Laurentius *ade.*
Hic ubi Pompeji lapsa Theatra vides.
Rianusque novo sumptu nova Templa Raphael,
Marmoream pariter restituitque domum.
Trigemina per quam Tiberis petit ostia porta,
Esseret ad Pauli *maxima Templa pedem.*
Quaque tibi in summis fuerat Martine carinis,
Silvestro *nunc est ritè dicata dies.*
Fana quoque Eusebii, *Marii vicina Trophæis,*
Ad Prænestinam sunt adeunda Viam.
Nicoleonque, *ubi carcer erat Pietatis, & ades*
Marcelli, nec non juncta Theatra, coles.
Ecce autem Petrus *revocat tua vota precesque,*
Chrysogoni *orandum post tibi numen erit.*
Julittam *pro* Cyriaco Quiriumque *rogabit.*
Quis data sunt Nerva proxima Templa Fori.

Et

Et quod Marcello *posuit Lucina Sacellum*
In Lata tibi sit cura subire Via.
Mox in Flaminias pratis pete Apollinis *Ædem:*
Hæc Apolinaris *dicere metra vetant.*
Sphærica dehinc Stephani *studiosus Fana requiras,*
Cælius in summo mons habet illa jugo.
Joannis portæ *delubra propinqua* Latinæ
Sunt tibi non lento mox adeunda pede.
Expecta, subeas Laterana *Palatia rursus,*
Quem peperit sterilis factaque mater anus.
Confer in Esquiliis hinc te Praxedis *ad Aram,*
Prisca*que Aventino colle roganda tibi est.*
Inde Parens *iterum* major *tibi præbeat aures.*
Et Laterana *domus tertia vota ferat.*
Crux *repetenda etiam, cui Navia proxima Porta est*
Templa habeant quartas & Laterana *preces,*
Adjice præmissis Paschalia *festa diebus,*
Vt venia referas uberioris opem.
Curaque majorem *sit visere tertia* Matrem,
Tertius & Petri *Templa subire labor,*
Expedit & Paulum *geminato accedere voto,*
Est labor, at meriti gratia major erit.
Mœnia *te rursus videat* Laurentius extra,
Rursus Apostolica *est & venerandæ cohors,*
Pantheon *hinc adeas,* Mariæ *nunc Templa* Rotundę,
Clarum opus Agrippæ conspicuumque decus.
Joannesque *quater* Laterana *cultus in Æde,*
Expiat quintas, qua prius aure, preces.
Vltimus emerito Pancratius *ore rogetur,*
Et tua sic tolli crimina posse puta.

DE VATICANA BIBLIOTHECA SUMMI PONTIFICIS.

CAP. X.

BIBLIOTHECA Vaticana Pontificis quotidie à doctis hominibus merito frequentatur. Abundat

enim, refertaque est, si quæ alia in Europa, antiquissimis omnium disciplinarum artium que libris cum Græcis, tum Latinis ac Hebraicis, calamo in membranis olim exaratis, multis retrò sæculis accumulati à summis Romanæ Sedis Pontificibus, quibus colligendi libros servandique studium fuit, in tot bellorum civilium exterorumque calamitatibus, direptionibus, ac cladibus, quas ea Urbs à Barbaris gentibus accepit; quod utbium reginam extinctam cuperent.

Xystus V. Pont. Max. nostra memoria nuper mirificè auxit, ornavit illustravitq; picturis atque ædificio immenso: quod singulari poemate à *Gulielmo Blanco* Gallo, & Historica descriptione depingitur à P. *Anglo Rocho*, Episcopis. Schedis etiam nondum editis ab *Oniphrio Panvinio*, ejusdem Ordinis Eremitarum cum *Rocho*, Monachi pereruditi.

Illud summis votis optant atq; efflagitant docti viri. Pontificis Max. beneficio INDICEM librorum Græcorum Latinorumque bono publico edi atque evulgari. Sic enim fieret ut inflammati eruditi, qui ad veteres Scriptores illustrandos animum appellunt, frequentes Romam venirent: prodirent innumerabiles Auctores, qui vel latent in tenebris, lucemque nondum aspexerunt, vel longè depravatissimi, mutili, ac manci circumferuntur. Præstitit hoc *Augusta* vere Respub. *Vindelicorum* per Indicem invitatis eruditis hominibus, qui Græcos Patres, comparando vulgatas editiones cum MSS. illustrare vellent. Et Galliæ Regibus Christianissimis *Francisco* & *Henrico* II. quot quantosque scriptores Græcos cum historicos tum Theologos acceptos referam necesse est? at & Mediceæ bibliothecæ Reginæ matris, Magniq; Etruriæ Ducis: cui familiæ litteræ multum se debere libenter agnoscunt. Augustior vero longeque copiosior Pontificia est, imò Regia etiam Bibliotheca, quæ in Carpetanis Hispaniæ est ad *D. Laurentium*, quam & *Didacus Hurtadus*

Mex-

Mendoza, Cæsaris olim apud Venetos Legatus, accepta è media Græcia Græcorum librorum plena navi, mirificè ornavit.

Sunt & aliæ Romæ egregiæ Bibliothecæ, ut Collegii Canonicorum S. *Petri in Vaticano*; Cardinalis quoque *Gul. Sirleti*, libris Græcis plena, ut erat ille ad miraculum doctissimus: quæ nunc Bibliotheca viginti millibus aureorum æstimata, *Ascanii* Card. *Columnæ* est, paterque doctis hominibus. *Sforciana* quoque auctoribus Græcis manuscriptis abundat, & *Farnesiana*.

Taceo innumeras privatorum Bibliothecas rarorum librorum, rerumque pretiosarum; qualis est *Fulvii Vrsini* Romani, hominis utriusque linguæ doctissimi: & altera *Aldi Manutii*, *Pauli* filii, *Aldi* nepotis, qui nuper in medio vitæ decedens, octoginta millium librorum Bibliothecam à se collectam, Pisanæ Academiæ in Etruria testamento reliquit.

Illam quæ fuit Cardinalis *Sirleti*, viri in utraque lingua peritissimi, emit quatuordecim millibus aureis *Ascanius* Card. *Columna*, heros avitæ gloriæ in armis æmulus; quam & literatorum hominum patrocinio æquat, imò superat. Et ne temporum invidia consumatur, deputatis custodibus, & annuis ac largis proventibus, voluit custodiri & augeri.

Extra Romam Bibliothecas audio celebrari Ducum *Florentini* & *Vrbini*: Græcis illam, hanc Mathematicis refertam libris.

Medicea Bibliothecæ hic *Florentiæ* legitur titulus:

DEO PRÆSIDIB. FAMILIÆ DIVIS.
CLEMENS VII. MEDICES P. M.
LIBRIS OPT. STUDIO MAJOR. ET SUO
UNDIQUE CONQUISITIS
BIBLIOTHECAM AD ORNAMENTUM
PATRIÆ CIVIUMQ. SUORUM
UTILITATEM D. D.

Hanc Bibliothecam *Cosmus Medices* Tuscorum Ma-

gnis Dux perficiendam curavit anno Domini M. D. LXXI. III. Id. Julii.

Cosmus *in has ædes meliora volamina xίσμς*
Transtulit & primas quas habet orbis, opes,
Sic genuit tandem sterili de nomine Cosmus
Rem sibi cum mundo cœlitibusque parem.

Hic *Pandectæ* Juris civilis in membranis scriptæ asservantur, Pisis huc translatæ, quas ab antiquitate mirificè prædicant *Angelus Politianus* & *Petrus Victorius*, homines longè doctissimi, qui eos libros tractarunt, & hinc emendarunt infinita loca depravata: item v.c. *Antonius Augustinus*, vir sui sæculi & eloquentium Jurisconsultissimus, & Jurisconsultorum eloquentissimus, ut scripta testantur; aliique post Galli doctrinâ politi easdem Pandectas emendandi provinciam susceperunt.

Ad libri calcem ibi legitur: *Ego* Marsilius Ficinus *interfui dum hoc reperereiur Opus: idque manu propria scripsi, 9. Apr. anno Dom.* 1490. *Petro Bernhardo Bernhardæ sedente Vexilli fero Justitia.*

Sed Romam ad Vaticanam Bibliothecam tamquam in viam redeamus.

DE BIBLIOTHECA VATICANA

Ex non editis PANVINII.

GENTILES suos libros in Bibliothecis publicis & privatis consueviſſe asservare, ex eorum monumentis, & ex his quæ nuper scripsimus, facili conjectura possumus consequi, permultique tradiderunt. Ecclesiam vero Catholicam jam inde à primo post Christum exordio in præcipuis quibusdam locis Bibliothecas sacras habuisse, quibus studiosorum ingenia pascerentur, non est obscurum. Nam *D. Athanasius* in narratione *de persecutione Arianorum* in Ecclesia Alexandrina tradit, Bibliothecas in

Eccle-

Ecclesiis Christianorum fuisse, librosque magna cura conservatos: & in eo Arianorum impietatem acutavit, quod libros Ecclesiæ ereptos indignissime combussissent. *S. Hieronymus* eorundem meminit, cum ad *Pammachium* pro libris suis adversus *Jovinianum* scribens ait. *Ecclesiarum Bibliothecis fruere*. Eusebius præterea lib. VIII. cap. II. scribit, Ecclesiam libros sacros in Oratoriis habuisse, eosque temporibus *Diocletiani* excisis Oratoriis ad delendam prorsus memoriam Christianorum exustos esse. Neque vero desunt in Scriptura conjecturæ; quoniam *Paulus* ad *Timotheum* scribens, libros secum Romam apportare jubet, maximè vero membranas: atque idem libros Propheticos in Ecclesia *Corinthiorum* legi solitos, I ad Corinth. testatur, *S. Bartholomæum* vero *Indis* verbum Dei prædicasse, ibique Evangelium Matthæi Hebraice manu sua descriptum reliquisse, lib. V cap. X. Historiæ Ecclesiasticæ prodidit Eusebius; quod exemplar in India repertum *Origenes* (teste *Hieronymo*) Alexandrum reportavit, cum ex Oriente libros Canonicos veteris Testamenti *Melito* (ut ait *Eusebius*) attulisset. Hebræi tandem libros sacros diligentissime custodiebant; & in Synagogis suis *Moysem* per singula Sabbata legere solebant. Quare eosdem Christianos factos, in describendis & conservandis libris Propheticis, & Apostolorum atque Evangelistarum studium suum collocasse merito est credendum.

Sed loca ubi libri servabantur, non eo nomine fuerunt appellata: nam & *Archivia* & *Scrinia*, & *Bibliothecæ* (ut ex Auctoribus citandis patebit) dicebantur. Bibliothecarius in Vita *Cælestini* Papæ. *Hic* inquit, *fecit Constitutum de omni Ecclesia, maxime de Religionibus, quod hodie in Archivio Ecclesiæ tenetur reconditum*. Et in Vita *Leonis* Papæ: *Multas epistolas scripsit Papa Leo, quæ hodie in Archivio Ecclesiæ tenentur*. Et in *Gelasio* Papa: *Gelasius libros adversus Eutychem & Nestorium edidit quæ hodie in bibliotheca Eccle-*

sia Archivio recondita tenentur. Tandemque in Vita *Bonifacii* Papæ II. *Bonifacius Papa chirographum damnationis Dioscori Archivio Ecclesiæ reclusit.* Anastasius præterea in Vita *Martini* Papæ, *Synodus*, inquit, *Lateranensis à Martino Papa contra Syrum Alexandrinum, Pyrrhum, Sergium, & Paulum Constantinopolitanos Patriarchas hæreticos Monothelitas celebrata, hodie Archivio Ecclesiæ continetur.* Et in *Leone*: *Hic fecit Constitutum, quod in Archivio Ecclesiæ continetur, ut qui ordinatus fuerit Archiepiscopus, nulla consuetudine, pro usu pallii, aut diversis officiis Ecclesiasticis quidquam persolvere debeat.* Id *Joanne VI.* ait: *Ioannes Papa facto Concilo sacerdotum Novellum Episcopum, qui ab Archiepiscopo Ravennate ordinatus fuerat sub ditione Sedis Apostolicæ, reintegravit & confirmavit: cujus rei chirographum in S. R. E. Archivio retinetur.* Ultimò in Vita *Stephani* II *Pipinus Rex Francorum, victo Astulfo Rege Longobardorum eidem multas civitates, quas vi occupaverat, abstulit, quas B. Petro, S. R. E. & Romanis Pontificibus donavit scriptisque suis donationem fecit, quæ hactenus in Archivio S. Ecclesiæ recondita tenetur.* Hieronymus quoque in Prologo Esther scribit: *Quem librum ego de Archivis Hebræorum eruens, verbum è verbo expressius transtuli.* Dicitur autem Gregorius Papa in Prologo Quadraginta Homiliarum suarum ad *Secundinum* Episcopum Tauromilitanum refert quadraginta Homilias suas in Scrinio S.R. E. detineri. Et *Iulius Papa*, qui *Marco, Silvestri* successori suffectus est, instituit, ut in Ecclesiæ Scriniis reponerentur cautiones, instrumenta, donationes, commutationes, traditiones, testimonia, allegationes, ac manumissiones Clericorum in Ecclesia. Sed nominis *Bibliothecæ* exempla & testimonia non est quod afferantur.

Ex his igitur facilè cognoscere licet permulta eorum quæ in Bibliothecis reponebantur. Verum non ista solum, quin etiam & præcipuè *Bibliorum libri* conservari solebant, ut satis superque ex *Eusebio*, &

Eccle-

Ecclesiarum usu constat: in quibus quatuor *Evangeliſtarum* libri, Epiſtolæ *Pauli*, *Petri*, *Iacobi*, *Ioannis*, & *Iudæ*, nec non *Acta Apoſtolorum*, & *Apocalypſis Ioannis* legi fuerunt ſolita. Opera tandem ſacrorum Doctorum in eiſdem Bibliothecis ſervabantur, ut *Ignatii*, *Martialis*, *Clementis Romani*, *Iuſtini*, *Egeſippi*, *Irenæi*, *Tertulliani*, *Origenis*, *Cypriani*, & aliorum, quorum permulta ad noſtra uſque ſæcula pervenerunt. Quare dicendum eſt, Bibliothecas propter librorum *Bibliorum*, memoriæ Doctorum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum, veræque Eccleſiæ hiſtoriæ conſervationem, atque ad poſteros propagationem ſtructas & inſtitutas fuiſſe.

Ad ſtructuram autem & conſervationem Bibliothecæ non mediocres ſumptus erant neceſſario faciendi librorum conquiſitoribus luculentis ac peritis ſcriptoribus, totique ceræ Bibliothecæ. Hi partim fidelium divitum liberalitate, partim ex communi Eccleſiæ ærario fiebant. In quo ſane *Magni Conſtantini* eximium & ſingulare prædicatur ſtudium; qui (ut tradit *Euſebius* lib. III. de eius Vita) Imperatorios theſauros liberaliſſime effudit in colligendis ſcribendiſque libris ſacris, quos Gentiles temporibus perſecutionum ab Eccleſia fere excuſſerant.

Verum tamen munus Bibliothecæ condendæ, conſervandæ, ac curandæ, Epiſcoporum præcipuum fuit nec non Preſbyterorum; quoniam ad hos maxime ſpectabat & ſacros evolvere ac cuſtodire libros, & authenticos ab apocryphis (teſte *Euſebio*) diſcernere. Quamobrem Notarios, librarios & pueros ad ſcribendum exercitatas, qui libros deſcriberent (ut apparet ex *Ambroſii Origeniſque* hiſtoria) alere & ſuſtentare ſolebant. Inter hos *Pantheni* Rector Scholæ Alexandrinæ diligentiſſimus librorum conquiſitor perhibetur. *Pamphilus*, etiam Preſbyter, & Martyr Cæſarienſis magno ſtudio & induſtria (ut ait *Euſebius*) Bibliothecam inſtituit, eam-

que tum *Origenis*, tum aliorum Scriptorum voluminibus exornavit, cuius Cæsarienſis Bibliothecæ in Apologia adverſus *Ruffinum* meminit *Hieronymus*; *Alexander* præterea celeberrimus Jeroſolymorum Antiſtes mirificam Bibliothecam Jeroſolymis conſtruxit, eodem teſte *Euſebio*, in qua libros *Beryllí*, *Hippolyti*, *Caji*, & aliorum Scriptorum Eccleſiaſticorum repoſuit, quibus ſe adjutum & inſtructum in ſcribenda Hiſtoria Eccleſiaſtica *Euſebius* teſtatur.

Sed ne diligen iam & ſtudium noſtrum ſilentio prætereamus, *Clemens* primus poſt *S. Petrum* Pontifex maximus, qui multas ſcripſit utiles Epiſtolas in Eccleſia Romana conſervatas, ad poſteroſque tranſmiſſas, Romæ, ubi fons pietatis doctrinæque erat, ſeptem *Notarios* in ſingulas regiones diſtributos inſtituit, qui cenſibus Eccleſiæ nutriti, geſta Martyrum diligenter perquiſita & ſigillatim indagata, litteris & monumentis conſignarent. *Anterus* Papa res geſtas Martyrum à Notariis deſcriptas requiſivit, & in Eccleſia recondidit. *Fabianus Anteri* ſucceſſor ordinavit ſeptem Diaconos iis Notariis imminere, ut Martyrum res geſtas undiq; ſingulatim colligerent. Actiones prætereà Synodi Romanæ ſub P. *Silveſtro* celebratæ eorumdem Notariorum teſtimonium tribuunt. Ad hæc *Julius* Papa, qui poſt *Marcum Silveſtri* ſucceſſorem præfectus eſt, conſtituit, ut cuncta quæ ad Chriſti fidem conſervandam propagandamque pertinerent, per Notarios S.R.E. colligerentur, atque ea omnia monumenta à Primicerio notariorum approbata in Eccleſia reconderentur. *Hilarius* autem Papa, primus, quod legerim, Bibliothecas duas Romæ juxta fontem Laterani ædificavit, in quibus Eccleſiæ Romanæ ſcripta, & Epiſtolas decretales Romanorum Pontificum, Conciliorum actiones, hæreticorum palinodias & hæreſes ſanctorumque Patrum libros publico uſui Chriſtianorum conſervaret, cum eo tempore libri ob paucitatem, & librariorum raritatem, difficile admodum invenirentur.

Sed

Sed tamen præter has (ut jam ad originem *Vaticanæ* deveniamus) fuit etiam alia, fortaſſe omnium maxima, in ipſo Lateranenſi Patriarchio ſtructa Bibliotheca, optimis voluminibus referta, quæ eo loci fere annis mille, quam diu Romani Pontifices Lateranum incoluerunt, permanſit. Poſtea vero quã *Clemens* V. in Galliis Romanam Sedem conſtituit, Pontificia Bibliotheca fuit *Avinionem* tranſlata, libris juſſu Pontificum ex Laterano advectis, atque *Avinione* in Apoſtolico Palatio ferè ſpatio centum viginti annorum retentis, quouſque Dei benignitate ſublato ſchiſmate, poſt *Martini* V. creationem ejus Bibliothecæ magna pars fuit iterum Romam perducta, & non in Laterano, ſed in Vaticano, ubi Romanus Pontifex Sedem fixerat, collocata: confuſis tamen ſparſiſque libris, neque ullo certo aut digno loco intercluſis. Quod indigne ferens *Sixtus* IV. Pont. Max incredibilem librorum copiam à ſuis prædeceſſoribus relictam, qui partim vetuſtate, partim hominum injuria conſumebantur, certo & opportuno loco digeſſit; armatis pluteis ceteriſque inſtructæ & benè cultæ Bibliothecæ neceſſariis exornavit, atq; Bibliothecam *Vaticanam* multis additis voluminibus, Eccleſiæ decori, fidei Catholicæ amplificationi, publicæ eruditorum hominum commoditati & honori conſecravit. hæc igitur *Vaticana* Bibliotheca omnium quæ in orbe terrarum ſunt, inſtructiſſima eſt, optimiſque & antiquiſſimis ſcriptis in membranis libris refertiſſima, quorum numerus ſex millium excedit. Huic, ut facilius conſervaretur, & augeretur, *Sixtus* IV. ſtrenam centum aureorum, quam Romanis Pontificibus collegium Scriptorum Apoſtolicarum litterarum quotannis donare conſuevit, in perpetuum addixit. Hanc ſumma induſtria & diligentia curant & adminiſtrant Bibliothecarius, cuſtodes, correctores, librarii, ſarcinatores, & is qui Bibliothecam verrit; quæ omnia ferè munia fuerunt à *Sixto* IV. inſtituta.

Qui

Qui ergo Bibliothecæ præerat, jam olim *Bibliothecarius*, & aliquando *Cancellarius* vocabatur. Hujus munus erat, Bibliothecam, & omnia ejus volumina, scripta, membranas, & similia, accuratissime custodire. Bullas, sive Diplomata vel Epistolas decretales Pontificum scribere, & si opus erat, dictare: Acta Conciliorum & Synodalia exscribere ac conservare; tandemque apud Romanum Pont. ea omnia præstare, quæ Sedis Apostolicæ Cancellarii nostro tempore faciunt. Conveniens etenim visum fuit, ut is potissimum esset Papæ amanuensis, scilicet Scribarum princeps, vel à Secretis, qui etiam Pontificiam Bibliothecam, quæ tunc erat veluti *Cancellaria* quædam, sive, ut nunc loquimur, *Secretaria*, tractaret. Nostris vero temporibus hæc munia sunt divisa. Bibliothecæ autem Romanæ semper clarissimi & optimi viri probatæ doctrinæ & sanctitatis præfuerunt: nam *Anastasius* in Vita *Gregorii* II scribit, *Gregorium*, antequam Pontifex crearetur, Bibliothecæ Lateranensis curam suscepisse, *qui*, inquit, *est vir doctissimus, & Constantinopolim ad Imperatorem Justinianum* II. *cum Constantino Papa profectus, & ab eodem Principe in multis difficillimis quæstionibus interrogatus, peritissimè omnibus satisfecit*. *Bibliothecarius* præterea in ejusdem Vita refert, *Gregorium* ab ineunte ætate in Patriarchio Lateranensi nutritum fuisse, atque à Papa *Sergio* Subdiaconum & Sacellarium creatum, Bibliothecæ Lateranensis curam suscepisse, postmodumque Diaconum factum fuisse. *Xistus* vero IV. Idib. Julii, Pontificatus anno VI. & ab orbe redempto M.CCCC.LXXV. perpetuum custodem, & veluti Bibliothecæ tunc à se erectæ Bulla plumbea instituit.

I. *Bartholomæum Platinam* Cremonensem, Scriptorem Apostolicum, familiarem suum, stipendio menstruo decem aureorum decreto, additis victu pro eo, tribus ejus famulis & equo uno, junctisque Regalibus quæ Palatinis Papæ familiaribus dari con-

consueſcunt. lignis nimirum, ſale, aceto, candelis, oleo, ſcopis, & ſimilibus.

2. Deinde mortuo *Platina* idem *Xiſtus* IV. Kal. Novembr. Pontificatus ſui anno undecimo, is eſt annus Domini M. CCCC.LXXXI. *Bartholomæum Manfredum* Cericum Britonnenſis diœceſis, Decretorum Doctorem, familiarem ſibi gratum, linguarum peritia inſignem, Scriptorem Apoſtolicum, Bibliothecarium creavit, atque ut huic muneri priſtinum ſpendorem, dignitatem, & amplitudinem reſtitueret, ſtatuit, ut Bibliothecarii deinceps futuri, *Scutiferi primi* Romani Pont. perpetuo eſſent, reciperentque ſtipendia, honores, & emolumenta conſueta, facta priùs decem millium ducatorum cautione in Camera Apoſtolica, datoque de fidei ac diligentiæ Bibliothecæ cura jurerando.

Poſt hos creati ſunt temporibus ſuis qui ſequuntur.

3. *Chriſtophorus Perſona*, Romanus, Trior S. *Balbinæ*, creatus anno M CCCC LXXXIV.

4. *Ioannes de Dionyſiis*, Venetus, anno M CCCC. LXXXVII.

5. N. Hiſpanus Archidiaconus Barcinonenſis, anno M. CCCC. XCII. Hic eſt fortaſſe *Hieronymus Paulus Catbalanus*, Canonicus Barcinonenſis, J. U. D. qui fuit *Alexandri* VI. cubicularius, inter cujus fragmenta inventa fuit *Practica Cancellariæ*, Romæ edita anno M. CCCC. XCIII. Pontificatus *Alexandri* VI. anno ſecundo.

6. *Ioannes Fonſalida*, Hiſpanus Epiſcopus Interamnenſis anno M. CCCC. XCV.

7. *Fr. Volaterranus*, Archiepiſcopus Raguſinus anno M D.V.

8. *Thomas Iugerannis*, alias *Phædrus*, Volaterranus, anno M. D. X.

9. *Philippus Beroaldus* junior, Bononienſis anno M. D. XVI.

10. *F. Zanchius Aretarolus*, Florentinus, Ordinis

nis Prædicatorum, anno M.D. XVIII.

11. *Hieron Alexander*, Clarius, Archiepiscopus Brundusinus, Cardinalis, anno M. D. XXXVII

12. *Augustinus Steuchus Eugubinus*, Episcopus Chisamensis. Congregationis *S.* Salvatoris. Bononiensis, anno M. D. XXXVIII.

13. *Marcellus Cervinus* Politianus, Presbyter Cardinalis Tit. *S. Crucis in Ierusalem* anno M. D XLIIX. creatus à *Paulo* III. Hic stipendium, & quattuor sportulas Bibliothecariis dari solitas recusavit, atque inter duos Correctores Latinos, & eum qui Bibliothecam verreret; (ut inferius dicetur) distribuit

14. *Robberto de Nobilis*, Politianus, Diaconus Cardinalis *S. Mariæ in Dominica*, M D. LVIII. à *Paulo* IV

15. *Alfonsus Carafa*, Neapolitanus, Diaconus Cardinalis *S. Mariæ in Dominica*, anno M.D.LVIII. à *Paulo* IV. creatus.

16. *Marcus Antonius Amulius*, Presbyter Cardinalis, Venetus, anno M.D.LXII.

17. *Gulielmus Sirletus*, Presbyter Cardin. Calaber, die XIIX Martii. anno. M D. LXXX.

18. *Antonius Carafa*, Neapolitanus, Presbyter Cardin. Tit. *SS. Ioannis & Pauli*, die XV. Octobris, anno M D LXXXV.

Cum autem unus vix aut nulla ratione posset tot millium librorum conservationi vacare, & necessariis Bibliothecæ rebus consulere; idem *Xystus* duos Custodes perpetuos spectatæ fidei & diligentiæ qui Bibliothecarium juvarent, instituit, dato unicuique trium aureorum stipendio menstruo, victuque, & aliis necessariis, ut oleo, sale, aceto, lignis, faculis, pro se & famulo. Atque omnium primi fuerunt *Ioannes Ch. delli* Clericus Lugdunensis. IV. Kal. Maji; & *Petrus Demetrius* Lucensis, qui in tinello Pontificis Lector erat, Kalend. Maji. Pontificatus *Xysti* anno X. creati. *Demetrio* mortuo suffecit *Iulius* II.

die

die VI. Julii, Pontificatus anno VIII. *Laurentium Parmenium* à Sanct. Geneſio, Presbyterum Camerinenſem; & *Johanni Chadelli*, *Romulum Mammacinum Bernardi*, Canonicum Aretinum, cubicularium & familiarem ſuum, Kalend. Septembr. anno Pontificatus IX. Idemque *Julius*, Auguſti XXIII. Pontificatus anno I. in ſingulas hebdomades hiemali tempore ſalmam carbonum Cuſtodibus conceſſerat: ſed nunc viginti quatuor ſalmæ dantur.

Prædictis ſuccedunt anno M. D. XXXIV. *Fauſtus Sabæus*, Brixianus, Poëta, & *Nicolaus Majoranus* Hydruntinus: huic ſucceſſit *Guilielmus Strletus* Squillacenſis per promotionem ad Epiſcopatum Monopolitanum.

Hieronymus Sirletus, *Guilielmi* frater, ſucceſſit per promotionem ad Protonotariatum.

Federicus Ranaldus, Valenſis ſucceſſit *Fauſto Sabæo*.

Marinus Ranaldus Valenſis *Federici* frater, ſucceſſit *Hieronymo Sirleto*.

Addidit quoque *Xiſtus* (ut nihil ad ornamentum & decus Palatinæ Bibliothecæ deeſſet) Librarios tres, Latinum, Græcum, & Hebræum, cum victu, & menſtruo ſalario quattuor ſcutorum. *Paulus* vero IV. Scriptori Græco portionem & ſtipendium duplicavit, aliosque tres Librarios adjunxit, duos Græcos, & unum Latinum, illorumque uni duas ſportulas, & quinque aureos menſtruos aſſignavit; alteri vero ſportulas duas, & aureos quattuor. Latino vero ſcriptori portionem duplicem, & aureos quinque dari juſſit, inſtituitque librorum Sarcinatorem & confectorem; cui quatuor ſcutorum menſtruum ſalarium dedit.

Tandem *Marcellus Cervinus* Bibliothecarius prædictus inſtituit duos librorum Correctores & reviſores Latinos, quibus emolumenta Bibliothecariis dari ſolita, quæ ipſe, ut diximus recuſavit, conceſſit, ſingulis tribuens duas ſportulas ex quatuor quæ

or quæ ſibi contigerant: uni vero menſtruum ſalarium quinque ducatorum, & alteri quattuor ducatorum tribuit: eum autem, qui remanebat ex decem Bibliothecario dari ſolitis, aſſignavit ut ſtipendium menſtruum ei, quem *Paulus* IV. inſtituerat ut verteret Bibliothecam, cui tamen Regalia fuerunt negata Primi Correctores Latini fuere *Gabriel Faernus* Cremonenſis, & *Nicolaus Majoranus*, quibus *Pius* IV. Correctorem Græcorum librorum adjunxit, cui in ſingulos menſes decem aureos attribuit.

DE OSCULATIONE PEDUM ROMANI PONTIFICIS.

CAP XI.

Ex JOSEPHO STEPHANO, *Epiſcopo Oriolano.*

Iure optimo à Romano Pontifice ſandalia Cruce inſignita geſtari, & oſcula pedibus ejus à piis hominibus imprimi.

ROMANI Pontifices cum multa & dignitatis & gloriæ inſignia à *Conſtantino Magno* accepiſſent, quibus per longa tempora culti ſunt; *Vdone*, quoque ex lineo candidiſſimo ad pedes ornandos acceperunt, de quibus in Actis S. *Silveſtri*: Οὐδόνοις τε, τοῦτ ἔστι, λευκοτάτου ὀθόνης, περὶ τὰ ποδίσματα τῶν χρῆσθαι: id eſt, *Vdonibus ex candidiſſimo lineo ad pedes, uti debere Pontifices.* Volebat enim *Conſtantinus* illos vel linteaminibus candidiſſimi coloris ornari, vel calceamenta candidiſſima deferre, more veterum Sacerdotum & Vatum, qui hujuſmodi calceamentis utebantur, uti apud Herodianum lib. 5 legimus, *Antonium* more Vatum ejus regionis ubi ſacerdotio fungebatur, calceos candidiſſimos ex lino geſtaſſe. Hoc tamē compertum ha-

beo

beo, *sandalia* Romani Pontificis aliquo ornatu vel signo peculiari ab aliis omnibus, quibus Episcopi inter Missarum solemnia utuntur, fuisse discreta, cum *B. Antidius* apud Sigebertum anno CD. XVIII. ex *sandaliis* quo Romanus Pontifex erat ornatus, ipsum agnoverit. *Sandalia* vero inter insignia Pontificum enumerari, quibus ipsi in solemni Sacrificio utuntur docet S. Bernardus epistola 42. & Innocentius III. Epistola decretali ad Patriarcham Constantinopolitanum. Rupertus lib. 1. de Divinis officiis cap. 24. Ivo Carnotensis Epistola 76. & Sermone 3. de Significatione indumentorum. Rabanus lib. 1. cap. 22. & Durandus libro 3 cap. 28. aliique quamplurimi.

Sed licet olim Pontifices hoc candidissimi ornatus genere uterentur, multis tamen ab hinc annis eam consuetudinem intermissam fateri necesse est, cum jam linea calceamenta frequenter in usu Ecclesiæ Romanæ non sint, sed purpurea *Cruce* omnium ornamentorum pretiosissima intexta. Cujus rei duplex est caput, alterum populorum reverentia, alterum Pontificum humilitas atque demissio hac una in re maxime commendari debet, qui cum omnes populos communi voto, ut docuimus, ad suos pedes adorandos propensos agnoscerent, *Crucis Christi* osculationem potius, quam sibi ipsis tantum honorem deferri maluerunt, ut omnes Christianos benigne ad oscula pedum exciperent. Itaque ut expressam Christi imaginem referrent, & Salvatoris passionem in hominum memoriam redigerent, *Crucem* sandaliis affixerunt, ut Christiani homines eos honores, quos debitos & necessarios Pontifici deferebant, *Cruce* perspecta, alacrius exhiberent. Merito igitur Pontifex Maximus gentes quas ad ipsius pedes procumbere videbat, ad *Crucem* Domini, quam sandaliis impressit, osculandum traduxit, cum in totius Ecclesiæ more, teste Nicephoro lib. 17. cap. 15. sit positum, non solum *Crucem* venerationis causa

ſa oſculis petere. ſed etiam *Chriſti* & Sanctorum imagines capitibus & faciebus admovere, ut refert Zonaras Tom 3, in Vita *Theophili*, his verbis. Παρα λαμβάνουσα τὰς ἁγίας εἰκόνας σεβάζεσθαι καὶ προσκυνεῖν, καὶ ταῖς κεφαλαῖς αὐτῶν ἐπιτίθει, καὶ ταῖς προσόψεσιν. id eſt *Aſſumebat ſacras imagines colendas & adorandas, & capitibus & faciebus admovebat.* Sed de *Crucis* adoratione cum abunde multis in locis Prudentius egerit, in Apotheoſi hoc ampliſſimum edidit teſtimonium:

..... Iàm purpura ſupplex
Sternitur Æneadæ Victoris ad atria Chriſti,
Vexillumque Crucis ſummus dominator adorat,

Et lib. 1. contra Summachum, totius Senatorii ordinis exemplo, *Crucem* adoratam memorat:

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis Crux addita criſtis.
Ipſe Senatorum meminit clariſſimus ordo,
Complexuſque pedes Victoris, ad inclyta flenda
Procubuit Vexilla iacens, tunc ille Senatus
Militiæ ultricis titulum Chriſtique verendum
Nomen adoravit, quod coelucebat in armis.

Signum vero ſublime Romanorum in ſpeciem *Crucis* Dominicæ formatum, quod Imperatorem Conſtantinum præcedebat, & à militibus & Senatu adorabatur *labarum* dictum fuit: fortaſſe quia laborantibus aciebus ſubveniret: vel quia in eo deferendo exercituque luſtrando milites qui illud alternis vicibus vehèrent, maxime laborarent, ut Paulus Diaconus lib 11. Hiſtoriarum, & Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum cap 7. & 33. retulerunt, moremque in deferenda & oſculanda *Cruce* uberius enarrarunt *S.* Paulinus Nolanus Epiſtola 42. cum de Chriſti Imperio ageret, ita habet:

Hinc

Hinc jam & potentes ſæculi curvant genu,
Deduntque Cervices Leo.
Regemque Chriſtum confitentur Principes,
Et ſceptra ſubmittunt Cruci.

Nec modo *Crucem* Principes adorabant, illique ſceptra ſubmittebant, ſed etiam inſtrumenta paſſionis Chriſti, quibus ſalutaris hoſtia Patri fuit immolata, dimiſſius venerabantur, ut S. Ambroſius in Oratione de Obitu Theodoſii refert. *Ecce*, inquit, *clavus Chriſti in honore eſt, & quem ad mortem impreſſimus, remedium ſalutis eſt. Ferro pedum ejus Reges inclinantur, Reges adorant, clavum Crucis ejus diademati præferunt Imperatores, & Ariani ejus poteſtatem imminuunt.*

Sed ex altero capite Romani Pontifices expreſſam Apoſtolici muneris imaginem prætulerunt. Qui cum docendi univerſum orbem curam acceperint, & evangelizandi poteſtatem, pedum quoque pulchritudine ornati ſunt ad pacem & Evangelium deferendum, ut mundi & perfecti, *Crucis* virtute, in toto orbe decurrerent. *Quam pulchri* (ait Iſaias) *pedes evangelizantium pacem, Evangelizantium bona.* Miratur Propheta in quas terras Evangelii præcones abierint, quam ornatis pedibus inceſſerint quos Chriſtus ſua virtute abluiſſet, quanta lætitia perfuſæ gentes, ad quas Apoſtoloci viri talibus ornamentis inſignes acceſſerant; ut non ſolùm illæ gratiam in nuntio atq; Evangelio eſſe arbitrarentur, verum etiam totos pulchros ac ſpeciosos agnoſcerent, ad quorum uſque pedes Spiritus Sancti virtus *Cruciſ*que gratia decurriſſet. Solent enim quædam externa pedum ornamenta ad gratiam & venuſtatem apponere, & ſpectantium conciliare animos, cum in eis nihil indecorum & molle conſpicimus. Ob quā cauſam Sponſus ſuā Sponſam commendabat, quod in calceamentis ſuis pulcherrimi eſſent inceſſus, quod illa in Evangelii præparatione, non per vagas & ancipites vias, in compoſito aut molli greſſu, aut

tractis

tractis passibus aberraret, sed cum decore maximo, & extremo quodam pedum ornatu incederet. Tertullianus libro de Habitu mulierum, *cultum* appellat, qui in auro, & argento, & gemmis, & vestibus continetur: *ornatum* vero in habitudine partium corporis, quæ oculos trahunt, constituit. Utrumque Apostolici viri, qui pacem cum Deo toti mundo conciliant, & Evangelium pacis per legatos & epistolas quotidie evulgant, magna omnium admiratione assecuti sunt. Nam ut muneris majestatem, & pedum decorem ostenderent, & se ad Evangelii prædicationem expeditos ac promptos indicarent, *crucem* calceamentis addiderunt, ut non à profanis rebus pulchritudinem pedum occupari, sed ex ipsomet officio & munere cultum & ornatum colligere viderentur.

Præterea omnium Christianorum fronti & pectori *Crux* Christi infigitur, ne fidem erubescerent, ut ait Augustinus in Psal. 30. sed superato diabolo, tropæum in frontibus reportarent. Romani vero Pontificis pedibus imprimitur, ut *Crucis* virtute fultus, gressus nostros in viam pacis ducat ac muniat. Qui cum totius gregis Christiani ductor ac præceptor sit, oportebat quidem ne pedibus aliquo incurreret, aut laberetur: ne temere ipse dux omnium lapsus, populum Dei in gravissimos errores præcipitem ageret. Quare ut Pontifex hoc sacrosanctum privilegium *Cruce* Christi, in qua omnia mysteria & sacramenta omnia continentur, (ut ait Augustinus Serm. 19. de Sanctis. Tom 10.) sibi donatum ostenderet, pedes suos Christi *Cruce* fulcivit, ne ipse qui nobis viam monstrat, & nos qui ejus vestigia sequimur, aliquam aberrationem haberemus. Non enim dat Dominus sanctorum pedes in commotionem, cum eorum animas servet ad vitam cum in eorem sanctitate, virtute & exemplo, vita salusque omnium Christianorum sit posita. *In commotionem*, inquit, εἰς σάλον, id est, in fluctuatio-

tionem, ne omni vento doctrinæ ferantur, sed immoti & stabiles, in pietate & vera Religione persistant *Servat enim Dominus pedes Sanctorum suorum*, ut cecinit Anna 1 Reg. 2. *Dirigit gressus*, ut ait Angelomus Monachus lib. 1 Commentariorum in libros Regum, *quia Dominus Apostolicos viros inter persecutionum scandala conservat & tuetur ut omnes ad illorum pedes tutò accedant, juxta illud Deuteronomii 33. Qui appropinquat pedibus ejus, accipit de doctrina ejus. A quibus omnia impedimenta terrenarum cogitationum expelli Dominus præcipit, cum pedum pulverem excutere imperavit, ne prædicationis muneri impedimento forent, ne ulla hæretica pravitatis face inquinati, ad pravum laberentur opus, aut à ratione deflecterent.*

Quę omnia cum à passione Christi habeant firmitatem, non absre Pontifices, ut hanc mysticam intelligentiam significare viderentur, *Crucem* pedibus impressérunt, juxta illud Psalmi 67. *Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Tunc enim pelles sanguine tinguntur, cum *Cruce* Christi decorantur; tunc linguæ canum ipsomet sanguine imbuuntur, cum hæretici, more canum, vestigiis Summi Sacerdotis obvoluti pedes lambunt, veniam postulant, misericordiam exorant, & sandaliis impressam *Crucem* osculantur.

Qui mos usque adeo verus & firmus est habitus, ut nusquam Romanum Pontificem depictum, aut marmore expressum, aut ære ductum videas, quin etiam præter insulam & Sacerdotii ornamenta, *Crucem* pedibus appictam cernas, ut ex imaginibus venerandæ vetustatis, quæ in Basilicis *Laurentiana* & *Vaticana* multis abhinc annis depictæ sunt, constat.

Quare nostros recentiores facilè deducitur in summo errore versari, cum hanc calumniam Romano Pontifici temere inurant. Nam si olim, ut ait *Cyrillus* in Julianum tom. 3 ædium vestibulis *Cruces* appingebantur, & cœlitus missę vestibus militum

im-

impressæ fuerunt, ut Naziancenus Oratione 2. Julianum tetulit; Ecclesia etiam, ut morituris opem ferat, sacrosancto signo *Crucis* pedes notat; bestiarum item corpora, ut ait Severus, sanctus Rhetor, carmine *De mortibus boum*, & Chrysostomus in demonstratione Quod Deus sit homo, *Crucis* forma signantur, domus, plateæ, fori, sindones, promptuaria omnia, vestes denique, ut ait Leontius Cyprius lib. 5. contra Judæos, hac nota pinguntur, ut statim Christi passionem in memoriam revocemus; quod ergo dedecus, quod probrum Romanus Pontifex admittet, quam turpitudinis notam, quem pietatis neglectum, cum sandaliis Christi sacratissimum signum inducit? Quod sane non solum in memoriam redigit, quam primum pedes Pontificis *Cruce* decoratos inspicimus, vanas terrenasque cogitationes esse calcandas, & futiles animi perturbationes, quæ pedum nomine exprimuntur, affigendas *Cruci*: verùm etiam omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ terra continentur, sacratissimo signo, in quo Dominus noster acerbissimos pertulit cruciatus, & amplissimum egit de hostibus triumphum, esse prosternenda. Quod sane nusquam alibi æque ac modo verius experimur, cum omnes ad Pontificis pedes ruant, & ad *Crucem* osculandam, communi voto præcipites ferantur.

IDEM
JOS. STEPHANUS
DE LEVATIONE SEU PORTATIONE ROMANI PONTIFICIS.
Cur Romanus Pontifex humeris deferatur.

NON est alienum, ut de *levatione Pontificis* differamus: nam veteres rerum Scriptores, ut aliquem

quem in Regem vel Imperatorem electum significent, *levatum* dicunt. Ita Claudianum locutum arbitror:

Sed mox cum solita miles te voce levasset.

Fuit verò id moris non barbararum tantum gentium, sed ipsorum quoque Romanorum: ut quem Imperatorem facerent, eum in altum tollerent, & in humeros efferrent. Ammianus Marcellinus lib. 22. de *Iuliano* à Gallicanis militibus renuntiato. *Impositus*, ait, *scuto pedestri. & sublatus eminens, populo silente Augustus renuntiatus, jubebatur diadema proferre.* Cornelius Tacitus lib. 20. *Impositus usque scuto, more gentis. & sustinentium humeris vibratus dux eligitur.* De *Gothis* Cassiod. lib. x. Variarum Epist. 31. *Indicamus parentes nostros Gothos inter proinctuales gladios, more majorum, scuto suppositio, Regalem nobis contulisse præstante Deo dignitatem, ut honorem arma darent, qui bella opinionem peperarant.* Ado Viensis de *Clotharii* filiis scribens: *Sigibertum contra Chilpericum fratrem profectum à Francis, more gentis clypeo impositum; Regem esse constitutum.* Capitolinus in Gordianis: *Properè ventum est ad oppidum Tyssdrum, inventusque senex venerabilis jacens in lectulo, qui circumfusus purpura, humi se abjecit, ac detrectans elevatus, & Imperatorem se appellare passus est.* Herodianus lib. 7. *Erat puer quidam infans ex Gordiani filiis natus, nomen avi referens, hunc submissis quibusdam, efferri ad se iusserunt: quem cum domi ludibundum offendissent, impositum in humeros, per mediam ferebant multitudinem plebi ostentantes, ac neptulum Gordiani dictitantes, vocantesque eum nominatim, populo acclamante, & conspergente puerum frondibus.*

Iisdem quoque temporibus non modo Principes levabantur, sed etiam Urbis præfecti, ut suum fastigium altius tollerent, carpento vehebantur: & eos jam adventare, publica voce præconis denuntiabatur. Symmachus lib. 1. *Præcedebat præco, advenire*

Præfecturam ubique denuntiant. Cassiodorus lib. 6. form 4. *Carpento veteris per nobilem plebem, publica te voce comitantur, favores gratissimi consona tecum voce procedunt.*

Pontifices verò Romani, qui in æterna Urbe summam auctoritatem divinitus gerunt, ut suam dignitatem ostenderent, olim vehiculis per Urbem deferebantur, circumspectè vestiti, ut Ammianus Marcellinus lib. 27. in *Damasi & Ursicini* Contentione narravit: *Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, hujus rei cupidos ob imperandum quod appetunt, omni contentione laterum niti debere: cum id adepti futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque Pontifices vehiculo insidentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut eorum convivia Regales superent mensas.* Quo planè tempore infelix ille *Prætextatus* iam Consul designatus, cum Episcopatus amplitudinem Consulatui prætulisset, homo quidem sacrilegus & idolorum cultor, solebat, ut ait Hieronymus Epistola ad Pammachium, *audens B. Papæ Damaso dicere, Facite me Romanæ urbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Ex quibus verbis liquidò constat, in Urbe Romani Pontificis dignitatem etiam Principum virorum oculos pellexisse cum omnes Reipub. Magistratus huic uni Magistratui cederent, ut Cassiodorus lib. 10 per varias Epistolas docuit.

Fuisse vero veterum Sacerdotum morem, ut carpento ob muneris amplitudinem vherentur, auctor est Tacitus l. 12. *Suum quoque*, ait, *fastigium Agrippina altius tollere, & carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus & sacris Druidibus antiquitus concessus, venerationem augebat fœminæ.* Id plane virginibus in usu fuisse, liquido ex Artemidoro lib. 1 de Inlomniis constat, & præcipue Vestalibus, quæ comitatu & pompa ministrorum circumfusa lectica, publice deducebantur, ut narrat S. Ambrosius lib. 1. Epist. ad Valentinianum.

Roma-

Romani vero Pontifices præter vehicula & carpenta, quibus publicè per Urbem deferebantur, gestatoriam quoque sellam habuere, quam lecticarii homines suis humeris sustinebant.

Quod præter *Evodii* locum, in Quinta Synodo, ubi Apostolicæ confessionis sellam fuisse commemorat, ex Ordine Romano vetustissimo, ante *Gelasium* Papam conscripto, satis in aperto est, ubi sic legitur: *Cum vere Ecclesiam introierit Pontifex, non ascendit continuò ad Altare, sed prius intrat secretarium sustentatus Diaconibus qui eum susceperunt de* sellari *descendentem*, & alibi: *Diacones eum descendentem de* sellario *accipiunt obvii, ut ajunt, manibus: ubi dum venerit, & in sella sua sederit, Diacones salutato Pontifice egrediuntur de secretario*, & alibi: *Sellam Pontificis cubicularius laicus deportat, ut parata sit, dum in sacrario venerit*, paulo post: *Pontifex prius intrat in secretarium à Diaconibus, qui eum susceperant de* sellario *descendentem, ubi sustentatus dum venerit sedens in sella sua.* Hæc eadem Ordo Romanus multis in locis, & eisdem fere verbis inculcat.

Quid vero sit *sellare*, licet à multis dubitatum hactenus fuerit, credo tamen, ni fallor, hujus vocis lucem inveniſſe, cum in veteri Glossario hæc vox; ex Græco aperta significatione explicetur, Δίφρος, *sella*, διφροφόρος, *sellarius*, hæc Glossarium Διφροφόρος apud probatæ fidei Auctores, *ferentes sellas curules* dicuntur, quemadmodum δίφρος apud Plutarchum in Galba & in Problematibus Romanis, *sellam curulem* significat. In Etymologico Græco: Δίφρος *dicitur παρὰ τὸ δύο φέρειν, quod à duobus deferatur: estque genus sellæ vel Regii throni atque consessus, apud Menandrum & Homerum. Sic* διφροφόροι *sunt illi qui sellas curules deferunt, ut moris erat apud Persas, teste Herodiano, apud quos eæ gestationes in usu fuerunt, quæ à duobus lecticariis fierent.*

Constat igitur, Pontificem Maximum à *sellariis*, id est, lecticariis hominibus per Urbem, in *sellari*, id est, in sella curuli insigni delatum fuisse, & ab eo descendentem obviis manibus, ut ait Ordo Romanus, exceptum. Quod multorum Pontificum exemplis apertè demonstrari potest. Nam *Sergius* II. Ut refert *Platina*, & *Franciscus Iannetius* cap 90. humeris in Basilicam Constantinianam, & inde Lateranam delatus est. Et *Hadrianus* II. in Lateranensem Ecclesiam à Clero & Proceribus deportatus, ut habetur dist. 63. cap. *Cum Hadrianus* II. *ad Romanum Pontificatum ab Ecclesia Dei Genetricis Dominæ nostræ, quæ dicitur Ad præsepe, traheretur ad Lateranense Patriarchium, certatim à Clero & Proceribus & plebe deportatus est.*

Leo etiam VIII cum summus & universalis Papa Romanę Ecclesiæ tertio fuisset acclamatus, ad Lateranense Palatium, *secundum consuetudinem cum laudibus ducitur*, ut ait Luitprandus lib. 6. cap. 11. *& certo tempore, in Ecclesia S Petri ad summum Sacerdotium, facta consecratione attollitur, Gregorius* IX gemmis auroque circumtectus, ad Lateranum ducitur.

Quod plane cuiquam mirum videri non debet, cum ab Isaia hæc Pontificum celebris gestatio prædicta jam fuerit, cap. 49. *Et afferent filios tuos in ulnis, filias super humeros portabunt.* Ea quidem causa, quia in magno pretio à mundi Principibus futuri erant Ecclesiæ præsides, nec aliquod honoris, studii, officiique genus, ab illis prætermissum, quod Ecclesiæ Magistratibus consonum videretur. Accedit hoc, ideo Pontificem in altum deferri oportere, ut populum ovesque Christi sibi creditas circumspicere, eisque fausta precatione benedicere; & populi rursum illum in sublimi loco præsidentem commodè spectare, & ex vultu pastorem possent agnoscere: ut inde protestationem fidei concipierent maximam, quoties aspicerent Christi Vicarium, & Petri in eo quasi throno gloriæ successorem.

IDEM

IDEM

DE CORONATIONE ROM. PONTIFICIS.

AUREAM *Coronam* omnes Principes, ut Imperii majestatem ostenderent, honoris causa capite gestarunt. Primum *David*, qui ante *Homerum* & omnes veteres Scriptores regnavit, coronam, ut lib. 2. Reg cap 12 legimus, talenti pondere, gemmis pretiosissimis illuminatam, ex urbe *Ammonitarum*, quam bello subegerat, gestandam sibi sumpsit, *Congregavit*, inquit Scriptura, *David omnem populum, & profectus est adversum Rabbath: eumque dimicasset, cepit eam. Et tulit diadema regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput David*. *Cyaxares* Medorum Rex (ut scribit Zonaras Tom. 1.) filiam pulcherrimam ad *Cyrum* misit cum aurea corona, quam capiti imposuit, & totam Medicam Provinciam pro dote dicavit. Romani in triumpho *auream coronam* deferebant, ut Gellius est auctor. quod profecto absurdum videretur, cum Historici omnes lauro Imperatorem, qui triumphum agebat, redimitum & ornatum memorent; nisi nos Tertullianus in *Corona militis*, ab hac dubitatione eximeret. *Triumphi*, inquit, *laurea foliis struitur, adversis lemniscis inauratur lamulis*, Plinius lib. 21. c. 3. lemniscatas coronas sive radiatas, foliis aureis & argenteis constructas fuisse memorat. Zonaras Tom. 11. triumphi pompam describens, duas coronas inter triumphandum gestari refert, *lauream* unam, quam victoribus imponebant, *auream* alteram gemmis radiisque interpolatam, quam publicus minister, qui eodem curru vehebatur, supra caput Imperatoris tenebat, de qua Juvenalis Satyra 10.

Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla,
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem,

Hanc vero radiatam coronam colori arcus cœleſtis ſimilem fuiſſe, ut divinitatis ſpecimen indicaretur, auctor eſt Vellejus Paterculus lib. 2. Octavio Cæſare loquens: *Adventanti Romam immanis amicorum occurrit frequentia, & cùm intraret urbem, ſolis orbis ſuper caput ejus curvatus, æqualiter rotundatuſque in colorem arcus, velut corona tanti mox viri capiti imponens conſpectus eſt.* Suetonius in Aug. cap. 94. *Videre viſus eſt filium mortali ſpecie ampliorem, cum fulmine & ſceptro, exuviiſque Jovis Opt. Max. ac radiata corona ſuper laureatum currum biſſenis equis candore eximio trahentibus.* Plinius in Paneg. *Horum unum ſi præſtitiſſet alius illi jam dudum radiatum caput, & media inter deos ſedes auro ſtaret aut ebore.* Incertus auctor Panegyrici Maximiano dicti: *Trabeæ veſtræ triumphales, & faſces Conſulares, & ſellæ curulee, & hæc obſequiorum ſtipatio, & fulgur, & illa lux divinum verticem claro orbe complectens, veſtrorum ſunt ornamenta meritorum pulcherrima & auguſtiſſima.* Latinus etiam in Panegyr. *Olim ſeveri credidere majores Caſtoras geminos albentibus equis, & ſtellatis apicibus inſignes, pulverem cruoremque Theſſalicum aquis Tiberi abluentes.*

Coronas etiam capitibus ſtatuarum additas fuiſſe, Ammianus Marcellinus lib. 17. de obeliſco loquens: *Et ſphæra ſuper onitur ahenea, aureis laminis nitens: quæ conteſtim vi ignis divini contacta, ideoq; ſublata, facis imitamentũ in figura aremm, idem in auro imbracteatum, veluti abundanti flamma canentis.* Ibi. lib. 25. *Maximiani ſtatua Cæſaris, locata in veſtibulo regiæ, amiſit repentè ſphæram æneam formatam in ſpeciem poli, quam geſtabat.* Ex quibus planè teſtimoniis collegit Lazius lib. 9. Commentariorum Reipub. Romanæ, fuiſſe apud majores noſtros morem illum, quo Sanctorum Imagines in Templis cum ſolari corona formantur; præſertim cum iis radiatis coronis ſplẽdidiores appareant, divinitatiſque ſpecimen oculis intuentium exhibeant. Sed licet curioſius inde petitam

titam consuetudinem fingendi formandique radiatos sacratum Imaginum vertices, absurdum videri non debeat; magis tamen veritati consonum arbitror, ab ipsomet lumine, quo sæpè Sanctorum facies enitebat, hanc consuetudinem descendisse: nam ut ait Abdias lib. 5. & Eusebius lib. 2. Historiæ sæpè Apostolos ingens lux circumfulsit, ut eam nullus aspectus ferre posset, exemplo Moysis, cujus facies ex Dei congressu fulgebat.

Ergo ut ad institutum regrediar, olim Persarum Reges tiaram rectum capite gestabant, quam στέφανον ὀρθὸν appellat Zonaras: apud quos lex erat (ut ait Dion Chrysostomus Oratione 1. de Libertate & servitute) ut capitalis esset is qui eam sibi capiti imponeret Gentium quoque Sacerdotes coronas capitibus deferebant, ut decus illud ostenderent, quod maximè ad sacerdotii præsidium splendoremque spectare videretur. Unde veteres admirati sunt Sacerdotem Comanorum in Ponto, cui, ut à Strabone litteris proditum est, maximus secundum Regem honos habebatur, & Regium diadema gestare licebat. Præterea in *Emesa* urbe Phœniciæ, sacri viri, qui Sacerdotio fungebantur, tunicas intextas, manicatas, ad talos usque demissas deferebant, & capite coronam pretiosorum lapidum, variegatis coloribus fulgentem, honoris causa gestabant Quem ornatum *Antoninus* Cæsar, qui ex Solis Sacerdote, militis turba, Imperator Romanorum electus est, inter serias gravesque causas retinuit, ut Herodianus lib. 5. testatur: *Antoninus Cæsar ex Syria profectus, Nicomediæ hiemavit, & statim cultum patris numinis celebrare cœpit, purpura, auroque redimitus coronas sustinens ad tiaræ modum, auro lapillisque pretiosis insignitus, forma habitus inter Phœnicum stolam, & Medorum amictum.* Postea vero Constantinopolitani Imperatores inter triumphandum, hoc ornamenti genus usurparunt; quod *tuphum* dixere, ut

in Vita *Basilii* Porphyrogeniti legimus : Κατήγαγεθρίαμβον τιάρα ὀρθία, ἣν τοῦφαν καλεῖ. id est. *Triumphum duxit tiara recta, quam illi tuphum appellant.* Sed illud nonnulli recentiorum *talyptram* dicunt, auctore Nicephoro Gregora lib. 6.

Nostri vero Pontifices Maximi, cum duplicem personam sustineant, duplici etiam, dignitatis causa, corona ornantur, ut *Innocentius* III. Ser. 3. de Coronatione Pontificis confirmavit. *Ecclesia sponsa non nupsit vacua, sed dotem mihi tribuit absque pretio pretiosam, spiritualium plenitudinem, & latitudinem temporalium: magnitudinem & multitudinem utrorumque. In signum spiritualium contulit mihi mitram,* (loquitur enim de se *Innocentius* Papa) *in signum temporalium, dedit mihi coronam, mitram pro sacerdotio, coronam pro regno; illius me constituens in vicarium, qui habet in vestimento & femore suo scriptum, Rex Regum & Dominus dominantium.*

Sed age nunc de *mitra*, & de Regia *corona* aliquid dicamus, ut quantum Ecclesiasticis moribus hæc ornamenta accommodata videantur, breviter explicemus.

Mitra igitur apud Suidam, ἀναδέσμη κεφαλῆς, capitis redimiculum dicitur, & l. 28. ff. de Auro & argen. legat. ut explicat Brissonius. Apud Eusebium lib. 2. cap. 1. πέταλον, sive lamina nominatur, qua Jacobus frater Domini ornatus est, quum primum ab Apostolis in Episcopum Jerosolymitanum fuit consecratus. Quod plane ornamenti genus licet ab Aaron & ejus filiis originem duxerit, postea tamen in Ecclesiam translatum est, ut eo omnes omnium fere nationum Episcopi uterentur. Polycrates Ephesinus laminam gestavit, ut ait Eusebius lib. 3. c. 31. cum Ephesi Sacerdotio fungeretur. Alii quoque Pontifices omnia fere Sacerdotum veterum ornamenta, talarem tunicam, stolam seu ποδήρεα,

cœ-

cœleſtem gloriæ coronam, hoc eſt *mitra*, apud Euſebium lib 10 c. 4. geſtabant, ut ornatiores & inſigniores apparerent, & de iis plura Amalarius Rabanus & alii graviſſimi Auctores docuerunt.

Sed hæc quidem quæ de *mitra* dicunt, multorum hominum conſenſione recepta ac comprobata ſunt; quæ vero de *Regno* ſeu *Regia corona* explicari debent, nonnullis ſunt tenebris involuta, quæ pro ingenii tenuitate diſſolvam.

Primum igitur omnes communi ſententia exiſtimant, hoc ornamenti genus à *Conſtantino Magno* originem duxiſſe, ut ex dictis *B. Silveſtri* colligitur. Quam ſententiam omnes Pontifices amplectuntur, ut *Leo* IX. Epiſt. adverſus præſumptionem Michaelis c 13, & *Innocentius* III. Serm 1. de *B. Silveſtro* confirmavit. *Conſtantinus ſe edens Byzantium, coronam capitis ſui voluit B. Silveſtro conferre, ſed ipſe pro reverentia clericalis coronæ, vel utilitatis cauſa noluit eam portare. Verumtamen pro diademate Regio utitur auri* Phrygio *circulari*: & paulo poſt: *Romanus itaque Pontifex in ſignum Imperii, utitur* corona, *& in ſignum Pontificii, utitur* mitra; *ſed mitra ſemper & ubique utitur, quia Pontificalis auctoritas eſt prior, & dignior, & diffuſior quam Imperialis.* Arbitror tamen, *coronam* illam ſive *diadema*, quæ ſola cingebat tempora (cujus Plutarchus in Vita Magni *Pompeii* meminit, & in vetuſtiſſimis numiſmatibus exprimitur,) ob reverentiam clericalis coronæ à *Silveſtro* Pontifice rejectam fuiſſe cum dedecus videretur, raſo capiti diadema imponere, vel apertum & ad cutem uſque detonſum, virta purpurea cingere. At vero *Silveſter* Pontifex *Phrygium circulare* geſtandum ſibi ſumſit, id eſt, Phrygiam tiarum, ut Juvenalis Satyra 6, ait:

Et Phrygia veſtitur bucca tiara,

Vel illud ornamentum ex Phœnicia vel ex Phrygia uſurpatum; amborum enim idem erat ornatus, quia Phryges, ut Herodianus eſt auctor, à Phœnicibus originem duxerunt, *Phrygium* enim ornamenti

depictum dicitur, & *Phrygia* vestis picta, ejusque artifices *Phrygiones* appellantur apud Non. Marcellum. Hoc vero *Phrygium* ex auro confectum, circulatique forma præditum, idem cum *tiara recta* est, ex eisdem S. *Silvestri* Actis, tamquam ex certissimis tabulis constat. Nam cum omnia ornamenta enumerasset Imperator, quæ dono contulerat Pontifici *Silvestro*, & in *Phrygii* vocem incidisset, fortasse multis obscuram, eam explicavit, ut omnibus innotescceret, de qua re eloqueretur. Ὁμοίως δὲ καὶ τὸ Φρύγιον, τοῦτ' ἔστι καλύπτραν ἢ τὴν μίτρας, ἤγουν, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐπώμιον, ἤγουν, τὸ λῶρον ὃ περιέωθε τὸν βασίλειον τράχηλον ἀνυχένα. *Similiter*, inquit, *& Phrygium, nempe tegmen capitis, sive mitram, atque superhumerale, nempe lorum quod Imperatoris collum solet obnubere.* Ergo constat *mitram* dictam fuisse *Phrygium*, & à *loro* distinctam: cum *mitra* propria Phrygum esset, ut Poeta:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Sed codex quidam Latinus satis vetustus habet, *Pileum, vel mitram, Phrygium: nec non & superhumerale, videlicet lorum*, ut notat Augustinus Eugubinus de Donatione Constantini.

Theodorus Balsamon has voces parum distinguens, multis errandi ansam præbuit. Qui cum *Phrygium* & *lorum* obscure confunderet, nescio quam inde recentiores opinionem excogitarunt de *pallio*, quo Archiepiscopi, Romani Pontificis auctoritate, induuntur; quasi Phrygium idem esset cum pallio & loro: quæ minus apte videntur convenire historiæ, quam Nicephorus lib 14 cap 34. de *B Cyrillo* conscripsit. Est enim lorum idem fortasse cum stola & pallio, quod Alexandrini Patriarchæ ex collo defuncti accipere consueverant, ut narrat Liberatus cap. 20. sui Breviarii, & Anton. Augustinus in Epitome Juris veteris lib. 2. tit 3. *Phrygium* tamen nil quidquam commune habet cum pallio, ut ex veteri

pictura

pictura S. *Cyrilli* Alexandrini, qui Phrygium à *Celestino* acceperat, luce clarius perspicitur.

Alii Auctores non ad *Constantinum*, sed ad *Clodoveum* hujus *coronæ* originem revocant, ut ex Sigeberto anno Domini 550. colligere contendunt. *Clodoveus rex*, ait Sigebertus, *ab Anastasio Imperatore codicillos de Consulatu, & coronam auream cum gemmis, & tunicam blattcam accepit, & ea die Consul & Augustus appellatus est. Ipse verò Rex misit Romam S. Petri coronam auream cum gemmis, quæ* regnum *appellare solet.*

Aimoinus lib. 1. cap. 24. idem prorsus affirmat, & Anastasius Bibliothecarius sub *Hormisda* Pontifice multa dona *B. Petrum* accepisse testatur. Apud quem *Constantinum II.* Pont. Max. anno 766. in S. *Petro* coronatum legi, & *Philippum I.* Papam eodem anno consecrationem & coronationem accepisse. Sed veteres Scriptores *consecrationis* nomine coronationis ritum amplectuntur: nam cum multi *Carolum Magnum* in Imperatorem consecratum referunt eum populi applausu *coronatum* fuisse significant, & sub ea voce, etiam coronationis ritum intelligunt. Unde facilè colligi poterit, coronationem Pontificis à priscis temporibus originem duxisse, cum anno 683. sub *Agathone I.* & *Benedicto II.* fuerit abrogata consuetudo, qua pecuniam pro consecratione Pontificis dare, vel assensum consecrandi & coronandi ab Imperatore expectare oportebat. *Eugenius II* anno 824. 11. Kal. Junii coronatus est, *Benedictus* anno 855. corona imposita *Formosus I.* Papali corona anno 891. insignitus. Sed post *Clementem II.* anno 1044. auctore Panvino, omnes Pontifices coronationis insignia acceperunt: ut inde verissime ab Isaja cap. 61. vaticinatione prædictum agnoscamus, *Sacerdotes vestimenta salutis indutos, & quasi sponsæ coronatos fuisse.* Quem locum aperte Aquila transtulit ἱερατεύσεσι στεφάνῳ: id est, *eum constitutum esse Pontificem, qui in ea sacra dignitate coronam*

capite deferret. Erit, inquit cap 12. *in die illo, vocabo puerum meum Eliachim filium Elciæ, & induam illum ſtola, & coronam dabo ei. Corona* ſymbolum eſt Imperii, *ſtola* ſignum œconomiæ, quæ varia eſt in domo Domini. Subjungit Propheta ex interpretatione Euſebii, *Imperium & œconomiam tradam in manus Eliachim*, ut cum omni auctoritate & poteſtate præeſſet Pontificatui in regno Juda. Sic in Apocalypſi cap. 14. Filius hominis *corona aurea* inſignitus, nube innixus apparuit. & cap. 19. verbum Dei equo albo inſidens, & multis diadematibus (quibus ſe ſuoſque coronaret) decoratus viſus eſt à *Ioanne*; ea quidem cauſa (ut ait Anſelmus) quia ob ſummam ſapientiam, quæ per aurum exprimitur victoriam de omnibus reportavit, & ſuo fidei imperio ſubegit. Sic etiam Pontifex Maximus, qui omnibus auctoritate præeſt, gentes, populos, tribus, & nationes ſua auctoritate ſubjecit, ut Chriſti poteſtati ſubjugaret. Qua de re merito triplicem coronam capiti aptavit Pontifex Maximus, ut ſe aliis Regibus gloria, auctoritate, rebus geſtis, ſuperiorem oſtenderet.

Poſt omnes Pontifices noſtro ſæculo *Paulus* II. qui maxime ornamenta Pontificia excoluit, *Regnum* gemmis auroque diſtinctum mirum in modum decoravit, cum omnibus aliis dignitate antecederet. Quare ut meo munere defunctus videar Cæſar Coſta (lib 1. Variarum ambiguitatum cap. 3.) ſolum hujus rei veritatem per tranſennam aſpexit. Nam neque *triplex corona* à tribus illis, quas ipſe exiſtimat, cauſis duxit originem, neque ad tituli myſticam ſignificationem revocari debet: cum hæ omnes parum ponderis & auctoritatis obtineant apud eos qui veritatem inquirunt.

STE-

STEPHANI PIGII

DE JUBILEI ANNO SACRO, EJUSQ. CAUSIS ET ORIGINE.

CAP. XII.

NONNULLA hic de cauſis & origine *anni Iubilei*, & *portæ ſanctæ* vetuſtis ceremoniis, in medium proferre non incongruum videtur Antiquiſſimam ejus quidem anni inſtitutionem eſſe conſtat apud Hebræos, quem Moyſes eorum primus legiſlator ex Dei oraculo non ſine myſticis rationibus ordinavit, ex ſeptem hebdomadibus annorum perfectis, quæ ſimul quadraginta novem annos conſtituunt. Supplet ac perficit hunc ſeptem ſeptenniorum, ut ita dicam, circulum ipſa monas in quinquageſimo, non quidem per ſe numerus, cum ſit individuus, ſed numeri principium, & finis, fons, radix, ac parens. Non ineptè propterea uni individuoque Deo, ſummo bono, rerum omnium auctori, atque parenti conſervatorique comparata: qui, non ſecus ac monas numerorum ſeriem, mundum, rerumque in eo cunctarum ſtatum ac ordinem ſuo nutu immutabilis, ac ſemper idem ipſe moderatur, atque continet. *Septenarium* numerum, quidem ab ipſo mirifice commendari, plurimis argumentis cognitum eſt: & maxima quæque ingenia cauſſas indagare ſatis nequeunt, Mundum inprimis ornavit ſeptem ſtellis vagantibus, quas *Planetas* ideo vocamus. Et quia variis eximiiſque virtutibus præpotentes in elementa ac inferiora corpora cuncta dominantur, haud male κοσμοκράτορας, tamquam mundi principes, veterum iudicio nuncupatos fuiſſe legimus. Quin etiam homo, quem ad imaginem ſuam factum, ac ratione dotatum, veluti delicias ſuas orbi terrarum rebuſque in eo creatis omnibus præpoſuit, tota membrorum ſymmetria, corporiſque compage ſic conflatus divino numine videtur, ut ſeptenarii numeri vis atque poteſtas

teſtas in eodem lucu'enter eniteat. Conſtat etenim, ipſum ſeptenaria ratione concipi, formari, viveſcere, perfici, adoleſcere, & roborari, nec non decreſcere atque debilitari. Quemadmodum Platonici copioſe demonſtrant, argumentiſque pervincunt, totam humani corporis fabricam atque hominis vitam iſto diſpenſari numero. Quin etiam ſenſuum officia quatuor, viſus, auditus, olfactus & guſtus in capite velut in arce poſita, quo rationis remone regerentur, ſeptem foraminibus, oris videlicet uno, oculorum, aurium & narium terbinis adminiſtrari: quintum vero, tactus, per totum corpus diffundi, ut torporem viventis arceat, & vigilantiam excitet ad noxia quæque fugienda. Quapropter hunc numerum perfectionis univerſitatiſque plenitudinem in ſe continere, doctorum opinione receptum eſt; idemque perſuadent ejus virtutes & effectus, veluti pulcherrimè docet tamquam in digitos argumenta diducens, *Macrobius* in ſuis Commentatiis, quos in Scipionis ſomnium Tullianum luculentiſſime conſcripſit; ad quem hujus myſterii curioſum Lectorem remitto, quandoquidem ulterius nunc pergendum nobis eſt.

Quantum igitur excellentiæ ac dignitatis ſeptenarius rebus à Deo creatis adſerat, hic diffuſius explicare neceſſe non videtur, non præteribo tamen quod rem attinet eumdem ab omnipotente Deo conſecratum ab initio fuiſſe, cum omnipotente Verbo mundum ſex dierum ſpatio crearet, & tantis operibus conſummatis, ſeprimo die quieſceret, qui inde *Sabbatum*, id eſt, *quies* dictus eſt. Itaque diem ſeptimum quemque ſanctitudine peculiari ſublimavit, feriatumque ab operibus profanis eſſe voluit, cum hebdomadam abſolvat, nempe ſeptem dierum ſpatium: cujus circulo ac repetitione menſes, anni, & ſæcula peraguntur non ſolum, verumetiam ætates, animantiumq; vitæ per climacteras quaſdam ſuas reguntur. Quare per Moyſen populi ſui ducem

ſancii.

ſanciri legibus juſſit, ut ſeptimum quemque diem, menſem, ac annum religioſiſſime colerent, hunc numerum in ſacris cærimoniis & arcanis myſteriis reverenter obſervarent: ſeptimo die populus ab omni opere abſtineret, rebuſque divinis vacaret, quia ſabbatum Domini Dei, & ſignum fœderis ipſius eſſet: ſeptimo menſe tubæ clangerent, afflictioneque fierent expiationes à peccatis; ſex annis agriculturam exercerent, fructus colligerent, ſeptimo quieſcerent, fructus pauperibus relinquerent: ſex annis Hebræus emptus ſervitutem ſerviret, ſeptimo, ſi velit, liberaretur gratis; ſi nolit, aure pertuſa domini maneret in ſæculum Jubilei ſequentis. Utque poſt ſeptem hebdomadas annorum plenas, quę conſtituunt quadraginta novem, ſequenti quinquageſimo feriarentur; quem tubarum ſeptem clangore, quadrageſimi noni anni menſe ſeptimo indicerent publicarentque: quia Jubileus ac remiſſionis omnium vocaretur, eſſetque ſanctiſſimus: eodem non ſererent, nec ſponte naſcentia meterent, colligerentve primitias: eodem contractus, obligationes, & debita quævis diſſolverentur, exilia & ſervitutes omnes tollerentur, venditæ alienatæque poſſeſſiones rediret ad primos dominos, & unuſquiſque ad familiam priſtinam, nativumque ſtatum ſuum. Admodum igitur appoſite hunc annum Jubileum, quaſi remiſſionis, reditus, atque lætitiæ haberi ac nominari legiſlator voluit à voce primigenia *Jobel*, quæ lingua Hebræorum ſonat *reductionem* vel *reditum*; Chaldæis autem *arietem*, ex arietum autem cornibus erant compoſitæ illæ tubæ, vel buccinæ ſeptem quibus hic annus à Sacerdotibus publicari ſolet. Nec inepte quidem, ſignificabat etenim ipſis *arie*. Regnum ac Sacerdotium, dux enim & cuſtos eſt gregis. Principes igitur Sacerdotum, ſeptem ex lege tubis ſuis arietinis, priſtini ſtatus reductionem, velut maximi gaudii nuntium, populo publicabant Latini, verè gaudium ineffabile, quod verbis explicari

cari nequit, voce tamen teſtatum, non diſſimili nec minus antiquo vocabulo, *Iubilum* appellant: quemadmodum & Celtæ, Germanique rem pretioſam, charam, & gaudio afficientem, *Iouweelum*, iidem *Iubileum* annum ſua lingua vocant *aureum*, à metalli ejus pretio, ut & omnia chara dicunt *aurea*. Quæ quidem nomina ex eodē fonte prognata ſunt, & anni dicti non minus, quam legis virtutes & effectus declarant. Quid enim non gaudii & exultationis adferunt debitorum remiſſio, bonorumque recuperatio pauperibus, libertas ſervis? quid non deſiderii tantorum beneficiorum expectatio? Non immerito quidem annus hic, quem & *aureum* Germani nuncupant, ab afflictis & oppreſſis, tamquam pretioſus & charus haberi, votis omnibus exoptari, & excipi ſumma cum lætitia poterat. Ceterum non ſine divinis rationibus Legiſlator ille ſummus eos ritus inſtituiſſe, legeſque tales præfracto & barbaræ ſervituti adſueto populo impoſuiſſe videtur, quibus eum ad humaniorem cultum reduceret, & ad ſui timorem ac reverentiam compelleret: cum nimirum ſibi hunc, velut in hæredium, & in ejus fundo ſtirpem delegiſſet, ex qua denique Servator humani generis CHRISTUS Dominus noſter divina prædeſtinatione naſceretur in terris, ex tribu videlicet Juda, & ſemine David, quemadmodum plurimi Prophetæ vaticinati ſunt. Ne igitur familiarum ac tribuum fieret confuſio temporum longo ſucceſſu, quæ naſci plerumque ſolet ex longinquis & promiſcuis conjugiis, & bonorum hæreditariorum alienatione; cautum diligenter legibus, ne quis extra familiam aut tribum ſuam matrimonium iniret, néve nuberet: uti uxorem viduam fratris ſui defuncti ſine liberis, frater ducat in matrimonium, ſemen ſuſcitet, & primogenitū ejus nomine appelletur: uti in tribubus duodecim familiæ ſingulæ reſtituerentur in integrum anno quoq; quinquageſimo; poſſeſſiones villæ, bonaque omnia quocumque modo diſtracta redi-

redirent ex prima sortium distributione ad easdem, & primos heredes suos, atque in servitutem addicti in libertatem, & ad cognationem quisque suam. Harum igitur legum beneficio sanguinum commixtio, hereditariarumque portionum, quos Josue dux populi Hebræi tribubus ac earum familiis singulis in Terra promissionis ab initio assignaverat, alienationes perpetuæ prohibebantur. Nam, & anni *Jubilei* recursus, velut aureum quoddam sæculum, collapsa reparando prisca jura, possessiones, libertates familiis singulis, atque privatim cuique, nec non felicem ac quietum Reip. totius statum reducebat. Non itaque difficile familiarum stemmata & propagines à prima stirpe deducere, cum intra familiam & cognationem manerent conjugia. Et cum maxime illi populo fuerit semper usitatum genealogias colligere, & natalia quorumcumque curiose scriptis mandare, ut liquide satis ex Patrum sacris voluminibus atque vaticiniis constet, adventum expectatum Messiæ in Christi liberatoris nostri, ex sanguine David, & tribu Juda nati vita & passione, in terris expletum fuisse: quod in confusione illa cognationum ac familiarum haud facile demonstrari potuisset. Jam vero sabbati, & anni septimi, ac rursum cum *Jubileo* recurrens illa quies atque vacatio laborum publica commodi plurimum adferebat, hominibus videlicet atque jumentis virium restauratione, agris fœcunditatem, pinguiaque novalia possessoribus agricolis. Libertatum denique atq; bonorum recuperatio, hoc est, restitutio in integrũ & pristinum statum uniuscujusq;, certam quamdam suis temporibus conditionum ac fortunarum æqualitatẽ pariebat, quæ ut conciliatrix amoris & concordiæ, sic & injuriarum, invidiæ, atque contumelioſæ superbiæ profligatrix esse solebat. Itaque visum supremo Legislatori, hisce ritibus, aliisque legibus opportunis, gentem in usuras, avaritiam, ac sordidos quæstus pronam compescere, ne divitiis supra modũm evect

inſo;

insoleſcerent, pauperes opprimerent, virtutem ac cultum divinum vilipenderent. Atque hæ quidem haud leves inſtituti apud Hebræos *Iubilei* anni fuiſſe cauſæ videntur. Verum enim vero, cum in veteris Legis oneribus, & umbratilibus ſacramentis, quæ Moyſes obvelare facie legem ferens Iſraelitis impoſuit, gratia Dei, qua genus humanum crimine primi parentis collapſum per filium ſuum Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum, ordinatiſſima temporum diſpoſitione reſtaurare decreverat, operta multis ſæculis jacuerit, quæ tandem per Chriſti Euangelium, ac ejus paſſionem, velo Templi ſciſſo, in lucem prodiit, jam mihi facile perſuadeo, ſub prima illa ſabbati atque anni *Iubilei* inſtitutione ſublimiora etiam myſteria comprehenſa latitaſſe. Sic etenim neceſſe eſt intelligamus, quæcunque ſub veteri Lege decreta factave eſſe legimus, ut cogitemus in his eſſe plurima, quæ ſignant poſtmodum in Eccleſia Chriſti gerenda, & nobis etiam imitanda eſſe, quemadmodum *D. Gregorius* teſtatur. Quid enim ſignificat, *ſeptimi diei ſabbatum*, quod Deus ipſe ab operibus quieſcendo lancire voluit, & vacatione diligenti profanorum atque ſervilium laborum ſacrari à Judæis? Non aliud ex *D. Auguſtini* ſententia quam à ſervitute perpetui hoſtis & peccatorum jugo liberandos nos eſſe per CHRISTI paſſionem & Spiritum ſanctum, quo beneficio vinculis peccati diſſolutis in veram libertatem aſſerimur. CHRISTUS igitur nos oneratos ac laborantes ſublevat & reficit, feſſis criminum ſublato pondere veram quietem præſtat. Hic libertatis noſtræ vindex legem adimplens ipſe ſabbatum felicitſſimum nobis attulit, miſſus à Patre, ut ſuis nuntiaret annum *Iubileum*, plenum ſalutis & gaudii ineffabilis; vel, ut Iſaiæ: ropheta verbis dicam, annum placabilem vel acceptabilem Domino, & diem retributionis Deo noſtro. Quod vaticinium in ſe compleri palam indicavit CHRISTUS ipſe, cum in terris inci-

peret

peret Evangelium, atque annum hunc acceptabilem prædicaret; jam in Jordane baptismatis tinctus ac unctus Sacramento; nec non superveniente figura columbæ Spiritus sancti numine, & Dei Patris oraculo commendatus, ut ipsum audiremus. Tunc patriæ suæ synagogam ex more sabbato ingressus, cum librum lecturus aperuisset, in eadem incidit Isaiæ verba hæc: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me; ad evangelizandum, mansuetis misit me, ut mederer contritis corde*, & quæ sequuntur. Cumque legisset, & omniũ oculi in eum essent intenti, convoluto libro, cœpit ad eos dicere: *Hodie completa est Scriptura hæc in auribus vestris*, & facundiæ ad miraculum ex ejus ore fluentis gratia cunctis hoc facilè persuasit, CHRISTVS igitur Servator noster *Jubileum* & gratiæ verum annum à Judæis ex lege per figuram celebratum nobis attulit, & simul per Evangelium annunciavit mansuetis, hoc est, spiritu pauperibus, ut *D. Hieronymus* Prophetæ verba interpretatur. Missus ad sananda vulnera contritorum, & ut prædicaret captivis peccatoque servis libertatem, clausis apertionem, vel vinctis solutionem. Hic legis abolevit obligationes, & reliqua vetera. Hic primi parentis crimine genus humanum infestissimi hostis servituti mancipatum sua morte liberavit, peccatorum vincula solvit, clausos in barathro Patres antiquos à morte resurgens reduxit, apertaque cœli porta, beatitudinis æternę thesauros patefecit, hereditatem amissam, & felices Paradisi possessiones, cœlestemq; patriam exulibus nobis ad eum redeuntibus benigne restituit. Adventus quidem tam exoptati temporis, vel potius *Jubilei* nostri etiam arietinarum tubarum septem clangore nobis prænuntiatus fuit, nempe variciniis Prophetarum plurimis, ut septenarius numerus itẽ multitudinis symbolum est. Notum est itidem, in veteri Lege mensis septimi initio *Tubarum festum* celebrasse Judæos, nihilque aliud sibi hoc voluisse, ut interpretantur

Theologi

Theologi, nisi ex Prophetarum oraculis Euangelii, & Apostolorum vocibus, quarum sonus cœlestium tubarum instar in omnes terræ fines exire destinatum erat, instituere & imitari sacra omnia nos debere. Quin etiam arietes *Nabajoth*, qui apud Isaiam cap. IX. ministrabunt & offerent, D. Hieronymus interpretatur de electis in sacerdotium, & de ministris Ecclesiæ, & ubi Psalmographus cecinit, *filios arietum* Domino adferendos esse, eos *Principes Ecclesiarum* Eucherius, exponit vel, ut Augustini verbis dicam, quos per Euangelium duces gregum Apostoli genuerunt, *Arietina* igitur *tuba*, videlicet Moyses & Prophetæ, nobis hunc annum remissionis & gratiæ per figuras & ænigmata obscure clangere cœperunt; ac demum ille præco buccinator *D. Ioannes* Præcursor in fine quadragesimi noni anni, in ipso Liberatoris nostri adventu; imo etiã Angelicus è cœlo concentus in ipsius nativitate, cum ex Virginis utero procedens, portam gratiarum auream cunctis aperuisset, pastoribus apertius, pacem & gaudium magnum bonæ voluntatis hominibus promittentes nuntiarunt. Admodum igitur apposite & hos *arietinas* nobis fuisse *tubas* opinabimur, qui nobis CHRISTUM monstrarunt, ut agnum innocuum & immaculatum qui mundi peccata sua morte tolleret & æternæ vitæ referaret aditum. Quin per *arietem* illum, quem iussus erat Aaron pontifex pro populi peccatis offerre in holocaustum, CHRISTUS etiam repræsentatus fuit, ut D Augustinus, Hesychius, aliique veteres Theologi interpretantur. Nam hic idem per crucis extensus cornua, spinisque coronatus, olim obumbratus fuerat per arietem cornibus suspensum in vepribus, quem pro filio iussus Abrahamus immolavit. Hæc victima sola Sanguine suo supremæ justitiæ moriens satisfecit, primi parentis, universique generis humani crimina, quibus immortalitati eramus facti inhabiles, diluit ac sustulit, amissas æternæ beatitudinis possessiones hereditarias, libertatem.

utemque illam priſcam reſtituit cunctis, ejus Evangelium ac legem gratiæ, ſine qua vetus Lex ad ſalutem invalida eſt, recipere volentibus. Cujus quidem tamquam *Jubilei* veri ac placatiſſimi anni buccinator etiam ipſe nón minus, quam auctor in Judæa fuit. Et cum Corporis & Sanguinis ſui teſtamentum credentibus reliqueret, per mortis tramitem vitæ portam mox aperiret, per Crucis arma noſtræ ſervitutis tyranno proſtigato, caſtriſque ejus expugnatis, vincula captivorum ſolveret, mortis & inferni victor redivivus triumphans in cœlum ſcanderet: abundantiſſime pro noſtra ſalute & reſtitutione debitum ſolvit. Deoque Patri ad ejus gratiam ſe conferentes cunctos reconciliavit. Jam vero cum vivificus dictæ gratiæ noſtræque reparationis theſaurus cunctis quidem pateat accedere ad ipſum volentibus: non tamen ad ejus uſumfructum quis pervenire poteſt, niſi per legem gratiæ, & Sacramenta à Chriſto liberatore noſtro inſtituta renatus, in Eccleſiæ gremium prius admittatur. Hujus igitur inæſtimabilis theſauri diſpenſationem abſolutam è terris diſcendens Chriſtus, Petro & Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus commendavit, ut eumdem per Eccleſiæ ſuæ membra fideliter & prudenter pro animarum ſalute, diſtribuerent. Itaque completis rurſum ſeptem ſeptenariis myſticis, quinquageſima poſt reſurrectionem die, cum jam in cælum aſcendiſſet, promiſſum ſuis Spiritum ſanctum miſit, cujus afflati numine, nihil non rite facerent ac docerent in eius Eccleſia. Remanet igitur hæc plena diſtribuendi poteſtas per Spiritum ſanctum in *D. Petri*, quem paſtorem in terris conſtituerat, & curam ſui gregis cum clavibus regni cœlorum dederat, ſucceſſore hierarcha Romano, ut is pro uſu & neceſſitate temporum, paſſionis & ſanguinis ſui incomparabili pretio ſuccurrat imbecillitati noſtræ, quando variis in hac miſeriarum valle malorum periculis & ærumnis expoſiti perduellis inimici inſidiis atque

que infestationibus assidue vexemur. Sic enim visum supremo Numini, proprio non parcere Filio, sed humiliatum humanæ fragilitatis conditione mori substernere, pluribus onerare calamitatibus, novæ dedere, ut tanti pignoris pretio salutis æternæ porta ad eam tendentibus aperiretur. Itemque voluit, ut Filii sui vestigia hic insequamur nostram & ipsimet crucem portemus, licet invalidi. Adsit, ut *D. Pauli* verbis dicam, stimulus carnis, vel angelus satanæ, qui colaphizet per errores & carnis passiones, ut vigilemus diligenter per adversitates ne extoliamur in superbiam. Hujus improbitatem & colaphos cum non semel *Paulus* fuisset deprecatus, repulsam se passum cum tali responso scribit. *Sufficit tibi gratia mea.* Cujus quidem ope laboremus oportet continue, ut destruatur in nobis peccati jugum, eoque dissipato, CHRISTI Servatoris nos adaptemus auxilio, veræ libertatis beatitudini, nequissimamque dæmonum tyrannidem orationibus & jejuniis feliciter excutiamus. CHRISTI enim solius meritis nostra qualiacumque bona opera ad eam beatitudinem consequendam conferre quid poterunt? In eum itaque finem à Romanis Pontificibus, *D. Petri* successoribus, ad imitationem veteris *Jubilei* Hebræorum, inter alios, quibus in officio Ecclesiam gregemque sibi commissum continent, modos, & ille ab antiquo repertus est, quo populum ad pœnitentiam errorum & scelerum, vitæque correctionem, & ad pietatis exercitia pellicerent: quo revocant statis diebus ac annis in memoriam hominum Christi servatoris nostri benignitatem & merita, per quæ culparum omnium venia atque condonatio gratuita ejus clementiam implorantibus præsentatur. Omnes etenim ut Flaccus Poëta canit,

Non secus ac pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima,

Magnis propositis præmiis invitant ad veri illius *Jubilei*

à Deo per Filium nobis promulgati communionem, velati ad solemne Regis superni convivium & hymenejas epulas, ad quas neminem nisi in habitu nuptiali splendidum, nisi fœdis vitiorum sordibus expurgatum, venire decet. Quarum elevandarum causa Summus Pontifex paratos ac limpidos nobis ostentat fontes, nempe Sanguinem sacrosanctum, ac merita Christi. Ad quos precibus, jejuniis, eleemosynisque pro nostro modulo præparati, Divorum patrociniis adjuti properemus licet, ea cum fiducia & persuasione; solum liquorem nos emundare & candidatos adaptare tanto convivio posse. Nam nihil Redemptoris nostri gloriæ decedet propterea, (ut hæretici maligne calumniantur) quod nostræ imbecillitatis memores, nostrisque viribus diffisi, Patronos ipsi gratos imploremus, & adminicula opportuna solliciti quæramus. Cum autem publicæ cærimoniæ & epiphaniæ vel apparitiones quædam adiaphoræ, partim olim admissæ inter sacra, tamquam imagines & picturæ moveant & incitent hominum animos; doceant, & renovent memoriam rerum gerendarum; quos D. Augustinus eleganter admodum *escas* appellat, quibus in utero suo susceptos, & ex Baptismo renatos fovet ac reficit Mater Ecclesia, ut hilares & bene pastos nos exhibeat Christo: non incongruum profecto vel ineptum videri poterit, quod Summus Pontifex populum omnem Christianum sibi commissum exhortatur ad pietatem, preces, operaque bona, instante *Iubileo* gratiarum ve tempore sacro; vel ingruente Turcico bello, periculosaque tempestate quapiam Remp. Christianam turbante. Non absurdum apparebit, quod nos inflammet ad opem divinam implorandam convocet gregem universum ad ovile suum, ad Ecclesiam videlicet Romanam, tamquam ad fidei petram, & Ecclesiæ fundamentum: immo velut congregat ad arcam Noe, extra quam (ut D. Hieronymus ad Damasum scribit) regnante diluvio qui manet, peribit. Non otiosum,

tioſum, inquam, videbitur, quod orande, pulſandoque gratiæ cœleſtis portas aperiri poſſe cærimoniis demonſtret, dum omnibus Ordinibus ſacris ſtipatus, maxima cum pompa portam Baſilicæ *D. Petri* Apoſtolorum Principis in *Vaticano*, ſemper alioquin muro lateritio clauſam, anni illius initio precibus & malleo recludit, atque per eamdem *Crucis* ſacroſanctæ ſignum triumphale, cereaque benedicta ſancti Spiritus lucem mentes illuminantem, ac divini amoris flammâ corda ſuccendentem infert, populi multitudine ingenti ſubſequente, Quantus tum, ô ſuperi, hominum omnis generis ex univerſis Chriſtiani orbis provinciis ad ea ſacra Romam venientium confluxus? Expoſita cuivis ex inexhauſto paſſionis & meritorum Chriſti Divorumque theſauro pleniſſimo peccatorum indulgentia; non propter dictas illas cærimonias, non ob noſtras preces, peregrinationes, aut labores, ſed propter unicum noſtræ ſalutis aſſertorem JESUM CHRISTUM. Quod ipſum etiam in ſuis Edictis Summi Pontifices promulgare numquam prætermittunt. Ob has igitur rationes, & in eum modum anni *Iubilei* feſtum à *D. Petri* ſucceſſoribus inſtitutum indicitur: non quidem Judaico prorſus ritu, ſive ex veteris Legis decreto, cujus cærimonias per Evangelii gratiam ablatas eſſe, Paulus ubique contendit, ſed ut legis Moyſaicæ adimpleat myſteria, cum illa *Iubilei* tempore poſſeſſiones & bona his in terris dumtaxat redderet, nexos ſolveret, & corpora in libertatem vindicaret: nobis autem per Evangelium *Iubileus* annus exoptabilior offertur, quo nexus animorum ſolvuntur à criminum vinculis, amiſſæque cœlorum poſſeſſiones in libertatem aſſertis reſtituuntur.

Ut autem anno quoque centeſimo hæc feſta repeterentur, *Bonifacius* VIII Summus Pontifex primum decrevit; & portam Baſilicæ in *Vaticano* aperuit, largiſſimamq; ſtatuit peccatorum omnium indul-

dulgentiam cunctis qui Urbis inquilini triginta ejus anni diebus, quive peregrini aut advenæ, quindecim diebus, confessione, pœnitentia, ac Corporis Christi communione prius lustrati, ad sacra religiose per eam intrassent. *Clemens* VI. post eum ejus nominis, flagitantibus Romanis, ad annum quinquagesimum *Jubilea* reduxit, cui & grati tanti muneris dispensandi occasio visa fuit. Is alteram addidit portam Basilicæ *D. Ioannis Lateranensis* in Cœlio, statuitque ut totidem vicibus & ibidem sacra visitarentur. Adjectæ postea ad similes visitationes faciendas duæ sanctiores aliæ basilicæ, *D. Mariæ Majoris* in Esquiliis, & *D. Pauli* Via Ostiensi. Atque ita portæ patefiunt in Vigilia Christi Nativitatis, initio *Jubilei*, eadem hora quatuor, una, ut diximus, per Summum pontificem, aliæ tres per Basilicarum dictarum Antistites symmystas Cardinales. *Sixtus* IV. denique temporis interstitium contraxit ad annos viginti quinque, ratus vitam hominis, mille casibus & periculis expositam, rarius ad quinquagesimum annum pervenire, gratiæque illius expertam infinitam hominum multitudinem idcirco fieri: ætati cuivis anno quoque vigesimoquinto recte consuli, cum unius hominis vita ter annum illum felicem & optatum attingere possit, in juventute nimirum, virili ætate, & senectute, fraudarique dumtaxat, quibus lubricam adolescentiam excedere non contingit. Hæc præcipua contrahendi temporis causa fuit, ut videlicet major frequentiorque cœlestium gratiarum copia proveniret, non pecuniarum, sicut avidam falsæ magis quam salsæ jactitant. Quid enim hoc sæculo his moribus tantum lucri Pontificio ærario ex stipe illa collatitia & arbitraria accedat non video, quæ potius ad Basilicarum, sive Ædium sacrarum fabricam, pietatisque culturam conservari solet. Summo Pontifici interea non levis incumbit cura, ut in Urbe, & Ecclesiæ ditionibus ubique locorum ad tantum populorum confluxum

abundet copia, annonæ provideatur vilitas, utique itinera reddantur à latrociniis tuta peregrinis, quæ quidem sine magnis sumptibus præstari nequeunt. Sed de *Iubilæi* origine & causis jam satis.

EJUSDEM PIGHII.

DE INSIGNIBUS MILITARIBUS APONT. MAX. PRINCIPIBUS DEFERRI SOLITIS.

CAP. XIII.

HONOS ingens à Summo Pontifice deferri interdum solet, qui Principibus maximis raro contingit, ob occasionum raritatem. Mos etenim vetustus jam à multis sæculis inolevit, desumptus, ut apparet, ex Machabæorum historia sacra, in qua lib. II. cap. XV. legimus. *Iudam* ducem exercitus Judaici, priusquam iniret contra *Nicanorem* prælium, vidisse in somnio summum Sacerdotem *Oniam* pro populo orantem, *Ieremiam*que Prophetam tradentem sibi gladium aureum tali exhortatione ad prælium capessendum: *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.* Aggressus igitur prælium *Iudas*, compulsus ab hostibus Sabbato, victor, occiso *Nicanore* prostravit ad XXXV. hostium millia. Atque hinc occasio desumpta videtur sacri ritus istius, ut Romani Pontifices singulis annis in præclara Natalis Domini nostri JESU CHRISTI nocte, priusquam exordiuntur Sacrificia, thure & aqua lustrali consecrent & sanctis precibus inaugurent *ensem* affabre factum, aurea *vagina*, *balteo*, *capulo*que aureo instructum, & ejus mucroni impositum *galerum* ex holoserico molli janthino consutum, duplicatumque exuviis mustelarum, vel, ut quidam vocant, inalpinorum murium candidissimis, fascia vel diademate aureo circumdatum, & margaritis plurimis circumtextum, exornatumque.

No-

Nobilis & opima hæc ſemper habita eſt ſtrena quam parat ea nocte ſolam Pontifex Summus magno cuipiam Principi donandam, qui bene de Rep. Chriſtiana meritus eſt, vel bene mereri adhuc poteſt. Nec caret ſuis myſteriis aptiſſimis, quorum meminiſſe & exequi ſignificata Chriſtiani ac pii Principis intereſt. Rituales etenim Pontificum libri docent, per *enſem* illum conſecratum inprimis Dei infinitam potentiam permanentem in verbo, quo cuncta creavit, & quod tali die caro factum eſt, nimirum in CHRISTO Deo Filio, homine vero, Patrique æquali cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, ut ipſe, cœlum ſcanſurus ad Patrem, dixit; mandans eamdem poteſtatem Petro, ſuiſque Collegis in Eccleſia vel civitate nova nuper ab ipſo condita, & ſanguine ipſius conſecrata, adverſus quam portæ inferorum non eſſent prævalituræ. Cujus cum fundamenta firma in ovili ſuo paſtor bonus jeciſſet, ejus, ut dixi, gubernacula diſcipulis, ac Petro tamquam capiti, Vicarioque ſuo, cum clavibus regni cœlorum commiſit: jubens uti docerent omnia quæ mandaverat & docuerat ipſe; per Baptiſmum & Euangelium invitarent omnes gentes ad ſalutem, & reciperent quoſcumque in civitatem illam ſanctam, extra quam vera ſalus nulla, & in qua cœleſtis politiæ leges ac mandata ipſius ſervarentur, atque imperium omne legitimum in terris à Deo proveniens Spiritus ſancti nutu & auſpiciis rectè diſtribueretur. Divinæ providentiæ, cujus nutu regna conſtituuntur humana, ſacra myſteria quis digne ſatis admiretur; & veneretur? dum perpendimus, eam ſacræ illius politiæ ſuæ Prætorium ac Regale ſolium in arce imperii terreſtris urbe Roma collocare voluiſſe, quo gladius ille poteſtatis ſuprem-æ, cui terrarum orbem jam ſubjecerat, auro divinæ legis Chriſtianæque fidei tutius conſervaretur, atque ſalubrius regeretur. Itaque *Petrus* Apoſtolici ordinis Princeps ad hanc deſtinatur provinciam, inferreque tropæum Crucis

CHRISTI Romano Capitolio juſſus eſt, quo veritatis æternæ lumen in ſalutem omnium efficacius faciliuſque poſſet ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effundere. Deſignat igitur conſecratus *gladius*, item ille jus, imperium ac poteſtatem ſummam regendi in terris à CHRISTO relictam præſidi Eccleſiæ ſuæ *Petro*, & ejus ſucceſſoribus: à quibus Chriſtiani, & pii Principes etiam maximi, quique haud gravatim hoc juris acceptant, & acceptarunt hactenus qui ſe membra corporis Eccleſiaſtici, & ſanctæ à Chriſto conſtitutæ civitatis cives agnoſcunt; & intelligunt, ejus corporis eſſe caput unum, cui membra ſingula (ni tabeſcere & perire velint) ſubſervire debent. Atque in illa civitate rectorem à Chriſto poſitum eſſe cum poteſtate ſuprema Vicarium ſuum, cui Magiſtratus ſubdelegati obſecundare pacis & concordiæ cauſſa debent, ac nos omnes obtemperare, quamdiu ejus Reip. privilegiis gaudere volumus, cogimur, propter Chriſtum, cui nos in Baptiſmo ſubjecimus. Manifeſtum enim eſt, navem illam magnam Reip. Chriſtianæ ab uno gubernatore regi divino nutu, tamquam ab animo ſolo totum corpus: & licet ille clavum tenens in puppi ſedeat quietus, ejus tamen imperio, parendum tam nautis, quam qui una navigant, ſi proſpere ferri cupiunt. Jam *gladius* à majore poteſtate Principi traditus ſimul commendat prudentiam & rationem rectam, quæ bonum à malo diſcernit: admonet juſtitiæ ad æquitatis æquilibrium cum cura perpendendæ. Quapropter ejus acumen anceps, ad pravum non minus paratum, quam ad bonum deſtinatum, ſi in temerarii vel maligni hominis manum incidat, non ſine cauſa tegitur atque munitur auro, per quod veteres olim *ſophiam* ſive ſapientiam allegoricôs ſemper intellexerunt; quæ inter artes & ſcientias omnes ita excellit, ut *aurum* virtute, pulchritudine, ac pretio cetera metalla ſuperat. Hinc Salomonis in Proverbiis exhortationem legimus: *Poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt; & ac-*

& acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. D. Joannes in Revelatione sua hoc *aurum ignitum* appellat, ardore sancti Spiritus inflammatam, & pectora penetrantem sapientiam intelligens. Hoc ipsum magi ab Oriente venientes infanti obtulisse Christo Regi nato; hoc auto ab Hebræis Ægyptios fuisse spoliatos, per anagogen Sacra etiam innuit historia. Et quidem divinus ille *Plato*, à nostræ Religionis placitis haud longe dissitus, cum suis asseclis sapientiam & animi pulchritudinem *obryzo*, vel *auro defecatissimo* sæpius comparat. Quinimo gryphes atque formicas Indicas Æthiopicasque aurum in montem coacervare, nec non custodire diligenter, fabulati sunt antiqui, insinuantes, labore ac diligentia, & item animi magnitudine sapientiam adipiscendam esse. Nam formica laboris indefessi nobis exemplum præbet; & gryphus ex aquila & leone conflatum animal, ut fabulantur, simulachrum est generosi & magni animi: ideoque non inepte gryphes & formicas *Apollini*, sapientiæ Præsidi, dedicarunt. Jam vides quam apte Principis gladius, id est, legitima potestas à Deo data, ne lædat vel lædatur, sapientiæ ac boni consilii aureo regimine conservetur. Quoniam vero linguam constet in homine membrum pessimum atque optimum esse, paci atque concordiæ tam pestilens ac salubre, gladium quoque convenienter veteres esse pronuntiarunt, maledicos gladium in ore gestare dicentes. Admodum quidem apte *Diogenes* Cynicus, cum audiret juvenem formosum impudenter multa deblaterantem, *Non te pudet*, inquit, *ex eburnea vagina plumbeum educere gladium?* Ceterum gladii istius multo melior est usus, ut vaticinia de CHRISTO Redemptore nostro apud Isaiam docent: *Posuit os meum quasi gladium acutum* nimirum ex D. Hieronymi sententia, ut spiritu oris sui interficiat impium. De quo gladio & Christus ipse loquitur in

Evangelio : *Non veni pacem mittere, sed gladium*, malos quippe à bonis separando. Similiter Paulus vivum ait esse fidei sermonem, efficacem, & omni gladio ancipiti acutiorem penetrabiliorem que. Ad Ephesios item scribens verbum Dei *gladium spiritus* appellat. Aliter de Judæis Christi persecutoribus, qui male usi sunt gladiis suis. Psalmista canit: *Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*. Item : *Exacuerunt ut gladium linguas suas*. Ubi de calumniis & insidiis pravorum loquitur. At ille CHRISTI Pontificis nostri gladius est vera secespita, non tamen ut illa Romanorum Pontificum ac Flaminum à *Sexto Pompejo* nobis descripta, & in Antiquitatum reliquiis inter sacrificorum instrumenta adhuc apparens, qua carnem & ossa victimarum dissecabant, sed quæ dispartitur, ut *Paulus* ait, mortiferos carnis appetitus à vivifico spiritu, *pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum*, cum sit discretrix cogitationum & intentionum cordis. Ceterum eximio huic Summi Sacerdotis muneri *balteus* accedit ex auro puro contextus & pulcherrimè elaboratus, quo cum honor & dignitas militaris conferri solet antiquitus, eratque Ducum, Comitum, ac Principum gestamen. Quocirca non inepte vitiosum Magnatem sic notat Satyricus Poeta:

---- ilia subter
Cæcum vulnus habes, sed lato balteus auro
Protegit. ---

Arguit libidinis & obscœnitatis vulnus, quod nobilitatis ac dignitatis titulo tegere & excusare plures volunt. Additur item *galeo* non solum *balteus* sed *galerus*, sive *pileus*, capitis nimirum, quo nihil in unaquaque re prius ac nobilius est, tegmen præcipuum : quod quidem absolutæ libertatis summæque nobilitatis habetur insigne, non minus æstimatum sua significatione, quam auri gemmatam, ac materiæ pretio; cujus antiqua forma hemisphærica gran-

grandioris ovi alicujus in æquas partes dissectæ testæ similis ab initio fuit, qualia capitis tegumenta ex struthionum ovis capaciorjbus facta *Garamantas* olim lubenter gestasse, Lucianus in Diplade tradit; nunc tamen planiore vertice formant artifices mysteriorum ignari. Etenim illa *galeri* rotunditas superior cœli nos tegentis figuram concavam repræsentans mentem vitæque rationes omnes dirigendas ad æthera Beatorum domicilium esse sedulo, Principem monet, cujus quadam imagine caput suum contegit. Idem significat *galeri* color *janthinus*, sive cæruleus, cœli sereni speciem habens: scilicet; ut Ennii Poetæ verbis dicam *cæli cærula templa* Principibus esse contemplanda docent, cui præsidet summus omnium conditor Deus, ab eodemque tamquam justitiæ sole procedens sancti Spiritus igneum numen: quorum hoc in latere, per columbam candidam, ille per solis radiatum globum ex autounionibusque in ipsius galeri vertice figurantur. Nec otiosus est *pilleum* ac *margaritarum* candor ille niveus, Deo pergratus color; ad animum maxime translatus propter sinceritatem mentisque puritatem, quæ nos Deo conciliat: Beatorum cœtui adjungit, & quasi divinos reddit quando sanctiore Spiritus flamma succensus animus, Dei mandatis se conformat, turpe nil admittit, nil conscire sibi patitur. Alba quidem omnia ex Pythagoræ etiam sententia semper habebantur bona, felicia festa, & bene ominata. & propterea veteres Romani cum Magistratus petere vellent boni ominis causa cum toga candida prodibant in publicum. Ponticos autem & Alpinos mures candidos, quos *Armenios* nunc vocamus, talis intemeratæ sinceritatis atque etiam castitatis immaculatæ symbolo nobilitatos fuisse legimus, utpote qui candorem suum ament, atque spurcitias tanpere abominentur, ut cum fovearum suarum os cœno illita vident, se potius à venatoribus capi patiantur, quam eo fœdari velint. Pellis igitur a-

margaritarum nitor admonere Principem debet, ut animi candore, vitæque sincera probitate se gratum Deo hominibusque præstet. Nec ab ipso scopo prorsus dissitum, quod nationum omnium fere consensu candida tamquam divinis congrua Sacris adhibeantur, atque inprimis *albatæ vestes*, id est, puræ religiosæque; ut Servius commentat. Erant autem *lineæ*, omni solutæ vinculo, nullis maculis, nullis obsitæ squaloribus, nec funestæ aut fulguritæ, ut Caper & Hyginus annotarunt in illud Virgilii, *Velati lino, & urbena tempora vincti*. Et nostra jubet Religio, linteis iisque purissimis indutos tunicis sacra Deo canere. Colorem album ait Tullius lib. 2. de Legibus, præcipue decorum esse Deo, cum in ceteris, tum maxime in textili. Quid autem Tullium adfero? quando scimus CHRISTI nostri Servatoris indumenta, cum gloriam suam charioribus discipulis patefaceret, nivis in speciem alba apparuisse, atque etiam angeli illius de cœlo descendentis qui lapidem ab ostio monumenti revolvit. Hæc quidem luce clarius nobis ostendunt, quam à nobis requirat Deus cor mundum, vitam immaculatam, & animi sinceritatem; cum votis & precibus hæc expetere, & ejus rei memoriam in signis jam dictis etiam inter Sacra nobis observari perpetuo velit. Et hæc quidem de strenæ Pontificiæ mysteriis ideo diffusius, quod pauca discere prodita de his inveniam.

Summus Pontifex munus ipse Principi genua sumittens tradit, & defensionem Christianæ fidei Ecclesiæque Romanæ Catholicæ commendat, solemnibus verbis Deum Opt. Max. precatus, *Catholicum Principem, Christi tyronem, ac devotum sanctæ Matris Ecclesiæ filium, sua gratia ad heroicas virtutes provehat, armis justitiæ, sincera fidei, rectæque Religionis muniat & instruat adversus quoscumque Catholicæ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ inimicos: utique per ipsum vim æquitatis bonorum ad tutelam exerceat, molem iniquis-*

quitatem malarum ad vindictam pariter evertat. Princeps è dextra Summi Pontificis munus acceptans, veneratur ex more CHRISTI in terris Vicarium, Latinis verbis pro tanto honore gratias agit immensas, testatus, Superos, sibi nihil magis in votis esse, quam ut, divina suffragante clementia, posset vel ex parte Summi Pontificis totq; Procerum exspectationi satisfacere. Gladium deinde nobili ministro suo deferendum tradit: qui ante *Crucis* sanctæ signum donum illud gestat, dum è sacrario Summus Pontifex deducitur. Tum valedictis post factam congratulationem Cardinalibus cum Legatis, Princeps cui gladius cum galero præfertur, à castri Anglici Præfecto, Palatii item Magistro, omniq; adeo Nobilitate familiaque Pontificia, & satellitio Palatino stipatus, magna cum pompa, & tympanorum sonitu tubisque præcinentibus per Porticum milliariam è Palatio domum deducitur.

DE TIBERIS AUCTU.

CAP. XIV.

ANNO Christi M. CCC. LXXIX. die 9. Novembris ad tres cubitos flumen crevit, Signum apparet ad S. *Mariam supra Minervam.*

Anno M.CD. XXII. die festo S. *Andreæ*, sub *Martino* V. Pont. crevit altius cubito sesquialtero.

Anno M. CD. LXXVI. *Sixto* IV. sedente alveo excessit die 8. Januarii.

Anno M. CD.XCV. mense Decembri, *Alexandro* VI. Pontif. Max. Pontificatus ejus anno tertio altitudine XIII. pedum, Iterum *Leone* X. Pont. Max. excrevit.

Anno M.D. XXX. *Clemente* VII. Pont. Max. anno Pontificatus ejus septimo, 8. Id. Octob. altitudine XXIV. pedum è terra crevit. Signum ad S. *Eustachium* ostenditur, & in pariete juxta Templum B.

Mariæ populi, ad Portam Flaminiam, è regione obelisci. Rursum in Castro S. Angeli signum posuit *Guido Medices* arcis Præfectus.

Anno M. D. XLII. ut carmine *Marius Mulsa* eleganti testatur.

Auctus aquis, rapidoque trahens se gurgite, cives!
Terrebat canis Albula verticibus, &c.

Anno M. D. XCVIII. 9. Kal. Januarii, *Clementis*. VIII. Pontificatus anno septimo, Tiberis extra alveum elatus tantam Urbi stragem dedit, ut nullam post hominum memoriam majorem. Pontifice jam triduo *Ferraria*, quam receperat, Sedique reddidit Apostolicæ, reduce & salvo. Adeo vere Sapiens, extremum gaudii luctum occupare. At qua erat pietate Beatissimus Pater, pro anno sæculari sacro *Jubilei* millesimi & sexcentesimi instaurabat omnia domosque eluvione eversas exædificandas curabat.

DE tuenda Romæ valetudine scripsit erudite *Alexander Petronius*, Medicus Romanus, &, ni fallor, *Hieronymus Mercurialis* quædam in Variis lectionibus, & *Marsilius Cognatus* Veronensis Romanus Medicus, lib. de Ordine in cibis servando, ad IIII. Variarum lect. libros; aliique Romæ exstabant.

Cœlum Romanum grave, intemperans: quare diluculo & in crepusculo ne prodeas, nisi sole splendente.

In Æde sacra S. *Mariæ supra Minervam* hæc leguntur ad vitandam Romæ invaletudinem.

Enecat insolitos residentes pessimus aër.
Romanus, solitos non bene gratus habet.
Hic tu qui vivas lux septima det medicinam,
Absit odor fœdus, sitque labor levior.
Pelle famem, frigus: fructus femurque relinque,
Nec placeat gelido fonte levare sitim.

VINA

VINA ITALICA,

QUÆ ROMÆ BIBUNTUR,

ROMANI, & tota Curia vina bibunt optima, & non contemnenda. Sunt autem:

Vin Gracodi ſomma, optimum albi coloris, in *Veſurio* Campaniæ oppido naſcens.

Chirello, album Neapolitanum, acre.

Latino dellatorre, album Neapolitanum, mediocre.

Aſparino, Neapolitanum album, ſtipticum.

Mazzacan, album Neapolitanum, tenue.

Græco de Iſchia Campan, ex Inarimæ Inſula, optimum.

Salerno, nigrum, bonum

Sanſeverino, album & nigrum, bona utraque,

Corſo de Elba, album,
Corſo de Branda, album,
Corſo de Loda, album
} gravia.

Da Riviera, ex Liguria, album & nigrum,

Guleſi, album & nigrum,
Ponte Reoli, album, ex agro Genuenſi.
Moſcatello di Sarnia, coloris medii,
Vindellia Taja, album Genuenſe,
} tenuia, ſalubria.

Lacryma, nigrum optimum.

Romaneſco album tenue varii ſaporis,

Albanum, album & nigrum.

De S. Paulo, album,
De Trinza, nigrum
Salernum, album & nigrum,
Tiburtinum & *Faliternum*, cocta,
} mediocria.

Segnium, de Segno,

Marino guerra nigrum optimum,

Caſtel S. Gargolpho, album optimum.

Della Riccia, album optimum, tenue.

Raſpada, eſt ſecunda expreſſio ex uvis.
Malvaſia ex Creta.
Muſcatellum & *Vinum de Taglia*, optima & præcellentia.

Ceterum de diverſorum vini generum natu Italici Medici quoque ſcripſere, nimirum *Ioh. Bap. Confalonerius*, Veronenſis, Baſil. anno M D.XXXV.

Iacobus Præfectus, Netinus, Venetiis anno M.D. LIX.

Andreas Baccius, Romæ, anno M.D.XCVII.

Sed ut à laudatione Urbis ROMÆ incepi, ſic & ab eadem deſinam.

URBIS ROMÆ ENCOMION

FAUSTI SABÆI Brixiani.

Martia progenies, quæ montibus excitat Vrbem,
Civibus & ditat, conjugibuſque beat,
Tutaturque armis, Patribus de Iure vocatis.
Iam repetit cœlum poſt data Iura Iovi.
De nihilo, Imperium ut ſtrueres, te hac Romule cauſa
Gignit, alit, ſervat, Mars, Iupa, Tiberu aqua.

JUL. CÆs. SCALIGERI.

Vos ſeptemgemini, cœleſtia pignora, montes,
Voſque triumphali mœnia ſtructa manu;
Teſtor, adeſte, audite ſacri commercia cautes,
Et Latios animos in mea vota date.
Vobis, dicturus meritis illuſtribus Urbes,
Has ego primitias primaque ſacra fero.
Quin te unam laudans, omnes comprenderit, Orbem,
Non Urbem, qui te noverit, ille canet.

ITI-

ITINERARII ITALIÆ, LIBER TERTIUS, ITER ROMA NEAPOLIM, INDE Q. PUTEOLOS: ET REDITUS TIBUR:

ITER NEAPOLIM VERSUS

Ex Hercule Prodicio STEPHANI PIGHII;

Schott.

VIA Latina *Marinum* proficiſcere, atque inter nobilium villarum vaſtas ruinas: quæ quidem frequentes, & admodum ſumptuoſæ, quondam florente Romano imperio, *Tuſculanum* agrum omnem Appenninique clivos illos occuparunt. Hinc *Marianam villam* antiquam *Marmo caſtello* nomen dediſſe volunt; cui à dextris vicinæ Licinjorum *Luculliana, Murenianaque*; nec non illa M. Tullii Ciceronis Quæſtionibus Tuſculanis immortalis. Hodie *Freſcata* oppidum appellatur. XII. milliaribus ab Urbe diſtans. Item *Porciorum*, aliæque Principum Reipublicæ Romanæ plures, quarum memoriam apud Strabonem, Plinium, Senecam, Plutarchum, alioſque veteres Scriptores reperimus.

Hinc

Hinc ad Appiam Viam deflecte, relictis ad sinistram *Veliterna*, ubi avi Augusti nati sunt, ad dextram *Aricia* & *Nemorensis Dianæ speculo*, ut lacum oppido vicinum Servius vocat, *Dianæ Taurice* sacrum, cum nemore ac Templo quod *Artemisium* à Strabone dicitur. Antiqua sed barbara religione locus olim celebris fuit, Scythicumque humano sanguine sacrificandi ritum ibidem ab *Oreste* & *Iphigenia* institutum fuisse memorant; cum è Taurica profugi, simulacrum *Dianæ* abconditum in falce ligno cum eo transtuliissent. Unde *Fasciculi* vel *Fasciculina Diana* cognomen vetus in Latio fuit. De qua quidem superstitiosa religione differendi latius alibi melior occasio dabitur.

Perge ad *Pomptinas* usque paludes. Non procul inde, ni fallor, *Tres Tabernæ* fuere, in Appia Via celebris quondam mansio, XVII. ab *Aricia* lapide, & ab Urbe XXXIII. velut antiqua Romanorum Itineraria, & ipsa locorum distantia demonstrant, D. *Lucas* in Actis Apostolorum scribit, quosdam Christiana Religione jam initiatos fratres ab Urbe per Appiam Viam ad *Tres tabernas*, quosdam ad Appii Forum usque occurrisse *D. Paulo* Apostolo, cum à *Porcio Festo* Procuratore sub custodia militum reus è Judæa mitteretur Romam. Inde Appiam Viam per *Pomptinas paludes* maximis impensis olim ductam, nunc vero palustribus aquis atque pontium ædificiorumque ruinis impeditam & imperviam à dextris relinque; atque per *Volscos* & *Apenninæ* crepidines scabrosasq; montium cautes *Terracinam* petens, ambages quærere cogeris. *Setiam* à sinistris vides, ob vini nobilitatem à veteribus Poetis celebratam; paulòque ulterius in plano *Privernum*, à Germanis Brunonibusque, Blondo teste, destructæ mœnia ruinasque deseris. Hinc ita scandens *Privernum* novum, in proximo, quem *Amasenus* flavius lambit, monte positum contemplare à longe *Tyrrheni* mediterranei maris littora, & velut à communente avulsa promon-

montoria, oppidis præclaris quondam exculta, nunc pæne deserta. Monstrantur ibi quibus olim in locis *Lavinium* ab *Æneâ* conditum, & ejusdem antiquitatis *Laurentum*, ubi in littore fuerit, ad sacrum *Æneæ* vel *Jovis* indigetis fontem ac lucum; ubi *Ardea* Turni Regis, ubi *Antium* Volscorum caput cum *Fortunæ* celeberrimo Templo, nec non *Astura* cæde *Marci Tullii* Oratoris infamis. Prospecta inde Poëticis fabulis decantatam veneficæ *Circes* domum, olim insulam, nunc promontorium excelsum mari rupibus imminens, continenti vadis ac plaudibus junctum, silvis ac fructibus densum, ubi *solus* pulcherrimam filiam *Circen* ferunt hospites suos magicis, si non meritriciis, artibus in pecora & belluas transformasse. Augusti etiam ætate, ut auctor est Strabo *Circes sacellum* atque *ara Minervæ*, poculumque ostenditur, è quo bibisse dicunt *Ulysses*, cum ejus socii mutarentur in bestias, ut Homericis carminibus proditum est. Secretarum virtutum multiplicibus plantis, & efficacissimis herbis montem abundare volunt, atque fabulis materiam esse datam. Nam *Circen*, vel *κίρκην circumvolutionem sol.* interpretantur Physiologi, cujus colore & directioribus radiis plantæ animataque vegetantur & transformantur.

Perges inde per udos & spatiosos *Pomptinos campos*, quos Regina viarum *Appia* recto tramite secat. Cujus miserandæ sparsim in aquis cernuntur reliquiæ, cum Mausoleis, sepulchris, ædiculis, villis, atque prætoriis dirutis, quibus ab ut eque latere quondam magnificentissime fuit exculta.

Per *Pomptinas paludes* rectâ ad Appiam: inde porro recta perge *Tarracinam*.

TARRACINA.

Schott.

VEtus fuit Romanorum colonia, & prius Volscorum. *Anxur* primum appellabatur, vel Iplorum lingua, ut quidam volunt, vel Græca potius, ut plu-

res

res opinantur, à *Iove Anxuri* Fano celeberrimo & antiquiſſimo, quod ibidem conſtituiſſe Spartanos tradunt, ut & *Feroniæ deæ* in *Pomptinis campis* apud Circejos & Rutilos: cum ob duras *Lycurgi* leges exceſſiſſent patria & poſt longos errores in his Italiæ maritimis oris ſedem fixiſſent, ut Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 2 Antiquitatum memoriæ prodidit. Meminit nominis & Virgilius l. 8. Æneidos his verbis:

Circejumque jugum, queis Jupiter Anxurus arvis
Præſidet.

Quem locum commentator Servius ſic explicat: *Circa tractum Campaniæ colebatur puer Iupiter, qui Anxurus dicebatur, quaſi ἀνευξυρὸς id eſt, ſine novacula; quia barbam numquam raſiſſet.* Et alio loco: *Feroniam Iunonem virginem ait exiſtimatam fuiſſe, veluti Iovem Anxurum vel ſine novacula, & perinde non abraſum; qui coleretur Tarracinæ, quæ etiam aliquando Anxur dicta fuit.* Et memini quidem me vidiſſe marmoream aram *Iovi puero* dicatam *ex voto*, ſicut ipſa teſtabatur inſcriptio antiqua. Strabo *Trachynam* alio nomine Græcis appellatam fuiſſe ſcribit, quaſi aſperam, à τραχὺ, quod in ſcabro & ſaxoſo monte poſita ſit. A qua voce poſterius hoc nomen *Tarracina* Romanis defluxiſſe videtur, quemadmodum in correctis inſcriptionibus antiquiſſimis hoc nomen reperitur ſcriptum, ad quarum normam corrigendum illud ubique in Auctoribus autumo: ut etiam in T. Livii libro 4. ubi ſic in plurali numero nomen hoc proferendum: *Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ ſunt, urbs prona in paludes.* Alluſiſſe ad ſaxoſum urbis aſperumque ſolum videtur Horatius Pöëta, eundem Appiæ Viæ tractum pulchre deſcribens Sermonum lib. 2.

Cras manuſque tua lavimus Feronia lympha,
Millia tum pranſi tria repſimus, atque ſubimus
Impoſitum ſaxis late candentibus Anxur.

Ad tertium igitur milliare à *Feroniæ* fano inter Appiam & Circejum promontorium poſita *Tarracina* eſt,

est, quam mari circumfusam olim fuisse, testatur Solinus: nunc oppidum est frequens, sed exiguum. Ager latere maritimo fœcundus & amœnus admodum est, olim ditium Romanorum Prætoriis, villis, prædiis; ac hortis frequentibus excultissimus: quorum multæ sparsim visuntur adhuc reliquiæ atque ruinæ, quemadmodum & celebris illius portus ab *Antonio Pio* sumptuosissime refecti.

Per Appiam silice stratam *Fundos* perges, quæ quidem ibi detinet peregrinum viatorem structura sua eximia, & consideratione reliquiarum antiquarum: atque inprimis, ubi in planum ac rectum scalpris ferreis adlittus in Tarracinensi promontorio excisa est è durissima caute. Stupet spectator admirabundus rectæ viæ planum unius saxi pavimentum sub pedibus porrectum per passus plus minus viginti in longitudinem, ac trinis fere passibus in latitudinem: munitum quidem (ut Appia tota fuit) ab utroque latere limbis bipedali latitudine eminentioribus, qui viatori pediti semitam siccam præstabant. Quibus adjecti lapides eminentiores, veluti bases quædam, per decimum quemque pedem) equeis in vehicula vel equus scansio fieret commodior. Quis non miretur solidum ex eadem candenti rupe parietem explanatum in summam altitudinem, quam per pedum decades multas characteribus numerorum magnis singularum decempedarum distantia sculptis curiosa vetustas posteris demonstrare voluit? Quem non delectatione afficeret graphicotera characterum illa symmetria, proportioque, qui æque magni à longè in altissimi parietis summitate, ac in imo intuentium oculis occurrunt? Quis non marmorum ornatissimis vestibus suis nuda nunc atque spoliata Templa, Mausoleа, Prætoriaque doleat, quæ transeuntibus sparsim utrimque in Appia, sicut & in aliis Italiæ publicis viis per viros triumphales munitis, occurrunt? Sic visum majoribus majestatem ac auctoritatem Imperii Romani per

terrarum orbem propagare, summisque laboribus atque impensis efficere ut ejus magnitudinem & potentiam timeant exteri populi, quorum Principes atque Legati transmarinis transalpinisque Provinciis Romam sæpius commeantes, Urbis atque Italiæ maximum cultum atque splendorem attoniti non poterant non admirari. Delectant igitur atque morantur nunc etiam temporis advenas quoscumque, nec non exercent ingenia magna, Romanorum operum ruinæ immensæ passim itinerantibus obviæ, quamvis admodum deformatæ.

FUNDI.

Schott.

OPPIDUM quidem parvum, sed situ jucundum, ad *Appiam* in planitie positum, ex ruinis antiquæ ejusdem nominis Præfecturæ surrexit, cujus adhuc cernuntur in vicinis paludibus vestigia prope locum *Fundanum*. Ceterum *Fundi* nunc, ut Germani Poëcæ cujusdam versibus obiter dicam:

Collibus hinc atque inde lacu, simul aquore cinctum,
Citria cui florent & littore myrti,
Hesperidum decus, & benè olentia culta Deones.

Nostro quidem sæculo hoc oppidum insigni est afflictum calamitate per archipiratam *Caradinum* Barbarossam Turcicæ classis præfectum, qui illud subita incursione cepit, ac civibus omnibus in servitutem abductis, & Ædibus sacris profanatis, totum diripuit.

Catug.

Appia Via latissima, quæ inter viginti octo alias primi nominis Româ alio ducentes eminebat, Regina viarum appellata, cum eâ Orientales triumphi ducerentur, ab *Appio Claud.* Capuam usque munita *Caligula* jubente, quadrato silice ex monte *Olibano* exciso strata, & demumà *Trajano* Brundisium usque instaurata. Viridibus utrimque ex myrto, lauro, & lentisco sepibus iter habenti *Lamuraum* oppidum

dum, amœnis in collibus fici, olivæ, aliarumque fertilium arborum feracissimum sese ostendit.

Stadiis triginta *Mola*, olim *Formia* dicta, frequens hortis abest. Hinc ad dexteram juxta mare, tribus millibus passuum confectis *Cajetam* itur, totaque littoris ora illa adeo culta apparet, ut non solùm prætereuntium oculos capiat atque delectet, sed Nympharum sedes, (ut est in fabulis) esse videatur. Via jucunda & placida, ab dextera maris prospectus, ab læva flores & arbores quæ hinc inde deductis & murmurantibus irrigantur rivis, suavissimum odorem eructant.

De Formiis etiam dicemus.

CAJETA.

Schott.

INDE *Cajetam* perge, ubi & portus & arx est quam in angulo promontorii versus Orientem posuit olim *Ferdinandus* Arragonum Rex, pulsis ex Regno Neapolitano Gallis. Nostra memoria *Carolus* V. Imp. & Rex adjecit rupem vicinam, pontesque sublicio junxit arci superiori. Atque ita moles turribus ac propugnaculis adauctas duplicavit, & promontorio simul incluso, ubi fossa murisque connexui. *Aradinam* & *Tyrrhenum* Ayacusanorum diceres, ex iisdemque tuo vicina littora portum atque urbem fabrictam posse. Quare selectissimo servantur arces Hispanorum militum præsidio, nec ignotis peregrinisve datur in has accessus: immò nec civibus aut inquilinis.

Urbs itaq; non minus operibus quàm situ undequaque valdè tuta est; simul etenim cum promontorio è cujus clivo dependet, posita est in quadam pæninsula, fereque tota marinis aquis cingitur, ut terrestri itinere, nisi unâ portâ è continenti pateat ad eam accessus per isthmum angustum, atque ponte, portâ, propugnaculisque munitissimum. Assurgit duplici vertice promontorium, & quà mediterranea spe-

ſpectat, urbe veſtitur in planiore cacumine clivoſo. Altera pars altior multo precepſque procurrit in mare Meridiem ac Occidentem verſus, atque per medium à ſummo ad imas uſque radices vaſta ruptura ſciſſa eſt terræ motu, ni fallor, antiquo, qui in iisdem aliis tractibus aliquando contingere ſolet, quemadmodum conſtat, Neptunum (*Ennoſigæum* & *Siſichthona* Poëtæ Theologiq; veteres quem idcirco nuncuparunt) magno tridenti ſuo mota montium fundamenta ſæpius ſubvertiſſe. Scaphis intrant hiatum longo ſpatio nautæ venerabundi, locumque colunt religioſe. Nec impiè creditur ab incolis atque vicinis, montem illum, quo tempore JESUS CHRISTUS Redemptor noſter pro ſalute humani generis in cruce mortem perpeſſus eſt, ita divulſum terræ motu fuiſſe cum petras tunc fiſſas eſſe tradat Euangelica hiſtoria. Exſtructum eſt ex piorum hominum donariis, propter fiſſuram montis, Monaſterium, atque Templum opulentiſſimum, dicatumq; SS. *Trinitatiter* maximæ, à quo monti quoque nomen nunc inditum, ut vulgo mons *Trinitatis* appelletur. Miraculi inſtar ſaxum ſulpicitur immane è ſummo montis cacumine prolapſum, quod intermedii hiatus, ubi anguſtior incipit eſſe, ſcabros parietes in caſu ſuſpenſum fixumque manſit. Sacrarium in hoc extruxit pulcherrimum *Summæ Trinitati Ferdinandus* Arragonum Rex è mari conſpicuum, ad quod via manufacta per ipſam montis rupturam aſcenditur è Monaſterio: in cujus ſolidis & vaſtis parietibus utrimque conſiderare jucundum mutilos ſaxeos ſparſim extantes, & ex adverſo loca vacua & concava, è quibus vi ſumma terræmotus ſunt divulſi, quemadmodum duriſſima ſaxa inæquali ſemper ruptura finduntur.

Inter alia ibidem viſu digna præclaro noſtri ſeculi exercituum Duci poſitum monumentum marmoreum ſumptuoſum, *Caroli* nimirum *Borbonii*, qui in oppugnatione funeſta Romæ ignito glandis plumbi ictu vulneratus interit. Hu-

Capug.

Hujus damnati viri ossa clauduntur capsa lignea panno serico & nigro cooperta, quæ arcem ingredienti statim occurrit in altum posita, cui supponitur epitaphium:

Francia me dio la luze,
Espanna m'es furzoy ventura,
Roma me diò la mueste,
Gaeta la sepoltura.

hoc est:

Francia me genuit vires Hispaniæ præstat,
Roma necat, corpus claudistur hoc tumulo.

Schott.

Item *Odeti Lautrechii* Ducis adversarum partium, qui in obsidione Neapolitana, contagioso morbo quinquaginta millium exercitu amisso, decessit. Cujus tamen, licet inimici, cadaver ejus urbis propugnator *Philibertus Aurangius* humanorum casuum non immemor, eo loco peramplo condidit.

Sed ut brevitati consulamus nonnihil, percurrere dumtaxat ea constitui, ex quibus præclara ingenia doctrinæ fructum aliquem legendo capere possunt.

In summo Templo monstrantur pretiosissima quæque Domus illius augustæ donaria & ornamentâ in qua nova sedes Episcopi fuit collocata primũ ante annos circiter sexcentos, post *Formias* vicinas à Seracenis excisas: è cujus urbis ruinis extractus etiam est *crater* ille *Bacchicus* ingens cadorum plurium capax, ex uno saxo Pario candidissimo cavatus, quo nunc ibidem utuntur in Templo pro sacri Baptismatis lavacro. Inter antiqua ejus generis vasa nil se vidisse pulchrius perfectiusve testatur *Corona Pighius*, nam in eo cœlatura Græca conspicitur artificiosissima, cujus non puduit sculptorem, qui nomen suum crateri inscripsit. *Salgiona Atheniensem* fuisse characteres hi Græci in eo sculpti docent:

ΣΑΛΠΙΩΝ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ
ΕΠΟΙΗΣΕ.

Cælavit eleganter in vaſe figuris artificioſiſſimis, ut *Dionyſium* illum *bimatrem ignigenam* (ſicut illum Poetæ vocant) recens natum *Mercurius* detulerit *Jovis* ex mandato ad materteram *Leucotheam*, quam & *Matutam* Poëtæ Latini appellarunt. Eadem *Ino* veteribus dicta, quæ, ut Orpheus, Iauſanias, & Ovidius auctores ſunt, *Baccho* infanti ubera primum dedit qui deinde Nymphis nutriendus eſt traditus. Sic enim Poeta lib. III Metamorph,

Furtim illum primis Ino materterа cunis
Educat, inde datum Nymphæ Nyſeides antris
Occuluere ſuis, lactiſque alimenta dedere.

Hanc igitur vides matronali in habitu ſedentem in rupe præſentatum à *Mercurio* infantem ulnis acceptare, poſitumque in linteo recondere ſinu, dum *Satyri* & *Bacchæ* ovantes ad tympana tibiaſque biſores ducunt chotos. Cujus fabulæ myſteria hic explicare longum eſſet, ideoq; loco commodiori eam reſervabimus, ut & alia multa in iſto itinere viſa, quæ diligentiſſimus antiquitatum inveſtigator *Corona Pighius* mihi communicavit. Quem non piguit in altiſſimum *Cajetani* illius promontorii cacumē ſcandere, ut videret ac dimetiretur antiquiſſimum illud *L. Mamutii Planci* Oratoris, *Ciceronis*, diſcipuli, cujus adhuc extant inter familiares epiſtolæ, Mauſoleum marmoreum, quod ibidem extructum ante mille quingentos annos ſub *Auguſto* Cæſare, adhuc integrum longe lateque proſpectat in mare *Turrim Orlandinam* nunc vulgus appellat, uti majorum opera factaque ſublimia fabuloſis involvit originibus poſteritatis ruditas, & hiſtoriæ veteris inſcitia. Eſt autem forma rotunda aut illud *Metellæ* Q. *Cretici* filiæ in Appia Via non procul ab Urbe ad cujus imitationem architectus hoc *Plancianum* conſtruxiſſe vide-

videtur Constat enim tota moles ex duobus murorum solidorum circulis, quorum exterior ex saxo ingenti quadrato compactus habet in diametro passus circiter XXVIII. vel pedes LXXXIV. ex eoque colligere est totius sepulchri magna latitudo, si diametri lineam ducas in circulum. Nec minor est altitudo, prout oculi consideratione dimetiri ab ipso potuit, cùm XXVI. saxorum sesquipedalium ordinibus evehatur in altum, quibus est imposita superior corona, suis murorum pinnis tanquam in radios efformata, & hostilium armorum spoliis insigniter adornata. Intranti per ostium occurrit ambitus septem circiter pedes latus, quem facit circulus interior opere lateritio spisso, altaque testudine jungit exteriori. Hic igitur interior altissima clausus concameratione formam rotundi Templi in medio Mausoli repræsentat cum quatuor perampla statuarum loculis. Parietes interiores omnes tectorio marmorato videmus expolitos tam fuisse tantoque candore renitentes ut vitii splendorem habuisse, niveisque repercussibus luminis radios duplicasse videantur Qui per ostium dumtaxat intromissi (nullas enim fenestras habet tota moles) locum illustrant abunde. Supra ostium *L. Planci* Oratoris titulo cum elogio rerum ab ipso gestarum characteribus pulcherrimis velut in tabula sculptus integrè legitur. Cujus inscriptionis exemplum, ut correctissimum à *Lucio Pighio* accepi, studiosis antiquæ historiæ hic communicare non pigebit Vidi autem antea tituli istius exemplaria plura. cum impressa tum à diversis exscripta; hoc tamen, quod ex archetypo scriptum esse nobis constat, nullum vidi correctius. Est autem titulus talis:

L. MUNATIUS L.P.L.F.L.I.RON.
PLANCUS COS.CENS.IMP.ITER.VII.VIR.
EPUL. TRIUMP.EX RÆTIS. ÆDEM. SATURNI

FE-

FECIT DE MANIBIS. AGROS. DIV. SIT. IN ITALIA

BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS. DEDUXIT LUGDUNUM. ET. RAURICAM.

Ex quo nobis manifeſtum ſit, quantæ ſit antiquitatis hoc mauſeolum, quod ante CHRISTUM natum annis fere XV. vel XVI. ibidem ſtetiſſe colligimus ex *L. Planci* Oratoris Magiſtratibus in hac inſcriptione nominatis; quorum poſtremam Cenſuram viginti annis poſt Conſulatum geſſiſſe, in eademq; mortuum eſſe Urbis anno DCCXXXI. Lectori patebit ex noſtris *Magiſtratuum Annalibus* (modo typis Plantinianis evulgatis.) Non dubium igitur, cum Cenſuræ mentionem facit titulus, quin paulo poſt mortem ejus operi abſoluto ſummi Magiſtratus ad elogium rerum ab ipſo geſtarum honoris cauſa fuerit inſcriptum. Ceterum de planciano Mauſoleo jam ſatis multa. Promontorium vero in quo poſitum eſt, Strabo ſcribit *Lacones* olim, qui in ea littora colonias deduxerant, à curvitate *Cajetam* appellaſſe: ſicuti Spartana voce curva quæque καϊάδα dixere, opidumque nomen inde ſortitum etiam eſſe; foſſas inſuper ac voragines terræmotu factas καϊατα à veteribus nuncupata fuiſſe legimus. Aliqui claſſem Trojanorum in eo portu concremata m, indeque Cajetam ἀπὸ τῦ καϊειν à *comburendo* dictam fuiſſe volunt. Melior tamen veterum Scriptorum pars Principi Poëtarum Virgilio ſuffragatur, qui Æneam ab inferis reverſum à *Cajeta* nutrice ibidem ſepulta loco nomen indidiſſe canit. Itaque ſummam ejus antiquitatem eſſe, veterum opinione receptum ſemper fuit.

Juvabit perluſtrare *Capuam*, agrum *Falernum*, *Stellatem*, campoſque *Leborinos*, pulcherrimamque partem Italiæ, ubi vitiferi colles, ac temulentia ſucco nobilis per omnes terras inclyto celebratur; atque

que ubi veteres ſummum *Liberi* Patris cum *Cerere* certamen eſſe dixerunt. *Portus* autem *Cajetanus* ut ob amplitudinem atque vetuſtatem apud Auctores percelebris, ſic etiam ſitu ac natura loci tutiſſimus eſt, cum à Meridie & Occidente tempeſtates flatuſque marinos arceat promontorium, ab Aquilone Cæcia & Euro tutentur Appennini brachia, Italiæque tellus ſtabilis. Inter ædificia publica magna & famoſa ab *Antonino Pio* Auguſto facta, vel reſtaurata, celebrat Julius Capitolinus *Cajetæ* portum ac *Tarracinenſem*.

Molam, & ad Viam Appiam rediens *Sueſſam Aruncorum* proficiſcere, ubi Palatium Ducis Sueſſani. In itinere occurrunt in *Caietana*, quæ ad Appiam ducit, *viæ*, ſepulchrorum antiqua ædificia magna, ſed ruinoſa. Et in angulo, qua ſe via Appiam fundit, *M. Tullii Ciceronis* ſepulchrum oſtendunt Campani antiquitatum ſtudioſi ex *Ioviani Pontani* ſententia, cujus ætate volunt ibi repertum fuiſſe fragmentum epitaphii Ciceronis *Pighio Corona*, tamen non tantæ videtur antiquitatis monumentum illud eſſe, quod rotundum opere lateritio concameratur, media columna teſtudinem ſuſtinente; & ad dexteram introitus per ſcalas lapideas patet aſcenſus ad ſuperiora, quæ dumis & arbuſtis obſepta ſunt.

SUESSA.

Schott.

PERLUSTRA urbem antiquitate, veterumque Scriptorum frequenti mentione celebrem; in quam *Pometinos* à *Tarquinio Priſco* Rege Romanorum *Pometia* deleta pulſos commigraſſe Dionyſius Halicarnaſſæus lib. v. tradit, unde *Sueſſa Pometia* vocari cœpit. Hodie *Seſſa*, poſteà & *Auruncorum Sueſſa* dicta, teſte Livio, cum *Aurunci* à *T. Manlio* Conſule Sidicinis opem ferente victi, cum liberis & uxoribus eo patria deſerta confugiſſent.

Posita quidem urbs in agro Vestino ad montem *Massicum* in Appia Via, & in regione amœna atque fertili, quæ aliquamdiu *Volscorum* inter præcipuas urbes nominata, tandem Romanis cessit, factaque colonia circa annum Urbis CD XL. ut ex Livio colligimus Vellejus autem triennio post *Lucernam* deductam scribit. Passa deinde est sæpius clades Annibalico civilibusque Romanorum bellis: quam tamen admodum posteà floruisse Cæsarũ sub monarchia, maxime sub *Hadriano* & *Antonino Pio*, colligimus ex statuarum titulis, & elogiis, atque marmorum scripturis, quæ sparsim ibidem reperiuntur.

Capug.

Apud Fratres Prædicatores ad dexteram Templi videtur sepulchrum ligneum *Augustini Triphi*, Philosophi suo tempore acutissimi.

Versus mare, aut ad dexteram octo passuum millibus, loca pagis & villis plena, omni agricultura conspicua, quæ dicuntur *Casali de Sessa*, contemplaberis.

Duodecimo ab *Mola* lapide *Lyris*, qui ab *Appennino* nascitur, in mare influens ea loca leniter alluit; quibus, Cicerone ibidem Viam Herculaneam summis laudibus extollente, eamdemq; multarum deliciarum & magnæ pecuniæ appellante, satis liquet, Romanos tantùm, quantum nullis aliis, quam longe lateque eorum pateret Imperium, tribuisse. Prope adjacet *Cæculus* mons, generosi vini feracitate, quamquam vicinus paludibus, nobilitatus vel *Flacco* ita actiacam Augusti victoriam celebrante:

Quando repostum Cæcubum ad festas dapes
Victoria reduce Cæsare
Tecum sub alta (sic Jovi gratum) domo
Beate Mecenas vivam?

Hic *Latium* terminatur, & *Lyris* navigio transmeatur.

Visitur mons *Massicus*, *Falernus*, nec longe distant *Sinuessa*, *Minturnæ*, & multa alia loca, quæ oculis ebibes

bibes etiam, quorum infra *Sebotus* & ego chorographi erimus, interim *Capuam* contemplare.

CAPUA & CAMPANI.

ANTIQUITUS *Capua, Campaniæ* caput, insolentis arrogantiæ proterviæque vitio laboravit: nam & *M. Tullius* in Agraria II. contra P. *Rullum* testatur, *Campanos* semper superbos fuisse bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, urbis salubritate & pulchritudine. Ex eademque copia & rerum omnium affluentia natam arrogantiam, quæ alterum urbi *Romæ* Consulem è *Capua* postulavit: eamque luxoriem natam, quæ ipsum *Annibalem* armis invictum voluptate vicit & enervavit. Eleganter igitur appellat *domicilium superbiæ*, ac *sedem luxuriæ*, atque ingenerati hominibus mores, non tam à stirpe genetis ac seminis, quam ex iis rebus quæ ab ipsa natura loci, & à vitæ consuetudine suppeditantur, quibus alimur & vivimus. Atque ita *loci Genius sibi similes plerumque colonos gignit.*

Posita est nova *Capua* ad Volturni ripam, altero lapide ab antiquis ruinis, quæ ingentes adhuc cernuntur juxta *D. Mariæ Gratiarum* Ædem: utpote portarum urbis, theatri, aquæductuum, aliæque moles immensæ Templorum, porticuum, thermarum, atque ædium amplissimarum. Item subterraneæ concamerationes vastæ, & aquarum cassellæ, visuntur, quæ in vepribus ac dumis columnarum ac marmorum omnis generis infinita fragmina, ex quibus potentiam ac superbiam veteris *Capuæ* colligere possumus, quamvis magnas ejus reliquias nova *Capua* vicinæque urbes inde distraxerint. Strabo *Capuam* appellatam tradit ab agro campestri eademque ratione *P. Maro Campanam urbem*, & *Tullius Liviusque* frequenter ejus cives & incolas *Campanos* nominare videntur à camporum uberrimorum cultu. Poëtæ tamen, *Maro* jam dictus, *Lucanus*, & *Silius*, aliique *Capyn* Trojanum *Æneæ* socium urbi colonos, mœnia

ac nomen dediſſe canunt. Eam, auctore Strabone, prius *Opici* & *Auſones* tenuere: dein *Oſci* Tuſcorum gens, à quibus *Oſca* dicta. Hos ejecere *Cumani*, poſteaque iiſdem pulſis *Etruſci* eam ampliatam caput undecim urbium aliarum inſtituere, *Volturnum*que etiam dixere a vicino flumine, ut Livius teſtatur. Potentem atque vicinam in Italiæ meditullio, nec non inimicam ſemper atque æmulam Imperii non minus quam ipſa Carthago, ferocemque præſentis *Annibalis* amicitia atq; ſocietate. Romani maximis operibus circumvallatam & obſeſſam fame demum ſubiugarunt, Senatuque ſecuri percuſſo, civibus reliquaque multitudine ſub haſta venditis, urbem atque agrum omnem publicarunt. Nec in poſterum civitatis ullum corpus, non Concilium publicum, non Magiſtratus aut Senatum urbi permiſere, vel ulla inſignia Reip. ſed ædificia ſedes aratorum eſſe jufferunt; utique dumtaxat urbs à Libertinis, & inſitoribus, vilique operaria plebe frequentaretur, permiſſum fuit. In hunc itaque modum *Capua* adflicta jacuit ultra annos centum triginta, atque ager Campanus Populi Romani publicus fuit uſque *C. Cæſaris* Conſulatum; qui, lege Julia contra Senatus Optimatumque ſententiam lata, militibus eum viritim diviſit. *Capuam*que muro ductam, uti fragmenta Julii Frontini demonſtrant, primus coloniam fecit. Quæ ex eo quidem tempore reſurgens auſpiciis Imperatorum, floruit ſub Populi Romani poteſtate, donec à *Genſerico* Vandalorum Rege capta ſubverſaque, ab *Oſtrogothis* dein occupata, atque his pulſis à *Narſetis* reſtaurata tandem à *Longobardis* iterum excifa fuit atque deleta. Ceterum quo tempore hæc nova *Capua* ex ipſius ruinis excitata, quove Auctore ad ſecundum ab altera lapidem ut dixi, traducta fuerit, non ſatis conſtat. Et quidem veriſimile, quod vi metuque Barbarorum pulſi atque diſperſi cives tandem eo confluxerint, atque ſenſim extra deſertæ *Capuæ* ruinas ſedes fixerint ibidem ad Volturni

ripam,

ripam, ubi nunc novam *Capuam* in urbem peramplam atque potentem emersisse videmus. De qua *Iulius Scaliger* Poëta non minus falsè quam obscurè cecinit:

Flammea si valeat superare superbia fastum,
Pinguem luxuriam delicijsus amor:
Hoc mollem pinges Capuam, Capuæque colonos,
Et quæ alijs visa est, nec sibi meta fuit.

Capug.

Addes jam dictis, *Capuam* sic fore nuncupatam, cum olim caput & metropolis undecim illustrium *Campaniæ* urbium esset, quam Cicero & *Corinthum* & *Carthaginem*, opibus adeo potentes esse censuit, ut unaquælibet earum Romani Imperii molem sustinere posset, quam & ipsum *Annibalem*, litteris Carthaginem publicè missis, secundum in Italia à Roma obtinere locum scripsisse fuerunt.

AVERSA.

Schott.

PER agrum *Stellatem* inde camposque Leborinos perges *Aversam*. Historiæ Neapolitanæ scriptor *Pandulphus Collenucius* *Adversum* prius oppidum appellatum fuisse contendit, eò quod ibidem olim *Normanni* castra in ruinis *Atellæ* veteris munierint adversus *Capuam* *Neapolin*que, medio itinere novi hujus oppidi initia firmantes, uti duarum potentium urbium vires ex eo loco divellerent.

Caput.

Jam per *Campaniam* incedimus, *Liri* transmeato, quæ tum fructuum, frumenti, vini, & olei feracitate, cum locorum frequentia, amœnitate, & amplitudine, omnes Italiæ Provincias antecellit. Tellus ferrum libenter excipit, nec frustra scindi se patitur, affectans ut secum homines fœnus profusissime exerceant. Terra laboris, seu mavis laborii, (quod Italice est *terra di lavoro*) nuncupatur, & campi qui-

bus *Capua Aversam* petimus, appositè *Leborini*, quasi Laborini à Labino dicuntur. *Campania* itidem *felix* nominatur, quo nomine nulli umquam alteri totius orbis Provinciæ contigit appellari nisi *Arabiæ* Orientis. Quidni igitur *Spici*, *Cumani*, *Hetrusci*, *Samnites*, & *Romani*, tantam rerum opulentiam flocipendere minimè poterant? Illa *Stellati* planicies, quam pedibus teres, adeo opima & fertilis est, ut omnigenum frugum copia primum in Italia locum sibi jure vendicare videatur, quam *agrum stellatum* vocant incolæ, quia stellarum influxum benignissimum recipit, cujus etiam meminit Cicero pro lege Agraria, orbis terræ pulcherrimum vocans, unde Romanorum exercitibus commeatus suppeditabatur, quem postea *Cæsar* ad tyrannidem largitionibus affectans, viam bis CCIↃↃ civibus Rom. divisit. *Lucio Vulturnio* & *Appio Claudio* ducibus à Romanis *Samnites* trucidati fuerunt numero 16. millibus supra tercentum.

Aversa lagena optima gignuntur, & ibi prope vinum *Asprino* nascitur, quo Romam suo magno æstui succurrunt avidius.

ATTELLA OSCORUM.

Schol.

FUIT quidem *Attella* vetus ab antiquissimis *Oscorum* populis conditum oppidum, famosum in primis ac celebre quondam Satyricis fabulis, lascivis, ridiculis atque dicacibus, quæ ab ipso dicuntur *Attellanæ*: & hæ quidem jocis ac salibus ridiculis eam auctoritatem nactæ sunt postmodum, ut è municipalibus ludicris irrepserint etiam in theatra Romana. Nunc temporis autem illustrium aliquot Palatiis atque Prætoriis suburbanis excultum est oppidum.

NEA-

ACAD.
SCIENT. ET A.
LISB.


MADRID

NEAPOLIS.

PER octo millia passuum ulterius *Neapolim* itur. Celebria quæque loca in urbe atque suburbanis circumquaque visu digna occurrunt. Et ea quidem sunt plurima, sumptibus stupendis atque cultu magnifico superba. Nam urbs spatium complectitur magnum, posita inter amœnissimos colles à Septemtrione & Oriente, & maris sinum à Meridie & Occidente, è cujus portu *Misenus Minervaque* promontoria, celebresque antiquitus insulæ *Capreæ*, *Ischia* & *Prochyte*, sereno cœlo conspicua sunt. Eam *Cumanos* vicinos primum condidisse, & *Parthenopen* à Sirenarum una ibidem sepulta nominasse, Strabo, Virgilius, aliique Auctores consentiunt. Subversam deinde fuisse volunt ab ipsis conditoribus, cum nimium efflorescere & augeri propter agri ubertatem, matremque vicinam *Cumas* sensim supplantatura videretur. Quo facto *Cumanos* immani peste vexatos, oraculoque monitos fecunt, ut urbem restituerent, & *Parthenopes* deæ sepulchrum annuis sacrificiis colerent. Itaq; cum eam restauraſſent, *Neapolim* voce Græca tum appellari à re cœpisse volunt. Sunt tamen & aliorum opiniones diversæ; *Lycophron* enim Chalcidensis in *Alexandra* sua *Phaleri murum* eam urbem appellat: & ejus interpres *Isacius Tzetzes* adjicit, *Phalerum* Siciliæ tyrannum *Neapolim* in Italia condidisse: & quia crudeliter is torquebat occidebatque suos hospites, atque advenas quoscumque, natam inde fabulam, esse, *Parthenopen Sirenam* ibi excidisse, ejusq; sepulchrum ab incolis exstructum, deamque volucrem sacrificiis annuis ipsam coli. Nobis quidem perspectum est, à Campanis in eo tractu Magnæ Græciæ pro deabus cultas olim fuisse *Sirenas*, inter tutelares, & topica numina, Romanorum etiam florente Imperio. Nam memini me Neapoli ante plures annos vidisse *Sirenas* cum *Hebone* &

Sebetho tutelaribus Neapolitanorum diis, exsculptas in ara rotunda marmorea, quæ quidem nunc est accommodata in cratere fontis excitati in extrema mole portus Neapolitani. Rursum ab *Hercule Neapolim* extructam esse, veterum aliorum Scriptorum testimonia sunt, ut Diodori Siculi, & Oppiani, qui ad urbis nomen alludens, in Poemate suo *De venatione, novum Herculis campum, Neapolim* appellat. Omnium tamen una est opinio, eam antiquissimam esse, & ante Romana tempora celebrem inter præcipuas urbes Græcas Italiæ floruisse Pythagorica philosophia. Ceterum crescente per Italiam Imperio Romano, quod se facilius submisisset ea civitas cum Campania subigeretur, inter liberas atque fœderatas est recepta: quæ deinceps in amicitia fideque Populi Romani constanter permansit, ut Livius aliique plures testantur. Quinetiam adflictis Annibalico bello rebus contra *Capuam* vicinam & alias perfidas urbes, illa Romanis adhærere non solum non dubitavit, verum etiam Legatos Romam mittere, & pateras aureas quadraginta magni ponderis, ut idem Livius pulchrè memorat: immo vires, opes, & quidquid à majoribus thesauri relictum, ad Imperii urbisque Romæ subsidium in Curia Senatui liberaliter & ingenuè præsentare voluit. Quibus tum actæ sunt gratiæ pro munificentia curaque, atque una duntaxat patera, quæ minimi ponderis fuit accepta est. Itaque propter fidem singularem atque perpetuam inter civitates Italiæ liberas & fœderatas *Neapol.* amicissime semper est habita cultaque, tam Consulum quàm Imperatorum temporibus. Quæ *Capua* oppressa atque Præfecturæ jugo gravata, plurimum incrementi cepit, feliciterque diutissime fidei suæ fructu gavisa est. In hanc etiam urbem, ut Strabo nobis auctor est, studiorum causa juventus, aut ætate confecta seniores quietis & otii causa plerumq; secedere ab urbe Roma solent, quemadmodum & Silius Italicus (& antea Horatius

us

us Flaccus) de eadem cecinit dicens, esse.

Nunc malles urbibus, atque hospita Musis
Otia, & exemptum curis gravioribus ævum.

Cœlum etenim nusquam est mollius aut clementius in Italia, bis floribus annuè vernans: ager undecumque fertilissimus, & varietate nobilium fructuum, fontium, aquarumque salubrium copia nec non naturæ multiplicibus miraculis abundans & prorsus inæstimabilis est, ut non immerito *Paradisus Italiæ* dici possit? Quæ tam præclaræ dotes in causa fuere, uti hæc semper urbs ab Imperatoribus, Regibus, Principibusque maximis, atque etiam Nobilibus ingeniis frequentata fuerit: quemadmodum & nostra hac ætate multi Reguli, illustres atq; potentes viri sua ibidem habent magnifica Palatia, & splendidæ ædes: in quibus plerumque vitam pro anni majore parte degunt. Constat *Titum Livium* Iaravinum historicum, *Q. Horatium Flaccum*, *Statium Papinium*, *Claudium Claudianum*, Poetas celebres, *Annejum Senecam* Philosophum, aliosque infinitos, qui ingenio scriptisq; suis præclaris nomen sibi peperernnt immortale, sæpius eo studiorum causa secessisse. *P. Virgilium Maronem* Neapoli diu suavissime vixisse, atque *Georgicorum* libros ibidem composuisse legimus, sic enim extremo IV. Georgicum:

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis otii.

Et cum *Brundusii* moreretur, corpus suum eo transferri ac sepeliri voluisse, ut & veterum Poetarum plura testimonia suffragantur. *Servius* Commentator illius, altero lapide e *Neapoli* Via Puteolana prope fauces perfossæ per *Pausilypum* cryptæ monumentum ejus fuisse scribit. Locum nunc ostentant accolæ, monstratumque è vicinis hortis S. *Severini*.

Nec procul inde à Pausilypo *Actii Sinceri Sanna-*

rarii Poetæ, *Virgilii* annuli, domus visitur, quæ ex testamento in Cœnobium vertit, Templumque *B. Virgini* dicatum. Est ibi marmoreum sepulchrum affabre sculptum. Hinc *Orpheus* seu *Apollino*, illinc *Sibylla* sive *Musa* è marmore candenti cum hoc *Petri Bembi* Card. Epigrammate:

Da sacro cineri flores, hic ille Maroni
Sincerus Musâ proximus, ut tumulo.

VIXIT ANNIS LXXII. OBIIT ANNO CIↃ. IↃ. XXX.

Sed *Neapolim* inde revertamur, urbem nunc quidem temporis civium & incolarum nobilitate magnificentiaque non minus quam structuræ sumptibus atque ædificiorum omnis generis splendore celebrem. Etenim *Caroli* V. Augusti, ac deinde Regis Hispaniarum *Philippi* auspiciis hanc mirum in modum adampliarunt, muris, propugnaculis, fossis, turribus, atque castellis munierunt, & quasi inexpugnabilem fecerunt eorum Principum Legati, qui proximis annis Regnum Neapolitanum provinciam obtinuere. Sacris etiam Ædibus, & Collegiis, item Curiis, atque Principum hominumque illustrium Palatiis mirificè ubique locorum est exornata. Extant & antiquorum ædificiorum priscæ reliquiæ plures, epitaphia, statuæ, cippi, columnæ, arcus, marmoraque sculpturis artificiosis pretiosa, quæ longum hic esset recensere. Inter hæc inprimis non immeritò placere possunt quadrati Templi *Castorum* magnæ illæ ruinæ, licet incendiis deformatæ: cujus ex præclaro propylæo columnæ sex priores marmoreæ cum impolito fastigio visuntur adhuc erectæ symmetria Corinthia pulcherrima conspicuæ, nèc non amplitudine & artificio suspiciendæ. Quarum capitula caulibus in effigiem efformata, volutis floribus, atque reflexis acanthi foliis elegantèr vestiuntur. In trabeationis autem zophoro legitur Græca talis inscriptio:

TIBE-

ΤΙΒΕΡΙΟΣ. ΙΟΥΛΙΟΣ. ΤΑΡΣΟΣ. ΑΙΟΣΚΟΥ-ΡΙΔΗΣ. ΚΑΙ. ΤΗΙ ΠΟΛΕΙ. ΤΟΝ. ΝΑΟΝ. ΚΑΙ. ΤΑ. ΕΝ. ΤΩΙ. ΝΑΩΙ. ΠΕΛΑΓΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ. ΚΑΙ. ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ. ΣΥΝΤΕΛΕΣΑΣ. ΕΚ. ΤΩΝ. ΙΔΙΩΝ. ΚΑΘΙΕΡΩΣΕΝ.

Liquet igitur ex eadem, *Castorum* hoc Templum fuisse, linguamque Græcam apud Neapolitanos usitatam quoque tum florente Monarchia Romana; quemadmodum ex ipsa inscriptione, characteribus, & operis totius supe.bo sumptu, ac artis exquisita perfectione colligimus. In fastigii quidem tympano triangulari supra columnas exculpta fuere plura deorum simulachra, sed majore ex parte flammis ac vetustate consumpta sunt. *Apollo* cognoscitur adhuc stans ad tripodem, & utrimque in angulis inferioribus *Terra* & *Aqua*, quo formari solent modo, jacentibus ac semierectis signis, & ad umbilicum usque nudis. Nam *Tellus* ad dexteram posita tumulo incumbens dextro cubito, sinistra tenet erectum Copiæ cornu: *Sebethus* ad sinistram manu cannam tenens, fluviorum more dolio everso, & aquam effundente pronus incumbit. Reliqua sunt indiscreta atque comminuta nimium.

Ædes nostræ Religionis sacræ maximis impendiis apparatissimæ atque ornatissimæ per urbem plures, nō secus ac in horto cultissimo varii flores sparsim visuntur. Ut *D. Claræ* Templum cum Parthenone sacro peramplo: liberaliter extructum opus ab Hispania *Sanctia* Regina, *Roberti* Regis conjuge, quam *Agnetem* vocant. Excomptum est, atq; celebre Regum veterum ex illustri Dyrrachina domo sepulchris eximiis, quæ hic monstrantur: sicut in *D. Dominici*, & *Olivetis montis*, aliisque sacris delubris Hispanorum Regum Heroum, aliorumque Principum ditissima monumenta, statuæque marmoreæ ad vivum fictæ,

In Religiosissimo *D. Januarii* Sanctuario Divorum sacræ Reliquiæ plurimæ servantur: videbis singulatim visu digna quæque, utpote Divorum ossa atque Reliquias, auro, argento, gemmisque inclusas, & Regum Principumque pietatissima donaria, & quæ vix semel annuatim in publicum proferuntur atque ostenduntur. inter quæ magna cum religione servatur caput *D. Januarii* Episcopi Puteolani & Martyris: item *sanguis* ejusdem in ampulla crystallina conservatus, sed ob siccitatem durus & concretus. Quæ quidem ampulla cum producitur in altari, & capiti Martyris; Choro preces concinente, admovetur, sanguis ille (stupendum!) liquescere, ac musti recentis in modum incipit ebullire quemadmodū ab omnibus nō sine magna admiratione quotānis spectatur.

In Templo *B. Mariæ novæ* hæc duplex cum admiratione legitur inscriptio:

ODETTO FVXIO LAVIRECCO
GONSALVVS FERDINANDVS LVDOVICI PIL
CORDVBA. MAGNI GONSALVI NEPOS
QVVM EJVS OSSA QVAMVIS HOSTIS IN
AVITO SACELLO
UT BELLI FORTVNA TVLERAT
SINE HONORE JACERE COMPERIT, ET
HVMANARVM MISERIARVM MEMOR
GALLO DVCI HISPANVS PRINCEPS POSVIT

Ibidem:

OSSIBVS ET MEMORIÆ
PETRI NAVARRI CANIABRI
SOLERTI IN EXPVGNANDIS VRBIBVS AR-
TE CLARISSIMI
GONSALVVS FERDINANDVS LVDOV. FILIVS
MAGNI GŌSALVI NEPOS SVESSIÆ PRINCEPS
DVCEM GALLORVM PARTES SECVTVM
HO SEPVLCHRI MVNERE HONESTAVIT
CVM HOC IN SE HABEAT PRÆCLARA
VIRTVS
UT VEL IN HOSTE SIT ADMIRABILIS.

Itur

Itur inde ad *Annuntiatæ virgini Mariæ*, quam vocant, Ædem sacram, multa religione celebrem, donariisque locupletem: ubi etiam multæ insignes ac raræ Divorum Reliquiæ ostenſæ sunt & inter alias infantum Innocentium ab Herode Rege, Christo Servatore nostro nato in Bethleem, occisorum corpuscula duo ſesquipedalia, adhuc integra, cute contecta; in quibus vulnerum patent hiatus in unius capite, & alterius pectore.

Transitur hinc in Χηροκομεῖον, ut una voce dicam, Templo junctum, magnitudine atque structura municipii perampli instar: in quo supra duo millia pauperum, omnis generis, ægroti, ſenes, debiles, & ad operandum impotentes aluntur atque curantur pro cujusque conditione, ætate, atque valetudine. Illuſquam octingenti utriusque ſexus orphani, & expoſititii in eodem ab infantia & unguiculis primis educantur, litteris imbuuntur ac artibus variis pro ingenio & indole cujuſque diligenter instituuntur ad ætatis uſque maturitatem. Horum exercitia atque ſtudia diverſa in ſuas claſſes diſtributa diligenter animadvertere & perluſtrare, valde jucundum. Præclara profecto, laudandaque modis omnibus eſt hæc Chriſtianæ pietatis inſtitutio, quam Platonicæ Politiæ quamdam ex parte ſpeciem referre, atque apum imitari œconomiam illam pulcherrimam à *Xenophonte* nobis deſcriptam, & à *Marone* Poetarum Principe ad imaginem Platonicæ civitatis elegantiſſime depictam, *Corona Pighius* declaravit; eſſeque magnis civitatibus, quæ numquam ſine pauperibus & egenis ſunt, valde neceſſariam ac veluti nutrimentum pacis, fomentum tranquillitatis publicæ, atque calcar ad virtutem. Haud quidem hæc abſurdè: ex veterum enim Hiſtoriarum lectione cognoſcimus & experimur (pro dolor!) quotidie, quod inteſtina civitatum mala plerumque naſcuntur ex nimia fortunarum inæqualitate. Quæ cum excedit inter cives ſub iiſdem vivenies

ventes legibus, extrema paupertas infrequenti populo, rerum novarum inducit cupiditatem, adfert scelesta consilia, & excitat temerariam audaciam. Rursus privatorum aliquot opes immensę sicuti pariunt luxum, superbiam ambitionem, contumelias, atque tyrannidem; ita pauperum animos pungunt, invidiaque perstringunt, & maturant discordiarum secessionumque semina. Quæ cum invalescunt, potentissimis Monarchiis, atque felicissimis etiam civitatibus haud dubium adferunt interitum. Florent igitur & vigent potissimum illæ, in quibus Evangelici præcepti temperatura quadam salubri mutua flagrat charitas, & amor proximi colitur in eum maximè finem, ut quæ propria singulis natura vel sorte sunt, religiosa sponsaneaque largitate communia quodam modo fiant necessitati publicæ, atque expendantur in seminaria virtutum, curentur ex iisdem foveanturque pie & prudenter tenera ac debilia Christi membra, ne illa torpeant, neve putrescant, sed ita vegetentur & adolescant, ut tam digno corpori fiat utilia, semperque cohæreant.

Νεαπόλεις, vel *Castrum novum*, ut nunc appellant, ante trecentos amplius annos exstructum à fratre *D. Ludovici* Francorum Regis *Carolo* I. Neapolitanorum Rege, & Andium Comite, ut urbi & portui adversus maritimos hostium insultus esset præsidio. Instauravit proavorum memoria Rex Aragonum *Alphonsus* I. Gallis expulsis, Regnoque subjugato; maximisque operibus ampliatum adeo munivit, ut inter Italiæ firmissimas arces nunc celebretur, cum maximè proximi Reges *Carolus* V. Imp. & *Philippus* ejus filius, nostro sæculo hunc & alias ejus urbis, annona, præsidio militari valido nec non omni apparatu bellico ad hostes propulsandos necessario firmarint abundè.

In medio castri amplissimi umbilico refulget instar Palatii *Praetorium* ingens, refertum Regia splendidaque supellectile, in quo Rex quispiam vel etiam Imperator

perator cum aulico comitatu suo hospitari commode posset. Stupent advenæ machinas, vasta tormenta, globorum ferreorum cumulos magnos, auro argentoque fulgentes galeas, clypeos, gladios, lanceas & reliquum Martium apparatum: sed in Prætorio perstringunt intuentium oculos aulæa holoserica, gemmis auroque intexta, sculpturæ, statuæ, atque picturæ artificiosæ, variusque splendor supellectilis plane Regius.

Visendum & *Ovi Castrum*, quod propter formam ovalem scopuli, marinis undis insulæ in modum circumfusi, in quo positum est, illud nomen accepit. Conditam arcem illam *Collenutius* prodit à *Galicino* III. Normanno, & inde *Normannicam* appellatam diu fuisse. Restauravit hanc item *Alphonsus* I. Aragonum Rex, ornavitque plurimum. At scopulum veteres Græca voce *Myagram* vocitasse ferunt, vel à plantæ silvestris nomine, vel ob loci atque situs conditionem, difficilesque elapsus, quasi captorum muscipulam.

Monstrant inquilini singulatim excisa in cautibus antra, vias angustas, atque exstructa in saxis præruptis munimenta, simul armorum telorumque vim maximam.

Operæ pretium erit exspatiari in Prætoria per Sinum maris, quem Strabo *craterem* vocat, à forma, uti cognoscas disciplinam atque labores servorum navalium, & perlustres obiter vicina littora, circumjacentes insulas ac promontoria, *Misenum*, *Prochyten*, *Pithecusas*, *Capreas*, *Herculaneum* ac *Athenæum*, sive *Minervium*, ubi *Sirenum* quondam sedes fuit, teste Plinio. Promontorio nomen est, quod *Ulysses* ædem sacram *Minervæ* dedicarit in ejus ora, cum Sirenum insidias evasisset, ut Strabo memorat.

Stant sæpe in portu triremes fere quadraginta, exploratoriis, navibusque aliis exceptis. Portus amplissimus à tempestatibus præmunitus est aggere latissimo, per quingentos plus minus à littore passus

in

in mare, brachii incurvi forma, procurrente. Is quidem vestitur atque in altum evehitur è mari quadrato saxo immani. Per medium aggerem fons aquæ dulcis ab urbe tubis subterraneis deductus in capite molis solet erumpere, cujus crater marmoreus ibidem adhuc extat. *Molem* ex re nunc vulgo quoque Latina voce nominant aggerem istum, cujus initia posita constat fuisse annos ante ducentos octoginta à Rege Gallo *Carolo II.* Adampliavit majorem in modum operibus maximis adjectis *Alphonsus I.* Hispanus, qui Rex ejus urbis ædificia publica magnificentissimè provexit & exornavit, sicut et jam nostri sæculi Reges *Carolus* V. Imp. & ejus dein filius successor *Philippus* splendidissime munierunt, excoluerunt, & adauxerunt.

Actuariolis in triremes vehens spectatorem nauta, atque per ageas in transtra circumducens, ostendit servorum nitida lacertosaque corpora, varias eorum artes sedentarias, quas ibidem dum otiantur, magister & ingenii largitor venter (ut *Persii* Poetæ verbis dicam) assiduè docet. Deinde per ustra armamenta, bellicumque navalem apparatum multiplicem: atque demum in uno ducum tabernaculo considens, disces nauticam illam disciplinam atque dixeticam, qua corporum sanitas ibidem conservatur: officia naustidicarum, naustologorum, & comitum celeustarum nec non singula quorumcumque, vel mesonautarum, ministeria.

Perlustra sumptuosissima Regis equilia, in quibus generosorum equorum armenta selecta stabulantur atque domantur.

Detinent Principum oculos atque animos equorum pulcherrimorum pernices in stadio cursus, rotationes agillimæ tolutim glomeratis hinc inde circulis, multiplicati ad virgulæ rectricis nutum saltus in altum quadrupedantes.

Perge ad *Santeremense* castrum longe munitissimum, quod in vertice vicini montis positum despectat

ctatae detegit urbem, littora, portum, atque maris insulas. Exstruxit autem illud *Caroli* II. filius *Robertus* Rex, ante annos ducentos quinquaginta auxit propugnaculis magnis, reddiditque quasi inexpugnabile *Carolus* V. August. atque Rex. At vero *Philippus* ejus filius his annis præterlapsis ampliato pomœrio conjunxit urbi, eamque prolatis mœnibus atque castellis magno spatio novis ædificiis suppleto adauxit. Medio clivo in adversu montis occurrit pulcherrimum atque sumptuosissimum Templum, cum Cœnobio *Carthusianorũ* peramplo.

Nec poterunt satis admirari qui prius castrum non viderint peregrini, summis impensis atque laboribus opera è saxo vivo excisa. Huna nimirum propugnacula atque castella, cuniculi, viæ, scalæque jumentis æque ac hominibus commodæ: machinarum item atque armorum vis ubique magna, nec non annonæ copia inæstimabilis, tormentaque bellica prægrandia ex ære & ferro monstrantur.

Capug.

Multum veræ & solidæ voluptatis hauries, si in dicto *Carthusianorum* Cœnobio, per Monachum illum, cujus hospites blande excipere & Monasterium ostendere munus, de speculis cubiculi sui, quod est in Monasterii angulo illum totum & tractum spectare tibi liceat. Nihil habet Italia delectabilius. Interminatus à dextra prospectus maris, *Æneriæ*, *Capreæ* & *Prochytæ* insularum, & culta *Pausilipi*; è regione, terminatus sinus *Syrrenti*, amœnissimæque *Surrentanæ* oræ urbium & vicorum prospectus. A sinistra *Bolana* arva lætissima, mons *Vesuvii* altissimus. Deorsum flecte oculos, *Neapolis* tibi in oculis, naturæ nescio an artis miraculum, ubi quidquid amœnum quidquid suave optari potest, libet conspici, habere, frui.

Schott.

Ex itinere invisesbortos *Garciæ Toletani* non longe dissitos, spatio cultuq; peramplos & conspicuos.

At sum-

ſumptimus æſtimantur vulgo ſuperbi, feruntque compeditorum maledictis damnatos ſæpius devotoſque fuiſſe, quorum ſudore & ſanguine ſunt elaborati, dum pater illuſtris *Petrus Toletanus* per non pauca luſtra *Caroli* V. Cæſaris auſpiciis urbi Regnoque dominaretur.

Serено cœlo ſuburbana viſu digna perluſtrare juvat. Quæ quidem in agro circumquaque fertili, præſertim litoreo reperiuntur, ut amœniſſima ſitu, ſic ædificiis villarum ſplendidis, hortorumque pulcherrimorum ſumptuoſa cultura per Principes viros exornata Quis narret ſingulatim Fontium ædiculas, antra Nympharum, atque piſcinas, coralliis & unionum oſtreis, omnique conchylionum varietate renitentes? Quis laudet digne porticus, ambulacra, ſcenas frondibus concameratas, florum fructuumque multiplici colore diſtinctas, parietes malorum punicorum tapetis veſtitos, periſtylia & exedras picturis, ſignis, ſtatuis, & marmorum antiquitatumque reliquiis pretioſis decoratas, quibus horti Magnatum variis in locis reſplendent? Ex his oſtenduntur pulcherrimi atque celebriores *Marchionis Vicenſis*, aliorumque Principum, ut in littore maris, *Veſevum* verſus, *Bernardini Martuzani* villa, variis antiquitatum decorata reliquiis: item ſeceſſus Regalis ampliſſimum Palatium extructum olim à Rege *Ferdinando* Arragonio, quod vulgari voce *Pegium* vocant Italiteo nomque ſe recipere Rex ſolebat, quieſcere à laboribus, animumque recreare cupiens, tamquam è negotiorum fluctibus in portum tranquillum. Quatuor quadratæ turres totidem porticibus peramplis in quadrum conjunctæ *Palatium* ſtatuunt, quod in longum duplici latitudine patet. Singulæ turres infra ſupraq; cœnaculis & cubiculis ſplendidis commodiſſimæ ſunt, è quibus patet tranſitus ab una in aliam per porticus illas tectas. In area media gradibus deſcenditur paucis ad fontem atque piſcinam limpidam, ubi per pavimentum cir-

circumquaque pro nutu Domini aquarum uberes venæ ſubterraneæ per infinitas ac tenues fiſtulas artificio ductæ, tam erumpunt è latebris copioſe, ut incautos ſpectatores ſubitò conſpergant, & largiſſime contra calores æſtivos refrigerent, aquarum enim dulcium copia felix atque fœcundus is ager eſt propter vicinum *Veſuvium*, cujus circum radices interna incendia non poſſunt non expellere frequentes dulcium aquarum ſcaturigines affatim purgatas & percolatas. E quibus *Sebethus* item in alveum collectus, & aquarum caſtellum inde pera, quæ ductus ſubterraneos totam *Neapolim* vicatim fontibus irrigat abundanter, adeo ut per Palatia, diverſoria, & ædes etiam privatas diviſæ in plurimos digitos fonticulorum venæ diſtribuantur, quas ubique locorum in atriis & cœnaculis videmus erumpere. Tantas igitur commoditates rerum omnium adfert incolis ſuis *Paradiſus Italiæ* (velut à *Corona Tighi* vocari non inepte ſolet) florentiſſimus ille Neapolitani territorii tractus: licet gravibus ſæpe bellis adflictus fuerit, & terræmotibus aliquando ſit obnoxius.

In eodem eſt, ab urbe vix quatuor millia paſſuum diſtans, pulcherrimus, atque optimi *vini Graci* largitor *Veſerus* vel *Veſuvius* mons, quem & *Veſuvium* à favillis veteres appellarunt. Nam *Ætnearum* flammarum imitator eſt & aſſecla ex terræmotibus atque incendiis natus, quorum materiam in imis viſceribus perpetuo fovet. Quæ cum annorum plurium ſpatio matureſcens invaluerit, atque ſuperabundaverit, accenſus ſpiritibus ſubterraneis ignis montium clauſtra rumpit, intimaque terræ viſcera cum ſaxis, flammis, fumis atque cineribus eructat in altum ſummo cum fragore, tantaque cum vi, ut Gigantæum *Veſuvius* bellum imitari, atque *Jovem* Superoſque flammis & ſaxorum ingentium telis oppugnare, ſolem in terram trahere, diem in noctem vertere, cœlum ipſum obruere

ruere videatur. Constat experimentis multis, item *Vitruvii Strabonis*, pluriumque veterum Auctorum testimoniis, esse sub *Vesevo*, & aliis illius oræ marit imæ montibus atque insulis, ex sulphure, bitumine, atque alumine maximos ignes ardentes, uti ostendunt etiam sudatoria, sulphureique fontes bullientes. Hinc *Vesuvus* cum ignibus redundat, accenditur aliquando, nonnumquam terræmotus & clades ingentes concitare solet. Ceterum illud fuit famosissimum incendium, quod *Titi Vespasiani* sub Imperio contigit, & graphicè nobis à *Dione Cassio* aliisque Auctoribus describitur, cum ejus incendii cineres non solum *Romam*, sed & ultra mare in *Africam* & *Ægyptum* deferrentur ventis: cum in mari bullente pisces coquerentur, aves in aëre suffocarentur, celebres urbes vicinæ & antiquissimæ *Stabiæ*, *Herculanæum*, atque *Pompeii*, saxis & cineribus, dum populus in theatro sedebat, obruerentur: tum *C. Plinius*. Historiæ naturalis scriptor celeberrimus, qui classem *Miseni* cum imperio tunc regebat, dum avidius causas ejus incendii perscrutari & propius accedere cupit, ad *Herculanæum* portum vi æstus atque vaporis suffocaretur; quem *Franciscus Petrarcha* satis notans, videt in suæ *famæ triumpho* multa scribentem, & incaute morientem.

Mentr'io mirava subito hebbi scorte
Quel Plinio Veronese suo vicino
A scriver molto, à morir poco accorto.

Non potuit tamen non ipse etiam *Steph. Fizbius*, cùm juvenis ante annos triginta studiorum causa *Latium*, *Campaniam* ac *Neapolim* perlustraret, propius tantorum miraculorum sedem, licet præcelsam & adscensu difficilem perscrutari, atque diem integrum huic labori impendere. Cum duobus igitur comitibus montem peragravit pænè totum, atque verticem illius exsuperavit, nec satiari contemplatione potuit cum ipsius, tum latè patentis circumregionis, insularum, ac maris, Exurgit namque solus

ſolus in altum è planicie fertiliſſimorum agrorum, & vicini littoris ab aliis montibus ſeparatus. Itaque cineres ejus flammis diſperſi per agros proximos, item ſaxa, glebæque ignibus excoctæ, pluviiſque diſſolutæ, mirifica ſtercoratione lætificant & fecundant omnia: ut nunc appoſitè vulgus agrum atque montem ipſum *Summanum*, ac oppidum quoque, quod unum monti ſuppoſitum eſt, *Summam* appeller: à ſumma vini nobiliſſimi atque optimorum fructuum abundantia. Veſtitus eſt etenim majore ex parte circumcircà *Veſcuus* pulcherrimis vineis, uti colles agerque vicinus. Sic tuo quoque tempore *Martialis* Poëta *Veſevum pampineis umbris viridem* fuiſſe canit, ejus atrox illud incendium, quod Imperatore *Tito* contigit, eleganti deplorans epigrammate, libro 1. Vertex tamen ejus ex omni memoria temporum, ætatum, hiſtoriarumque ſemper aduſtis ſaxis ſterilis ac veluti flammis depaſtus manet. In medio verticis vaſta patet vorago rotunda, velut ingentis amphitheatri quædam cavea, *craterem* vocant à forma, cujus tamen fundum in intima terræ viſcera penetraſſe conſtat, cum ignium eruptio per illam olim fieret. Nunc tamen friget, nec quippiam caloris aut fumi videtur emittere. Nam in barathrum illud ipſe deſcendit, quouſque non impediebant præcipitia, vel locorum obſcuritas. Superius enim *crateris* labrum non ſecus ac amphitheatri ſedilia declive, terra cineribuſque ſuperfuſis fertile eſt: & viret abietibus, magniſque arboribus, ubi ſolis calor penetrat, atque cœleſtibus pluviis irrigatur. Inferiora verò, quæ ſicuti fauces contrahuntur in majores anguſtias, rupium & ſaxorum fragmina immania, nec non trabes & trunci prolapſarum arborum obſtruxerunt. Quas tamen obſtaculorum moles, ignium materia interiore ſuperante, tamquam leves palearum faſciculos fumi flammarumque vis illa præpotens facile exturbat, & in cœlum evehit. Certum eſt etiam,

etiam, non ſolum per *craterem*, ſed prout caſus aliquando poſtulat, alibi quoque, vel per ima montis latera ſibi viam incendium aperire: ſicut ante ducentos ſeptuaginta ſex annos, *Benedicto* IX. Pontifice Summo, contigiſſe tradunt Italorum Annales, cum ingens flammarum flumen è latere montis erupit, atque igne liquido in mare profluxit, cujus alveus, ſcrobiumque veſtigia videri etiamnum poſſe ferunt. Atqui præter *craterem* habuiſſe meatus alios exituſque flammarum antiquiſſimis etiam temporibus, ex hiſtoria Romana colligimus: nam *Spartacus* gladiator, cum bellum fugitivorum in Campania Romanis concitare cœpiſſet, montemque *Veſevum* cum ſua cohorte velut arcem ac ſedem belli primam ac tutam occupaſſet, obſidionem Romanorum, qua circumvallatus erat, tara via ſefellit. Nam per fauces cavi montis vitigineis delapſus catenis, ad imas ejus radices cum ſuis deſcendit, ut *L. Florus* hiſtoriæ Romanæ lib. III. ſuccinctè memorat, *& elapſus exitu inviſo in hilarate opinantis Clodii obſidentium duas caſtra ſubito impetu diripuit.* Nunc vero temporis, an per latera montis reperiantur in vineis meatus aut cuniculi vergentes in *craterem*, incompertum mihi eſt. Meminit tamen *Pighius* ſe in cacumine circum *craterem* plura vidiſſe ſpiracula calorem continuum exhalantia, vulpium foveis haud abſimilia; in quibus cum inſereret manum, facile calores emergentes ſentiebat, tenues tamen, ac ſine fumo vel vapore. Sed hæc de *Veſevo* vel *Veſuvio* ſatis.

Capuæ.

Inter *Veſevum* montem & *Atellam* in mediterraneo ſitum eſt *Merelianum*, *Acerræ*, *Suceſſula*, quæ olim civitates *Leborinos* agros poſſidebant, ubi atrociter prælium fuerunt *Romani* & *Samnites*, at in præſentia diruſæ jacent: iis *Capuani* montes qui *Tifata* à priſcis dicebantur, & qui à Septemtrione *Nolam* verſus extenduntur imminent. In his *Furcæ Caudinæ*, oppida & loca habitata multa, quorum primum

eſt

est *Airola* Castrum. Ad horum montium radices è Meridie invisitur *Caserta* civitas, magni Cardinalis *Sanctorii*, *S. Severina* quem vocant, patria. Ipse, quamvis Ecclesiarum in Oriente desolatarum protectione, fori Pœnitentium officio, pro neophytis in Fide solicitudine, Regularium quarumdam reformatione hæreseos animadversione, & quamplurium aliorum negotiorum urbis & orbis mole sit onustus & jam grandævi ætate vexatus, singulari tamen vigilantia & labore (cum sit multiscius) nec non minori in Deum pietate, omnem operam in eorum salute consumet, nec ullam prætermittit juvandi & levandi locum. Adjacent *Caserta*, *Magdalenum*, *Orazanum*, *Argentinum*, quodam ordine, quam eis loca circa *Neapolim*, & *Campaniam*; inde *Pientini* adeuntur.

Regnum, cujus metropolis *Neapolis* est, à *Latio* initium sumit, qua *Ufens* flumen in *Tyrrhenum* influit. Tum ad *Appenninum* versus iter instituitur *Terracinam* usque, inde *Fregellas* seu *Pontem curvum*, *Caperanum*, *Reate*, *Tarequitium*, *Urbem Ducalem*, & *Amatricem*, ubi *Truentum* nascitur. Tum via tenenda, quam tedet flumen ad coloniam *Asculanorum* usque millibus passuum XVIII. ubi flumen ipsum Adriatico se immiscet. Hæc via, flaminum & finium harum regionum causa flexuosa in CL. milliaria se extendit, quod si recta & simplex, longe compendiosior. Regni pars opposita superiori est *Leucopetra* ab antiquis dictum promontorium nunc *Capo delle armi*. Siciliam spectat, & stadiis XLVIII. à *Rhegio* abest, cujus summitas *il Tarlo* vocitatur. Si *Terracinâ* inter habeas *Neapolim*, & *Buxento*, & *Rhegio*, & per promontorium transeas, millia passuum CDXVIII. conficies. Si ora maritima illud ambire placet, à mari Infero & Siculo quasi pæninsula à meridie circumdatur ab Oriente à Septemtrione partim Jonico usque ad *Garganum* partim Supero, à *Gargano ad Truentum*. Hoc spatium ab *Ufente* ad

Truen-

Truentum flumen, maritima ora est milliariorum M. CCC. XVIII. totius Regni ambitus. M. CD. LXVIII.

Huic aliqui dederunt Provincias X. alii IX. ut IVII. nos vero XIII. illi assignabimus. Terra quæ *Leborii* dicitur. *Neapolim* retinens, Archiepiscopatus habet tres. Episcopatus viginti quinque, Castra & terras muro vallatas omnes simul LXVI, & villas CLX, Principatus qui *Citra* dicitur, in quo *Salernum* visitur, gaudet civitatibus XII. terris & Castris CCXVIII, Principatus *Ultra* ornatur civitatibus XI. terris & Castris CXLI. & *Compsa* omnibus est excellentior. *Basilicatæ* dantur civitates X. terræ & castra XCIII. in ea eminet *Venusium Calabriæ, itra* videtur *Cossentia* cum aliis IX, civitatibus, terræ & castra CLXII. *Calabria ultra*, in qua *Rhegium* præcellit, fruitur civitatibus XVI. castris ac terris CXXX. In terra *Idrunti* numeratur *Brundusium*, & aliæ XIII. civitates, castra & terræ CLVIII. Terra quæ *Barri* dicitur, XIV. civitatibus gaudet, & L, terris & castris. *Capitanata* sunt civitates XIII, terræ XC, & *Manfredonia* his est illustrior. In Comitatu *Molisii* stant civitates IV. castra & terræ CIV. maximè *Triventum*, *Aprutium citra* civitates habet VI. terras & castra CL. *Teate* hic oprimè viget. *Aprutium ultra* præter *Aquilam* ditatur civitatibus IV. terris CCLXXXIV. & ut brevius loquar, in hoc Regno sunt Archiepiscopatus XX. Episcopatus CXXV. Principatus X, Ducatus XXIII. Marchionatus XXX. Comites in subditos auctoritatem exercentes LIV. Domini, qui vere dominantur multis, XV. Domicelli cum titulo & jurisdictione CD, XLII. Terræ & castra muro circumdata M. villæ numero maximo. Insulæ in hoc Regno sunt nobiliores *Ænaria*, *Prochyta*, *Liparea*, & aliæ XIII. parvi nominis.

Regni hujus officia sunt, *Comestabilis Magni Institiarii*, *Ammirantis*, *Magni Camerarii*, *Protonotarii*, *Magni Sinischalchi*, *Magni Cancallarii*, est etiam

Syn-

Syndici munus, qui *Neapoli* civitatis negotiis incumbens, publicas administrationes exercet.

Habet *Neapolis* quinque Nobilium cœtus *Nidi*, *Portæ novæ*, *Capuanum*, *Montanum*, & *Portæ* : quos cœtus etiam, etsi aliis nominibus vocatos, habet & *Capua* ipsa.

Urbes antiquitate & præclarissimis dotibus ornatæ fuerunt in hoc Regno quamplures, quarum memoria nunc extant, præter *Oscam*, *Metapontum*, *Sibarim*, & eas quæ infra delineabuntur.

Regni alumni fuerunt litterarum peritia vere illustrissimi *Archita*, *Euritus*, *Alemeon Zeno*, *Leucippus Parmenides*. *Timeus*, *Ennius Lucillus*, *Pacuvius*, *Horatius*, *Ovidius*, *Statius*, *Juvenalis*, *Salustius*, *Cicero*, *S. Thomas*, præter hodiernos.

Silentio involvam Summos Pontifices, Imperatores, Reges, belli Martes, & summam Prælatorum copiam, Principum & Heroum myriadas, ne dicam Sanctos & Sanctas, qui Dei vultum perpetuò contemplantur.

Neapoli Regno potiti sunt *Græci*, *Gothi*, *Vandali*, *Longobardi*, *Saraceni*, *Turcæ*, *Normanni*, *Suavi*, *Galli*, *Cataluni*, *Arragonii*, *Flandri*, seu *Hispani*.

ITER PUTEOLOS VERSUS.

Ex eodem STEPHANO PIGHIO.

PAUSILYPUS, mons arduus quidem, vineis attamen pulcherrimis excultus, & villis etiam olim ut ex Plinio & aliis constat, opulentis habitatus, instar promontorii procurrit in mare Siculum, viam præcludit inter *Neapolim* & *Puteolos* : qui quidem summo cum labore molestiaq; viatoribus superandus erat, vel ambitu longo circumeundus, priusquam majorum industria perfoderetur : at vero per imas radices atque intima viscera pertusus, viam itinerantibus recto tramite planam atq; facilem aperire cœpit. Hinc quidem ab antiquo Græci men-

tum non inepto videntur insigniisse nomine, παυσίλυπον appellantes, velut ademptorem molestiarum atque laboris, quo cognomine & Jovem ipsum celebrarunt Græci veteres, ut apud Sophoclem legimus.

Mons quidem pertusus est ad passus plus minus mille, viaque per fodinam illam patet lata pedes XII. ac totidem alta: qua, sicut Strabo testatur duo contraria palustra simul commeare & transire possunt. Speluncam appellat ipse, Seneca cryptam Neapolitanam, (hodie Crotta paululum inflexa voce) ibi sortem athletarum omnem se perpessum scribit ad Lucilium Epistola LVIII. cum per illam Bajis Neapolim repeteret. Reperit nimirum in via luti cæromata perabundanter, & in ipsa crypta Puteolani pulveris haphen. Eamdem experti sumus inspectionem, sicuti omnes solent, qui multi simul vel pedites vel equites illam transeunt. Itaque cum ex tenebris illis flavi proditemus, invicem multi non sine cachinno admirabamur, excutiendumque atis reperimus, Caussa perpetui pulveris istius in promptu est, quod ventus aut pluvia numquam eo penetret, nihilque, nisi in specus ostiis, humectet. Cum igitur illic pulvis motus, ut idem Seneca dicit, in se volutatur, & sine spiramento sit inclusus, in ipsos, à quibus incitatus est, recidit: Ex cujus verbis quidem colligimus, Neronis temporibus nullas speluncam istam habuisse luminum fenestras, vel aëris spiracula, præterquam in utrisque faucibus. Nam carcerem longum & obscurum appellat Seneca in quo nil aliud quam ipsas tenebras videre est. Asserit attamen Cornelius Strabo, per montis crepidinem olim fenestras plures variis locis ex alto lumen infudisse: quibus omnibus demum vel terræmotu vel negligentia temporum obturatis, tenebras profundas speluncam longissimam illam obsedisse, non est mirum. Hoc quando contigerit, in obscuro nunc item est. Petrus Russanus Seculus, Episcopus Lucerinus, ante

spa

ſua tempora, ſe licet annos centum quinquaginta plus minus, foramina, quibus lumen admitteretur, in ea crypta fuiſſe nulla reſtatur: obſtructas item fere ruinis atque vepribus utrimque fauces, ut ingreſſus abſque lumine cunctis eſſet perhorrendus. Tunc Arragonum regem *Alphonſum I.* in poteſtatem Provincia redacta complanaſſe dicatasque viam ac fauces; perforaſſe montis dorſum, atque duas aperuiſſe feneſtras, quæ lumen obliquum in mediam ſpeluncam ex adverſo nunc infundunt. Tamquam nix quædam inſparſa ſolo lux illa tranſeuntibus apparet, à longe reſplendens in obſcuro, priuſquam feneſtræ videri poſſent. Eſt item in tenebroſæ viæ medio cacellum exiguum exciſum in pariete ſaxeo, in quo nocte dieque lampas ardens viatoribus æternæ lucis memoriam ſuggerit, nec non in tabula picta noſtram ſalutem è virgine matre *D. Mariæ* natam oſtendit. Adampliavit opus immortalitate dignum, reſtauravitque magnificè noſtra memoria *Petrus Toletanus*, dum *Carolo V* Imp. auſpiciis Regnum Neapolitanum adminiſtraret. Itaque nunc tam recto tramite via per montem ducta eſt, uti cryptam intrantibus lumen à longe veluti ſidus quoddam per oſtium adverſum reſplendeat, ad quod euntes in tenebris iter dirigunt: quibus item facile atque iucundum eſt, obvios quoſque per lumen illud in ſpeluncam intrantes, tamquam pygmæos procul vel equites vel peditas cernere. Quinam primus animo Xerxeio tam immenſum opus aggreſſus fuerit, aut quo tempore factum ſit, ferunturque eruditorum variæ ſententiæ. Sed prætereamus vulgi ſermonem inſultum, magicis Poetæ *Virgilii* (cujus ante fauces cryptæ ſepulchrum fuiſſe plures tradunt) incantamentis iſtud attribuentis, Item eos, qui *Baſſum*, neſcio quem, ejus auctorem adferunt; cujus nemo, quod ſciam, veterum meminit. Nos ex *Strabone Cornelio* quidem colligere videmur, atque is ex *Ephoro*, *Homero*, Græciſque Scriptoribus aliis. Cymmerios antiquiſſimos

populos in illo Campaniæ tractu juxta *Bajas*, *Lucrinum*, atque *Avernum* in antris atque subterraneis specubus habitasse, cavernisque quibusdam inter se commeantes effodisse metalla, pertudisse montes: nec non per Sacerdotes suos necyomantiam ac divinationes suas in speluncis profundis exercuisse, peregrinos & advenas ad inferorum oracula deducendo. Qua gente deleta, Græcos, qui regionem illam post incoluere, quique *Cumas* ac *Neapolim* condidere, Cymmeriorum fodinas illas, ut opinantur plures, ad hypocausta, thermas, vias, aliosque varios usus accommodasse. Nec minus Romanos Græcorum exemplo pro sua magnificentia plurimum auxisse subterranea illa opera, cum jam rerum domini secessus ac villas oppidorum instar ibidem extruerent, atque Puteolani pulveris ex iis montibus extracti raræ virtutes ad ædificiorum structuras firmandas, fundamentaque in aquis solidanda jam innotuissent. Adfirmat autem *Strabo*, sua quidem ætate, cum *Averni* montis saltus aerem corrumpentes excinderet sub Augusto *M. Agrippa*, tum inter alia magnifica opera, specum subterraneum usque *Cumas* effossum apparuisse, quem una cum alia, quæ inter *Puteolos* atque *Neapolim* est, *Coccejum* quendam perduxisse, fama tenebat. *Cujus*, inquit *ætate forte ad usus regionis obtinuit, ut ejusmodi subterranea via cavernaque fierent.* Ex ejus autem hisce verbis elicimus diu ante *Strabonis* tempora *Coccejum* gentem in Campania floruisse, cryptamque dictam ibi fuisse, nec de ejus auctore quid aliud tum certi constitisse. Nec verisimile mihi videtur, opera *L. Lucullo*, quæ maxima & sumptuosa supra modum in iis locis fecit, quorum ob causam *Xerxes* rogatus à *Pompeio Magno*, *Tuberone*, *Cicerone* & cæteris Principibus Urbis appellatus fuit, *Straboni* ignota fuisse. Qua propter nec in eorum sententiam pedibus eo, qui volunt ab ipso propter villam suam ibidem *Pausilypum* perfossum, errore ducti, quod à *Marco Varrone*, *Plinio*

nio atque aliis memoriæ proditum sit, à *Lucullo* montem juxta *Neapolim* majore impendio, quam villam suam ædificaverat, excisum esse. Sed in quem usum? quæso. Non ut iter viatoribus commodum faceret, sed ut Euripum aperiret, ac maris undas, eum placeret, piscinis suis immitteret: utique piscibus per vivaria tam æstate quam hyeme commodas stationes intra montis cavernas pararet.

Occurrit exeuntibus cryptam paulatim sulphureus odor per aëra sparsus ex diversis terræ cavernis hinc inde promanans. Nec diu post offenditur lacus *Avernus* Amphitheatri in modum circularis, & collibus undique conclusus, atque per apertum ferro montem immensæ maris undæ: excisi rupium parietes, caviquè specus ad piscium stabula atque refectus facti, sed arenis ac limo nunc ædificiorumque ruinis oppleti. Fundum in medio non reperiri, ex accolarum relatione *Leander* & alii quidam scribunt; vernoque tempore serpentium globos convolutos è summis rupium crepidinibus magno cum impetu provolvi in aquas, nec denuò conspici.

Nec procul inde monstrantur cellæ sudatoriæ *D. Germani* concameratæ, sub quibus è solo calidi vapores erumpunt vehementes; ut si quis vel nudus introierit, repente sentiat extrahi è corpore sudores quam maximos. Itaque consulunt hæc vaporaria plurimum podagricis, evacuantque noxios ac nimios humores, ulcera interiora sanant, & valent ad multiplices corporum morbos quæ si quis accuratiùs cognoscere cupit, legat *Jo. Francisci Lombardi* Synopsim eorum qui *de balneis, atque miraculis Puteolanis* scripsere tã prosa quam carmine. Nobis ad alia properantibus singulatim omnia persequi non vacat.

Est in agro *Puteolano, Bajano, Cumano*, atque in *Ænario* vicinis insulis, quas & *Pithecusas* Græci veteres appellarunt, miraculorum similium multitudo, varietasque magna: uti naturam credere sit in iis *Apollini*, *Æsculapio*, *Hygiæ*, atque *Nym-*

ph perpetuo ſervire, nec non pro coqua famulati. Quod autem non ſine ratione certa fieri videmus: quandoquidem terræ motus, atque ignium irruptiones frequentes quæ contingunt, abunde demonſtrant, diverſis in locis, ſub maris etiam fundo, montiumque radicibus, in imis terræ penetralibus æſtuare quam maximos ignes, quorum fervidi vapores atque flammæ per intervenia meantes inter aluminis, ſulphuris, bituminis, aliaſque materias, variis in locis calidos ac bullientes excitant fontes, formantq; vaporaria in montium cavis ad ſudationum utilitates egregie commoda. At horum omnium natura virtuſque diſſimilis eſt, pro materiæ terræque, à qua naſcuntur, proprietate. Nam inter medicas tot aquarum exhalationum terreſtrium vires, non deſunt etiam noxiæ atque peſtiferæ: cum nimirum aquæ vel calidi vapores ex uliginoſis ac male affectis terræ viſceribus erumpunt. Plinius lib. naturalis Hiſt. 2. teſtatur, cum alibi in Italia, tum in agro *Sinueſſano* & *Puteolano* ejus generis reperiri ſpiracula, vocarique *Charoneas* ſcrobes, mortiferum ſpiritum exhalantes.

Oſtenditur quidem ad pedem montis, quo lacus *Anianus* cingitur, haud procul ab aquis ipſis, antrum ſimile fundo plano in montem abiens per paſſus decem vel octo, cujus fauces amplæ ſatis duos vel plures in ingreſſu ſimul intromittere poſſunt ſed ſenſim declivi in arctum teſtudine deſinit, ubi è profundo per ſaxi poros inviſibiles ferventes exhalat ſpiritus, verum adeo tenues, ſiccos, atque ſubtiles, ut eorum nullus videatur fumus aut vapor: quamvis aërem ventis infuſum, cavernæque frigora calore vehementi mox ſpiſſent, & mutent in aquam: ſicuti ſtillæ in ima teſtudine dependentes, & ex obſcuro adverſus oſtii lucem ſtellularum in modum ſcintillantes indicant Hydragyri, vel argenti vivi guttæ apparent à longe, quemadmodum etiam plurimorum fert opinio, vulgoque perſuaſum eſt. Quin etiam

etiam ab omnibus creditum est, si quid vivi ultra limitem in ingressu fossula designatum transierit, vel projiciatur in cavernam interiorem, idipsum mox concidere, & exanimari, immo prorsus enecari, nisi protinus extractum in aquis stagni vicini immergatur, quarum frigore recreari quam primum, ac sensim reviviscere constat. Cujus rei periculum faciunt indies peregrini & advenæ cognoscendarum rerum studiosi. Pullos gallinaceos aut canes funibus nexos, aliudve quid vivi in antrum projicientes. *Leander, Albertus* memoriæ prodidit, *Caroli* VIII. Galliæ Regis jussu (cum is ante annos centum quatuordecim plus minus, pulsis Hispanis, aliquandiu Regno potiretur Neapolitano) asinum intrusum confestim vertigine captum cecidisse & expirasse. Alius, qui de balneis illis scripsit ante ducentos fere annos, temerarium militem armatum suo tempore in eodem antro misere perisse tradidit. Ceterum præsente *Carolo* Cliviæ Principe, veluti *Corona Pighius* asserit se vidisse, ductores Hispani duos validos canes villaticos projecerunt in antrum, quamvis admodum reluctantes, sic ut idem periculum & antea subiisse viderentur, extracti exanimes, per aquarum baptisma revocati sunt ad vitam: sed alter eorum Principis jussu retractus in antrum denuo cum periclitari coactus esset, nec anabaptismate reviviscere, tamquam cadaver in ripa relictus, est non magna tamen interposita mora, veluti excitus profundo somno resurgens nonnihilque cespitans ac vacillans, quam ocyssime potuit, fugam arripuit: cunctis qui videbant ridentibus. & *Carolo* canem laudante, quod orco victima cadere noluisset, post hæc facem ardentem ultra limites in cavernam porrexere: quæ demissa solum versus extingui protinus; evecta nonnihil in altum, rursum inflammari visa est. Illudque profecto docuit experimentum, spiritus ex fundo prodeuntes fervore siccitateque validiores in imo, mox levia flammarum nutrimenta

diſſipare: laxiores autem atque imbecilliores in alto, rurſum calidos ac pingues facis fumos inflammare, quemadmodum videmus accenſæ candelæ flammam per alterius extinctæ fumum in admotam tranſilire, ſoliſque radios vehementiores ſpeculo injectos ſtuppam admotam comburere. Certe cum ante annos triginta ſtudiorum cauſſa peragraret Italiam *Pighius*, diligentius perſcrutandi ſingula, ex quibus docere poſſet, cupidine flagrans, & *Puteolis* jam dicta naturæ miracula videns attonitus, cauſſas eorum non potuit non inveſtigare propius. Non perſuadebatur enim hydragyri vel argenti vivi guttas eſſe, quas à longe reſplendentes in extremo cavernæ videbat. Igitur juvenili quadem audacia foſſulam tranſgreditur, & corpore paululum inclinato propius accedens, aquæ limpidiſſimæ guttas eſſe didicit, digitiſque detergens eas à ſcabra montis teſtudine comitibus oſtendit: juſſitque ut crederent, vel intrarent & experirentur. Quod & factum fuit. Nam acceſſerunt ambo, ſcilicet *Antonius Amſtelus*, & *Arnoldus Niveldius* Batavi Ultrajectini, ex Equeſtri ſtirpe juvenes, qui erant ejus itineris comites. Et quamvis aliquantiſper moram in antro traxerit, vel ad horæ ſemunciam ampliuſve, atque calores à pedibus per crura genuaque ſenſerit exurgentes: non tamen vertigo vel capitis dolor ullus acceſſit: ſudores tantum in fronte ac temporibus ob loci caliditatem erumpebant. Experientia itaque didicit, fervores ſive ſpiritus illos noxios prope ſolum ubi primum erumpunt, vehementiores eſſe, atque opprimere ibidem animalia puſilla, vel quadrupedia verſus terram ſemper capite prona, atque æſtu nimio quamprimum ſuffocare vitales eorum ſpiritus, dum ficcas illas & ferventes exhalationes anhelitu eoguntur attrahere, quas aquarum repentina frigora rurſum expellunt, ſi confeſtim ſtagno mergatur animal caloribus nimiis oppreſſum. Interim ductor Italus, ſtabularius, mirari vehementer temeritatem illam

illam, obſtupeſcere ſucceſſum & exitum, & cogitare non ſemel, an magiæ peritus eſſet; nec aliud ſibi perſuadere, quam ſecretis quibuſdam incantamentis præſentiſſimam illam peſtem averruncaſſe. At vero ille plebejam hanc ſimplicitatem riſit effatim, quæ magicis artibus adſcribere plerumque ſolet opera quæcumque magna, & effectus raros, quorum cauſſas non intelligit. Jam ad iter revertamur.

A ſcrobe *Charonea* ducimur ad *Sulphuraria*, ſicut nunc apellant hæc loca, Poëtarum fabulis antiquiſſimis celebria propter naturæ miracula. Etenim cecinere ſub his montibus Gigantes ſepultos eructare flammas ab inferis,

Et mota ſcopulos terraſque invertere dorſo.

Nimirum, quando terræmotus interveniant. Montes autem ſunt ſulphuris, aluminis, atque vitrioli, ut appellant, venis fecundi: quorum præcipuus coloniæ *Puteolorum* antiquæ vicinis admodum imminebat olim, teſte Strabone, nunc tamen ab oppido novo diſtat ultra mille paſſus Cujus vertex quondam præaltus perpetuis tandem ignibus depaſtus in vallem profundam ſubſediſſe, ex ipſa loci forma colligere eſt. Itaque qui quondam vertex, nunc ingens in plana valle foſſa eſt: quæ coſtæ vel latera montis olim, nunc ſcopulorum ac ruptum cacumina ſunt, vallo quodam circũ ambientium planitiem extenſam ovata forma per pedes plus minus mille quingentos, in longum, & in latum circiter mille Plinius colles illos ab albedine *Leucogæos*, planitiem verò, campum *Phlegræum* à flammis & ardore vocati ſcripſit, cui Silius Italicus adſtipulatur. Cornelius autem Strabo *Forum Vulcanium* appellat locum, ubi & ab *Hercule* ſuperatos *Gigantes* quidam fabulantur. Colles illi paſſim flagrare videntur in imo fundo: nam magnos ubiq; cum odore ſulphureo per plura foramina ſemper exhalant fumos, qui per omnem vicinam regionem ventis etiam *Neapolim* uſq; defertur.

tiquitus hi colles ut ex Dione Cassio atque Strabone colligimus, majores quidem ignes evomebant & alii vicini montes plures circa *Lucrinum* & *Avernum* ardebant, & velut è fornacibus fumos ejiciebant spissos, ac aquas ingneas: nunc temporis autem ipsa Planities, non secus ac colles *Phlegræi*, flammis perpetuis exhausti, foraminibus infinitis cavernosi, sunt & materia coloreque sulphureo flavent ubique. Solum itaque pedum ingressu cum tangitur, quasi tympanum propter concavitates resonat & crepitat: sentiesque non sine stupore sub pedibus ferventes aquas fumosque densos & ignitos sibilare, ac fluere hinc inde cum magno fragore per tubos atque cavernas subterraneas vi exhalationum factas. Quæ quanta sit, experiens, si foramen aliquod obtures vel gravi lapide, eundem mox impetum fumi videbis ejicere.

Lacuna ingens in eadem planitie semper reperitur, aquis nigris bullientibus plena, quæ locum aliquando mutat, ac indurescentibus aquis (ut in lebete pinguedo frigescens per margines solet) arctatur vel ampliatur simul cum exhalationum impetu majore vel minore. Tum verò cum aderam ingentis instar cacabi livido luto pleni bulliebat cum magno sonitu fumoque, non tamen, evehebatur extra limites ac labra sua. At memini, cum locum perlustrarem, voraginem illam aquas ultra humanam staturam ad octo vel decem pedes in altum ejecisse in modum pyramidis, easque pingues ac luteas, sulphureique fere coloris: quod etiam vicini Puteolani non diffitentur, qui perhibent ad XVI. vel XXIV. aliquando palmas ebullire. Cum tempestatibus æstuat mare, tum color aquarum varius, ac plerumque sulphureus, nimirum quas varia materia mixtas è profundioribus terræ venis majore cum impetu venti subterranei agitati marinis æstibus, & inter flammas invalescentes eructant, at cum venti sub terra quietiores sunt, hærente tantum in lacunæ

fauci-

faucibus, pingues ac nigra fuligine squalidas aquas propellunt. Hæc quidem ingeniis naturæ secreta perscrutantibus offerunt considerationem haud inutilem aut injucundam quam *M. Cicero* perappositè atque luculenter *naturale* quoddam *animorum pabulum* appellat: utpote terrarum orbem non ubique solidum, sed anfractibus multis cavernosum, venis ac poris infinitis pervium esse, experientia cognoscimus, atque velut corpus animantis vivum à contiguis elementis aëre aquaque, motu continuo penetrari, ab iisdem vegetari, augeri ac minui cum plantarum & stirpium excrementis suis omnibus; quin etiam per fistulosos suos meatus terram æquoris circumfusi vim multam absorbere, & spiritus vehementes aquarum concursum motumque concitare in imis ejus visceribus, strictisque latebris, ibidem collisos inter saxa ventos effervescere, & ignes incendere maximos: qui cum devorant obstantia quæque exhauriunt & evacuant terræ penetralia, contrahunt eo per terræ poros, velut laxis & expansis follibus, vicinos ventos & fumos simul ingentes; ubi tandem invalescentes supra modum, quærunt exitum, horrendoque cum mugitu, terrarum ac montium conquassatione:

Pellunt oppositas moles, ac vincula rumpunt.

Sicut latius *Ætna* sua Cornelius Severus doctissimus Poëta cecinit. Atque hisce de causis terrarum motus, voragines & hiatus exurgunt, nec non flammarum eructationes, ignium rivos, bullientesque fontes atque fervidas è terris exhalationes oriri hinc constat. Memoriæ proditum autem à Dione Cassio, jam dictos montes *Puteolanos* suo tempore plures habuisse fontes fluidorum ignium, in quibus aquæ nimis caloribus ignoscerēt, & ignes aquarum commixtione liquescerent, sic ut contraria illa elementa numquam separarentur. Ceterum nunc quoque temporis videmus ibidem aquis conservari atque nutriri flammas & sulphura, totque jam sæculis per-

petuari, nec consumi, quamvis in iisdem fere meatibus semper durent atque scaturiant. Quod item Poëta *Severus* non prætermisit, pulchrè canens in *Ætna* sua, quo pacto flamma nutriatur humoribus.

Atq; hæc ipsa tamen jam quondam extincta fuissent,
Ne furtim aggeneret secretis callibus humor
Materiam, sylvamque suam, pressoque canali
Huc illud ageret ventos, & pasceret ignes.

Jam & de campis *Phlegræis*, & eodem, de quo nunc agimus, loco inter *Neapolim* & *Cumas* dicit, quod

Ejus ab æterno pinguescens ubere sulphur
In merces legitur, quemadmodum nunc temporis vectigal ingens ex sulphurariis illis atque aluminis mercibus Regi provenire dicitur. Videmus insuper, aquas illas sulphureas maris salsugine, cineribusque incendiorum infectas, cum longius profluendo refrixerint lapidescere, atque propagare vim eamdem in amnes ac rivos, quibus commiscentur: experimenta non solum ibi, sed & in aliorum Italiæ fluminum aquis occurrunt omnium oculis, ut in *Aniene*, *Albula*, *Velini*, *Naris*, & aliorum; quæ riparum margines, & aquæductuum formas; per quas fluunt, item aquarum castella in quibus stagnant & conservantur, solent incrustrare. Luce clariùs constat, & videmus indies, earumdem aspergines continuis ligna, plantas, stirpium ramos, truncos, ac radices, herbarumq; stramina ac folia sensim corticibus lapideis involvi atque vestiri: quin illas casu formari in coriandri, anisi, feniculi, cinnamomi, amygdalorumque dulciarias quasi condituras, veluti saccaro candidissimo tectas, quibus incautum & avidum gulonem decipere haud difficile est. Nec sanè nobis absurdum videtur, neque etiam ex Vitruvio, Seneca, Dione, Plinio, & aliis, qui de *Vesuvi* & *Puteolanis* miraculis scripserunt, aliud fere colligere est, quam aquas naturam atque contagionem illam accipere ex tenuissimis exustarum glebarum cineribus,

bus, quos ignis velut in atomos partim contrivit, partim in liquores dissolvit, vaporque subterraneorum incendiorum per terrarum ac fontium intervenia permeans egerit. Videmus etenim, densiorem quoque terram ac saxa similibus incendiis exhausta, dissolutaque in grossiorem pulverem, quem *Puteolanum* à loco veteres nuncuparunt, receptis aquis conglutinari, & humore solidescere in saxum; & aquas per ea loca permeantes vicissim tale quid glutini contra contrahere, ut corpori, quod contingunt, cohæresçant, & coëant in petram. Stupenda, me hercle, vitu in *Appennini* speluncis & cavernis occurrunt ejus rei miracula sub *Anienis* alveo veteri in *Æquicoli* ad Vicum *Varium* sive *Varronis*, ut de nomine docti discrepant, in quibus olim stillantes per rupium fissuras ac hiatus aquæ, dum sensim in saxa concrescunt, multi, formes atque sublimes columnas, arborum magnarum ramosos truncos Centaurorum ac Gigantum monstrosa corpora temere cadendo fabricarunt. Ingredere speluncas obscuras, vel potiùs cœcum labyrinthum cum tædis, invenies affatim, quibus indagatorem rerum secretarum animum pascere & satiare poteris. Sed lumen observes oportet diligenter, ne vespertilionum ingruentium crebro volatu suffocetur; quorum aliquot millia in iis antris stabulantur, atque dum lucem diurnam fugiunt, eo se tamquam in tuta castra recipiunt.

Tum colles *Leucogæos*, & in eorum circumquaque radicibus diversas medicatorum fontium ac balneorum scaturigines, vaporaria, cryptasque perlustrans, per veteris coloniæ ruinas late patentes perges *Puteolos*.

PUTEOLI.

FLorente Romano Imperio, fuit ille maritimus tractus *Campaniæ* circum *Cumas*, *Misenum* atque *Puteolos*, propter cœli temperiem situs amœnitatem, aquarum salubrium copiam, agrorumque summam fertili-

fertilitatem nobilissimus : ideoque frequentibus & pæne contiguis Optimatum prædiis. Principumque virorum sumptuosissimis villis ubique locorum exculcus renitebat; nec ulla pars Italiæ provinciarumve Imperii Romani visa fuit accommodatior ad earum spolia dilapidanda, vel ad opes orbis terrarum effundendas, quam ille Campanus ager à *Capua Neapolim* ulteriusque protensus, atque inde per littus usque *Cumas* recurrens; ubi *Liberi Cererisque* certamen esse dicitur; in cujus ora maritima atque insulis vicinis luxus atq; deliciarum illecebræ Sirenum domicilia atque diversoria constituerunt in antiquissimis Poetarum fabulis. Quapropter etiam non inepte veterum Poëtarum quidem non postremi volunt, non *Ogygia* Thebanorum, vel *Lacinii* promontorii, sed in Puteolani littoris insula contigisse, quæ de *Ulysse* & *Calypsone* nympha narratur. Hæc autem dea nomen à cultu & deliciis obtinuit, quam & Homerus *τύμφην ἐυπλοκάμον* appellat, quasi pulchris cincinnis bene comptam. Nil etiam *Puteolano* littore cultius deliciosiusve magis, mari quoque nil hospitalius esse solet, ut ibi *Ulyssem* cum nympha diversarum peregrinationis ac fumi Ithacensis immemorem hæsisse fingant: cujus item apud Dionem Cassium, atque Philostratum Lemnium in Apollonii Vita mentionē factam invenio. Et quamvis in præsentiarum ibidem omnia sint ruinis oppleta, nec non bellorum temporumque injuriis prostrata jaceant, infinita tamen sunt, quæ non perfunctoriam, sed diligentem considerationem flagitant ab iis, qui ex antiquorum artium & historiarum indagatione fructus aliquid consequi volunt. Jam vero *Puteoli* juxta littus ad sinum maris imposita colli civitas est; quæ licet non elegans aut exigua sit, nulla tamen ex parte respondet opulentia vel amplitudine veteri coloniæ; quæ nadmodum ex viis silice stratis, & publicorum ædificiorum fundamentis colligimus. Hujus enim partem jam occupavit haud

exiguam

exiguam mare, magnam terræ motus & bella sepeliere. Antiquissima fuit olim Græcorum colonia, *Tarquinio Superbo* regnante per *Samios* condita in fine Olympiadis LXII. sicut Eusebius in Chronico prodit, & Stephanus Byzantius astipulatur in urbium Onomastico. Cum scilicet Samiorum Resp. tyrannide premeretúr trium fratrum, *Tolycretis*, *Syri*, & *Pantagnosti*; tum & *Pythagoras* Samius fugiens relicta patria manebat apud *Crotoniatas* potentes Italiæ populos, atque princeps novam philosophiam, quam *Italicam* appellarunt, invehens, admodum clarus habebatur: cujus legibus Italiæ Græcorum civitates reformatæ per trecentos ejus discipulos, ut Diogenes Laertius scribit, aristocraticam in rebus publicis administrationem acceptarunt, feliciterque per aliquot sæcula continuarunt. Tum & hanc *Samiorum* coloniam à justitiæ principatu, ac sanctissimo Imperio *Dicæarchiam* nuncupatam volunt: quo nomine Græci Scriptores omnes illam appellarunt, ac sæpius etiam Græcorum exemplo Latini. Strabo *Dicæarchiam* aliquando *Cumanorum* emporium fuisse scribit, appellatamque dein à Romanis *Puteolos*, vel à *puteorum* frequentia, vel ut aliqui volunt, ab aquarum salientium *putore* sulphureo. In potestatem vero Romanorum venisse constat Annibalico bello *Capuæ* obsidione capta gravissimeque multata propter perfidiam & ingratitudinem: cui jus Magistratuum atque libertas omnis adempta est, impositusque quotannis à Populo Romano Præfectus, qui jus diceret, anno Urbis D.XLII. Tum oppida Campaniæ plura, quod *Annibalem* armis defendissent, eamdem fortunæ conditionem subiere, sicut ex Livio manifestum fit. Itaque Sextus Pompejus nominat *Puteolos* inter decem Campaniæ Præfecturas, in qua Præfecti juris dicundi quotannis à Populo Romano creati mittebantur. Lege Acilia deinde post annos XVII. eo colonia deduci civium Romanorum cœpit inter quinque maritimas; quæ Lege eadem tribuni-

tia

tia tum deductæ sunt anno Urbis D. LIX. ut Livius auctor est, *P. Scipione Africano* II. & *Ti. Sempronio* Coss. Vellejus autem Paterculus tribus amplius lustris tardius deductam ex quorumdam opinione tradit, additque non hoc plane tamen liquere. Cetera à Livio nil fere discrepant Puteolana monumenta vetusta, quæ Neapoli quondam exscripsimus in ædibus *Hadriani Guilielmi*, viri non minus humanitate summa præstantis, quam eruditione & antiquæ historiæ studio præclari. Ubi inter alia multa vidimus unam ex marmoreis tabulis, in quibus publicorum operum in eadem colonia faciundorum Lex architectonica secunda legabatur, quæ *Publio Rutilio Rufo. Cn Manlio Maximo* Cossulata fuerat. Urbis anno DC. XLIX sicut Capitolini Fasti demonstrant. Atq; is fuit tū annus deductæ coloniæ Puteolanæ nonagesimus, ut in ipso capite Legis ostendunt hęc verba

AB COLONIA. DEDUCTA. ANNO. XC.
N. FUFIDIO N F. M PULLIO DUO. VIR.
P. RUTILIO. CN. MALLIO. COS
OPERUM LEX. II.

Ex quibus liquide constat, ejus coloniæ deductæ primum annum fuisse *M. Porcio Catone* & *L. Flacco* Coss. Urbis D. LVIII. quam Livius anno sequenti D. LIX. deductam dicit. Augustus denique bellis civilibus victor, cum pace parta *Ianum* clausisset, & veteranis militibus præmia daret, inter duo de triginta colonias, quibus, ut Suetonius ait, Italiam frequentavit, & *Puteolos* coloniam militarem fecit. Id ipsum nobis ex Frontini Fragmento *de coloniis militaribus* manifestum sit; nimirum Puteolos ab Augusto deductam, & *coloniam Augustam* appellatam tunc esse; agrum ejus in jugeribus veteranis & tribunis legionariis assignatum fuisse: iter tamen non latere pedum XXX. populo deberi. Ex prædictis autem liquet ejus coloniæ antiquitas, in eamque sæpius deductos vel adscriptos esse colonos: quapropter jam dudum suspectus mihi fuit Taciti locus

Anna-

Annalium lib. XIV, tamquam truncus & malè multatus per librariorum ignaviam: quem optarem doctus penſitare & excutere diligenter, qui nunc temporis præclaram in illo Auctore reſtituendo illuſtrandoque navant operam. Etenim in actis anni Urbis D.CCC.XII. *Nerone* Aug. IV. & *Coſſo Lentulo* Coſſ legimus hæc Taciti verba: *At in Italia vetus oppidum Puteoli jus coloniæ & cognomentum à Nerone adipiſcuntur.* Et nil addit præterea, quaſi non antea jus habuiſſent, quod tamen ante annos CCXL. Puteolanis fuiſſe docuimus ex Livio. Sed cur non verius per antitheton, una, quæ deeſt, adjecta vocula, ſic legeretur; *At in Italia vetus oppidum Puteoli novum jus coloniæ, & cognomentum à Nerone adipiſcuntur*? Nam cum prius *colonia Auguſta*, tum etiam *Auguſta Neroniana* dici cœpit, ut novum jus ac cognomentum etiam adepta fuerit. Nec explicat Tacitus cauſſam tum deductæ coloniæ, vel quinam eo, vel quale nam jus adepti fuerint; ut plura deeſſe videantur. Etenim at copula diſcretius ſuperiorum dictorum, ac differentias rerum notans, & dein particula *non tamen* in medio ſequentis periodi, truncum eſſe locum oſtendunt; cum intuentibus nebulas offundant, atque ſcrupulos diligenter excutientibus moveant: qui neſcio an auferri rectè poſſint, niſi in hanc fere ſententiam totum illum orationis circuitum ſuppleamus. *At in Italia vetus oppidum Puteoli * novum * jus coloniæ & cognomentum adipiſcuntur * aquè cladem paſſi. Queis irritum Principis beneficium fecere coloni ex diverſis legionibus undecumque coacti. Numero licet frequentes, ni * veterani Tarentum & Antium adſcripti, non tamen infrequentia locorum ſubvenere, dilapſis pluribus in provincias, in quibus ſtipendia expleverant.* Atq; eo modo diſcernetur per & copulam inter Laodiceæ Puteolorumque fortunas, quarũ urbium illa propriis viribus revaluit, hæc vero nec ſuis nec Principis beneficio reſurgere potuit, ſicut nec *Tarentũ*, nec *Antium*. Cujus

jus etiam infelicitatis caussas pulchre Tacitus mox explicat. Sed examinent, inquam, locum docti, asteriscis notent hiatus, donec ex antiquis exemplaribus quid certius constet. Jam vero non diu post Neronem denuo *Puteolos* deductam coloniam Vespasianorum sub Imperio, tumque *Flavium* appellatam fuisse, an inadverti ex antiquis ejus coloniæ monimentis, quas ipse, cum ibi essem, diligenter exscripsi. Nam inter ea nunc reperi quadratum marmor ingens litteris pedalibus insculptum, ac marinis fluctibus diu pulsatum, veluti exesi docent undequaque characteres: in quo pars elogii adhuc extat plusquam tertia in arcu marmoreo quondam inscripti: quem gratitudinis ergo *Colonia Flavia* erexerat *Antonino Pio* Cæsari propter portus structuras, ejus liberalitate restauratas. Fragmentum elogii paulo post adseram.

Puteolos in oppido atque vicinia, quæ visu digna, perlustra: in primis summum Templum *D. Proculo* Martyri nunc sacrum, quod olim *Augusto* Cæsari dedicavit opere Corinthiaco pulcherrimum *Calpurnius* quemadmodum porticus in frontispicio tituli fragmentum testatur his verbis:

L CALPURNIUS. L. F. TEMPLUM.

AUGUSTO CUM ORNAMENTIS. D.D.

Quis autem fuerit hic *Calpurnius* L. F. quæritur inter tot *Calpurnios* illustres sub *Augusto*, qui non infimæ sortis inter primos Templum illi vivo dedicavit. Si conjecturæ locus, nemo meæ vicinior est eorum temporum, quàm *L. Calpurnius L. F. Piso Frugi*, qui post Consulatum & provinciam in Urbis etiam Præfectura successit *T. Statilio Tauro* bis Consuli ac triumphali, & eamdem sub *Augusto Tiberioque* viginti per annos administravit ut auctor est Tacitus Annalium lib. v. qui patrem ejus *Censorium* fuisse testatur. Quare non potuit non pater ejus esse *L. Piso* tantopere *M. Tulli* Oratoris facundia [illegible]issus, quod in ipsius Consulatu pulsus in exilium

lium fuiſſet, qui *Cenſuram* geſſit an. Urbis DCCVIII. bellante cum Pompejanis *Cæſare* Dictatore. Inter ampliſſimos enim honores plurimos gens *Calpurnia* duas tantum Cenſuras habuit, quarum priore *L. Piſo Frugi*, qui Tribunus plebis legem primus *de repetundis* tulit, poſt Conſulatum functus eſt anno Urbis DCXLV. & ante ſecundam jam dictam LVIII. ut præfecti Urbis ille pater eſſe non potuerit. Non tempus edax rerum, non hoſtiles injuriæ tot ſæculorum ſpatio ſoliditatem ejus ædificii convellere potuerunt: nam ex quadratis marmorum trabibus ita compactum eſt, ut uno ex ſaxo videatur, & vix juncturas oſtendat. At terræmotuum impetus crebri nonnihil illud conquaſſerunt, ut tympani dexter deciderit angulus cum tituli parte, & ſciſſuræ quædam videantur. Quare non puduit architectum operi ad unguem facto nomen ſuum adſcribere, qui fuit, *L. Cocceius L. & C. Poſtumi Primæ libertus Auctus*, ut in pariete Templi ſiniſtro legitur his characteribus:

L. COCCEIUS. L.
C. POSTUMI. L.
AUCTUS, ARCHITECT.

Aliæ, quæ plures ibidem Ædes ſacræ fuerunt, vel funditus interiere, vel graviore paſſæ ſunt injuria. Templum *Neptuni* in ea colonia magnificentiſſimum fuiſſe, conſtat ex Cicerone, viſunturque adhuc ejus reliquiæ magnæ ad Ædem *S. Franciſci*, utpote teſtudines, arcus groſſi atque alii muri cum ſtatuarum loculis, ſed omnia nunc columnis marmoreiſque ornamentis ſuis nudata ſunt. Apparent item non procul ab Amphitheatro veſtigia & ruinæ Templi, quod opulentiſſimum exſtruxerat *Antoninus Pius* Auguſtus *Hadriano* patri Imp. mortuo *Baiis* in Ciceroniana villa, velut Spartianus auctor eſt. Ex ejus ruinis ſtatuæ pulcherrimæ plures, columnarum atque marmorum ingentia fragmenta proximis annis extracta ſunt, cum *Nervæ, Trajani*, atque *Hadriani*

ti Imperatorum elogiis: patris videlicet, avi, ac proavi. Quibus in Divorum numerum relatis, ibidem *Antoninus* sacrificia, agones, Flaminum ac sodalium sacerdotia instituerat, unde & *Pii* cognomentum ipsum obtinuisse quidam opinantur, ut ex eodem Spartiano & Julio Capitolino discimus.

TEMPLUM NYMPHARUM IN LITTORE MARIS EXTRA PUTEOLOS.

NYMPHARUM verò Templum fluctus marinos aut terræ motus absorbuisse, verisimile est: quod extra *Puteolos* in littore maris fuisse Domitiano Imp. legimus apud Philostratum Lemnium in Apollonii Tyanei Vita lib. VIII. Ex albo lapide constructum, & vaticiniis olim celebre scribit, in eoq; fontem aquæ perennis fuisse, quę numquam summa crateris labra excedere, nec exhauriendo decrescere visa fuerat. Sed hæc cum infinitis aliis veterum monimentis jam interierunt. Fons tamen aquæ dulcis in mari ipso non procul à continenti apud Viam Campanam exilit adhuc cum impetu vehementi; cujus scatebra in fundo pelagi tranquilli ex areris emicans spectaculo semper est, & ingentem cunctis præbet admirationem An verò ibidem *Nympharum* Templum quoque fuerit, videant antiquitatum studiosi. Nec ideo hęc absona veri conjectura Philostrati verba diligenter excutienti videbitur, referentis Apollonium Tyaneum apparuisse discipulis *Damidi* ac *Demetrio* extra *Puteolos* secus mare in Templo Nympharum de dicti fontis natura disputantibus; ubi *Calypsonis* est insula, & contigisse ferantur quæ de hac & Ulysse narrantur in fabulis. Jam in coloniæ veteris fere medio visitur adhuc Amphitheatrum ex quadrato saxo peramplum & integrum pœnè. Quod quamvis terræ motibus nonnihil deformatum, saxisque multis spoliatum est, atque ejus arena nunc aratro sæpiùs proscindatur:

appa

apparet attamen ejus forma & magnitudo circumquaque protensa circulo oblongiore, quàm Cæsarum temporibus in usu fuit. In cujus enim aræ longitudo est pedes CLXXII. latitudo tantum XCIII quemadmodum *Leander Albertus* eandem dimensus est.

Amphitheatrum antiquissimum esse, colligit *Ferrans Lonfredus* Marchio Trivicinus, & ante libertatem à Cæsaribus oppressam extructum autumat; quandoquidem marmoris inscriptio vetus ibidem reperta est, quæ docet sub quibus Consulibus Puteolanorum impensa publica restauratum hoc opus fuerit. Quam quidem inscriptionem videre mihi, quod doleo, non contigit.

Aquæductuum reliquiæ multæ qui vel montes penetrabant, vel ambiebant circumducti, sparsim ubique locorum apparent. Nec numerari facilè possunt aquarum castella multiformia, partim integra, partim terræ motibus subversa: quorum sunt subterraneæ pleraque, & admodum spatiosa, labyrinthis per angiportus, & ostiola, semitasque flexuosas diversimode fabricatis inextricabilia, sine lumine, funiculo, aut peritissimo duce. Aquarum igitur dulcium copiam abundantem in litore, & illo maritimo tractu cultissimo maximis impensis Romanos olim congessisse cognoscimus: quibus quod natura negavit, labor & industria semper & ubique suppeditarunt. Inscia veteris historiæ plebecula per usus ignorantiam hæc similiaque ædificia hominibus ridiculis insignivit; *piscinas mirabiles*, *Centum cellas*, & *cryptas Draconarias* appellando. Nec minore macularunt ineptia fontium, thermarum, & hypocaustorum nomina: quæ inter *Puteolos*, *Misenum* & *Cumas* varii generis ac medicaminis efficacissimi adversus morbos quoscumque numero ultra quadraginta reperiuntur. Cetèrum nostri nunc non est instituti singulatim hæc omnia persequi, cum Leander Albertus & alii tunc prius adducti, quæ rara & visu

visu digna in iis locis reperiuntur, locupletissime jamdudum explicarint. ad quos avidum hujus cognitionis Lectorem remittere satius videtur.

PORTUS ANTIQUI PUTEOLANI DESCRIPTIO.

DETINENT hic peregrinum spectatorem non immento tanta rerum miracula passim occurrentia: nam exeunti ibi ad litus, apparent à longè tamquam alii in undis tumuli, vel colles aliqui Gigantea *veteris portus* operis pilæ nimirum vastissimæ tredecim, turrium quadratarum instar è mari exurgentes fornicibus densissimis connexæ portis in formam quondam omnes quæ fuerunt. Nunc vero tempestatibus atque vetustate structuræ tam stupendæ solicitas divulsa est, & concamerationes collapsæ multis in locis pilas ab invicem separarunt, ut ab una in aliam non pateat transitus. Universum opus lateritium est, testudinesque ipsas ac fornicatas è lateribus cocti, in quadrum bipedalis latitudinis: citius credere est terræmotuum quam fluctuum vehemente impetus dissolvisse. Latissimi portis formam procurisse constat in mare, & circumflectendo se nonnihil arcus in medium, litus atque *Avernum* respexisse; atque ita defendisse portum adversus tempestates & æstus aperti maris: cujus impetum periculosum spissitudo pilarum facile coercebat. Fornicibus idcirco concavum ac pervium opus antiquitas fecisse videtur, ut fluxu continuo limum exurgerent undæ marinæ; quem rivi & aquæ pluviales è continenti & vicinis collibus defluentes in portum ingerunt: qui a loquin congestus ibidem, norum paucorum intervallo profunditatem illius imperet, nisi per meatus undæ inter pilas ingruentes limum ac terram è solido maris fundo discuterent, & everrerent. Quod sanè vitium in Neapolitano portu, & in multis aliis aggere continuo septis

ptis nunc primum agnoscitur *Molem Puteolanam* à magnitudine vocat Suetonius Tranquillus in Vita Caligulæ, qua per maris Sinum *Baiis* usque per tria millia sexcentos ferè passus pontem temporarium ex navibus ad anchoras collocatis fecisse *Caligulam* scribit aggere terreno superjecto, & in Appiæ Viæ formam directo Ter quem ultro citroque commeavit biduo continenti. Primum in equo phalerato, deinde quadrigario in habitu in curriculo bijugi, comitante Prætorianorum agmine, & sequente in essedis cohorte amicorum. Denique cum multos è littore in pontem evocasset ad se, repente præcipitavit omnes, quosdam gubernacula navium apprehendentes remis contisque detrudi in mare jussit. Hæc ejus monstri ludicra tum ibidem spectacula fuere. Igitur ante *Caligulæ* tempora molem illam stetisse haud dubie colligimus: atque etiam silice stratam, pluteisque marmoreis ab utroque latere septam fuisse putamus. Pilas appellat Seneca in Epistola LXXVIII. *Omnis* inquit, *in pilis Puteolanorum turba consistit, cum Alexandrinarum navium conspicitur adventus.* Itaque Puteolanis, quando ludum erat, moles ista tamquam in hypæthrio perjucundæ deambulationis commoditatem præbebat. In cujus Ingressu stetisse diximus sublimem arcum marmoreum *Antonino Pio* Aug. quondam à *Puteolanis* erectum gratitudinis ergo, quod ad molem portus restaurandam liberaliter Reip. subvenisset, quemadmodum ex elogii fragmento nobis liquet, cujus ante mentionem fecimus, quodque hic studiosorum in gratiam adjicere libet:

ÆSARI. DIVI.
IICI. NEPOTI. DIVI.
ONINO AUG. PIO.
OLONIA. FLAVIA
UPER CETERA BEN
US. PILARUM. VIGIV.
QUO. ET. MUNITION

Et

Et quamvis hæ paucæ characterum ejus reliquiæ, marinarumque aquarum attritu non parum deformatæ ſint; attamen ex arcu tali ibidem decidiſſe, qualem in Anconitano portu *Trajanus* Auguſt. habet, ipſius elogii forma demonſtrat: cujus argumentum ac ſententiam ex paucis iſtis characteribus non ſolùm divinare; verumetiam ex ipſo linearum ductu atque ordine qualitercumque ſupplere nos poſſe videmur in hunc fere modum:

Imp. CÆSARI. DIVI. *Hadriani, filio, divi Trajani.*
Parthici. NEPOTI. DIVI. *Nervæ pron. T. Ael. Hadriano.*
Antonino. AUG. PIO. *Pont. max. trib. pot.* *, *coſſ.* *. *pp.* COLONIA. FLAVIA. *Aug. Putelanorum.*
Quod ſuper. CETERA. BENE*ficia ad, hujus, etiam. tutelam.*
Portus. P. LARUM. VIGinti. *molem. cum, ſumptu. fornicum.*
Reliquo. ET. MUNITION. *ex. ærario. ſuo. largitus, ſit.*

Adſtipulatur huic elogio non parum Julius Capitolinus, ſcribens in *Antonini Pii* Vita, ipſum multas civitates adjuviſſe pecunia, ut opera publica vel nova facerent, vel vetera reſtituerent.

MISENI PROMONTORIUM.

CUM emporii atque navalium antiqua & vaſta fundamenta perluſtraveris, à portu atque pilis navigio recta trajicias ad *Miſeni* promontorium, Virgiliano carmine celebriumque Auctorum ſcriptis famoſum & immortale. Mons ille procurrens in mare ſicut olim, ita nunc etiam cryptis atque cavernis multis pervius atque concavus eſt, ut admodum oppoſite Poëta ingenioſus ac locorum illorum gnarus *Aërium* prius appellatum fuiſſe canat, quaſi pro-

propter meatus & concavitates ventosum. Insuper sub eodem mortuo vel immolato ad *Avernum*, ut Servius tradit, Miseno tubicini remigiq; suo sepulchrum *Æneam* posuisse: qui inquit Æneidos lib. VI.

Imponit suaque arma viro, remumque tubamque
Monte sub Aërio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur æternumque tenet per sæcula nomen.

Insinuans & designans per *remum* ac *tubam*, montem illum celebrem perpetuo futurum propter classem atque bellicarum navium stationem, quàm ibi juxta Misenum *Augustus* ad tutelam maris Inferi mediterranei tunc collocaverat primum. Accommodavit stationem illam *M. Agrippa*, sicut à Dione memoratur, bello Siculo contra *Sex. Pompejum* Præfectus classis sub *Augusto* factus, atque in eo Sinu maris posuit, qui inter *Misenum* & *Cumas* collibus cinctus instar lunæ corniculatæ incurvus & inflexus etatilè comimirum capacissimo, vel maximè classi opportuno propter vicinos maris sinus triplices ab altero Miseni latere inter *Baias* atque *Puteolos* ingruentes: *Bajanum* videlicet. *Lucrinum* & *Avernum* lacus: quædam *maris otia* pulchrè nuncupatos à L. Floro. Quorum *Avernus* ab intimo stationis sinu (quam *Mare mortuum* nunc appellant, quod ejus faucibus oppleris arena, stagnum vel palus videatur) vix mille passuum spatio distat. Itaque classiariorum militum hibernis ora circumvicina, atq; etiam *Misenus* mox adaptari cœpit. Excisus *Averni* saltus propter silvarum densitatem aëris salubritati adversus, sicut Strabo & Commentator Virgilii Servius tradunt. Perfossi montes, atque duræ cautes, quo viæ paterent planæ per compendia ad *Bajani Lucrini*que littora. Atque ne deesset unquam aquarum dulcium copia, maximis sumptibus laboribusque fluminum ac fontium procul adducuntur rivi; ædificantur cisternæ & aquarum castella spatiosa & multiformia pro locorum opportunitate, vel in plano, vel subterranea, atque

etiam in excisis montium penetralibus, uti per æstivos calores frigida semper esset præsto. Hinc est quod videmus magna ex parte *Miseni* montis exhausta viscera, immo totum fere concavum & cacumine pensile in esse. In quo nunc etiam apparent lavationum solia, balnea, lacus, & ad cœnas faciundas triclinia: nam cryptis, viis ædificiisque fornicatis intus plenus est; quæ crebris hinc inde columnis incumbunt, partim lateritiis, partim ex ipso montis saxo cæsis. Atqui inter ea quidem ædificia inprimis est spectabile castellum illud aquarum ampli limum, quod *Traconariam cryptam* appellant vulgo, à fistulis sive meatibus, ut ajunt, per quos in illud aquæ pluviæ ex promontorio diffluebant. Ejus, me hercle, capacitas est immensa, quæ multis doliorum millibus impleri nequiret: nam in altum exurgit ultra pedes xxv. Longitudo latitudoque non satis comperta est, quia collapsæ testudines quædam loca ruinis oppleverunt. Intus autem omnia tectorio denso tunicata sunt, quemadmodum castella ejus generis munire contra fissuras consuevit antiquitas. Medium ejus spatium patet inter duos parietes in longum pedes cc. in latum pedes octodecim. In utroque latere medii transitus per portas quatuor intratur in cellas amplas quaternas, quarum testudines decussatim fornicibus junctæ parietibus intermediis impositæ sunt. Sunt non minoris amplitudinis & alia in vicino castella, structuræ tamen artificio & mole differenti. *Centum camerellas*, quod vulgo nunc appellant à cellarum in quibus aqua conservabatur multitudine, inter ejus generis opera non minus est admirabile tam magnitudine quam architectura: cujus interiores parietes decussatim inter se commissi totam sustinent testudinem & quadratas efformant ubique cellas, ostiolis angustis à quovis latere pervias ad invicem: ut penetrare in singulas servi publici possent, cum aquis exhaustis castella purgari debebant. Ter con-

came-

camerationum teſtudines ſpiracula & foramina ſunt, per quę tamquam è puteis aquæ in uſum quemlibet hauriri poterant. In *Piſcinam* quoque *mirabilem*, ut noto nunc nomine nuncupem celebre caſtellum illud, ibis, quod integrum pæne totum adhuc conſpicitur in clivo *Miſeni* promontorii, claſſis portum, ac *Cumas* verſus. Spatio patet illud ædificium, ut Leander Albertus adfirmat, inter quatuor extremos parietes in longum pedes D. in latum pedes CCXX. cujus ſuprema concameratio modicum à parietibus ſubvexa pilis XLVIII. quadratis innititur, pedes ternos ab unoquoq; latere craſſis: quæ quatuor ordinibus numero duodenario partitæ, ſymmetriam quintuplicis porticus elegantem per caſtelli longitudinem efficiunt. Totum opus eſt lateritium, ſummæ ſoliditatis propter murorum craſſitudinem magnam: cujus interiores parietes atque pilæ diligenti tectorio contra percolationes aquarum veſtiti ſunt. Atque in teſtudine ſunt item foramina multis in locis, per quæ olim aqua hauriri ſolebat. Et ex alto patebat ingreſſus utrimque, tam à fronte quam à tergo per ſcalas lapideas graduum XL. quorum alter jam obſtructus eſt. Pavimentum à lateribus altius eſt ad mediam porticum uſque, per cujus intercolumnia gradibus quinque deſcenditur utrimque in aliud inferius mediæ porticus, in cujus fine gradibus rurſum aliquot deſcenditur in humilius aliud quoddam ſolum juxta ſcalas & ingreſſum obſtructum, in quod olim aquarum ſordes confluxiſſe videntur, quæ per ſcalas exhauſtis aquis denique per caſtellarios ſervos exportabantur. Pavimentum autem omne ex opere lignino denſo diligentiſſime conſtipatum atque complanatum eſt, ut nunc etiam temporis aquas facilè contineant pluviis infuſas, & in infimo dicto loco reſtagnantes. Tantæ molis fabricam quis primus ædificaverit, conjecturæ ſunt variæ. Plures arbitrantur *L. Licinium Lucullum* auctorem eſſe, propter vicinas villę Lucullianæ ruina.

quam ipsum magnificentissimarum in *Baiano* ad *Misenum* promontorium habuisse, constat ex Plutarcho & Marco Varrone *de re rustica* : quibus adstipulantur etiam Suetonius & Cornelius Tacitus, cum scribunt in eadem villa decessisse *Tiberium* Imp. quando tempestatibus impeditus non poterat æger inde traijcere in insulam *Caprearum*. Sunt qui *Neronis* opus illud autumant esse, atque inde piscinam quoque nunc appellari, eo quod apud Suetonium in ejus Vita legatur, *Neronem* inchoasse piscinam à *Miseno* ad *Avernum* contectam, porticibusque concluſam, quo quid quid totis *Baijs* calidarum aquarum esset; committeretur. Ceterum hæc quidem conjectura non mihi, non aliis qui loca illa diligentius perscrutati sunt, & veterum similium structurarum rationes non ignorant, satis probatur; quibus nil aliud umquam quam aquarum castellum fuisse videtur. Et quia hæc tantæ magnitudinis atq; capacitatis vasa vel castella, quæ tria jam descripsimus, tam sibi propinqua, portuique vetusto, marive mortuo vicina reperiuntur; non absurde quis opinari posset, ad usum classis atque classiariorum militum, quorum ibi hiberna stationesque perpetuæ fuerunt, *Augustum*, successoresque Principes ea condidisse. Castrorum enim in iis locis magna sunt vestigia, classiariorumque militum epitaphia è sepulchris vicinis extracta me quondam vidisse & exscripsisse memini, in quibus etiam erant expressa Prætorarum navium nomina, veluti *Fides*, *Isis*, *Gallus*, in quarum classe singuli militaverant. Breviora ex his quædam studiosorum antiquitatis in gratiam adscribere non pigebit:

D. M.
TI. PETRONI, CELERIS
NAT. ALEX EX. III. ISIDE. VIX
ANN. XL. MIL. ANN. XVII. TITI.
US, AQUILINUS. EPIDIUS. PANSA III ISID.
H. B. M. FECERUNT.

D. M.

D. M.
C SENIO. SEVERO
MANII LARIO. EX. III. FIDE
NATIONE BESSUS
VIXIT. ANNOS. XXXXVI.
MILITAVIT. ANNOS. XXVI.
ÆMILIUS DOLENS. ERES.
B M. FECIT.

D. M.
C. JULIO QUARTO
VET EX. JR. N GALIO
M. CECILIUS. FELIX. S
INONIA, HERACLIA
S E T S

Habebant etiam ibi continuè manentem classis Præfectum, ut erat *Anicetus* libertus, *Neronis* ante pædagogus qui fuerat, cujus ministerio & technis ille Princeps ibidem apud *Baulos* matrem *Agrippinam* occidit. Ut item huic dissimilis *C. Plinius* naturalis Historiæ scriptor sub *T. Vespasiano*, qui Miseni, erat, classemque imperio præsens regebat, quando *Vesuvius* ardebat cum terræ motu, atque ipse cum quadriremibus tam ad succurrendum oppressis, quam ad explorandos ejus ignes propius accedens, ejus cineribus atque vapore suffocabatur, quemadmodum nos ante diximus, & Plinii ex sorore nepos *C. Cecilius*, qui tum cum avunculo *Miseni* erat, ad Tacitum historicum scribit latius. Non equidem refragor, quin & *Lucullianæ*, villarumque plurium quæ in ille tractu pulcherrimo stabant circumquaq; frequentissimę, usui deliciisq; dulces aquæ adductæ conservatæque fuerint. Negari etenim hoc non potest, cum iter ædificiorum veteres reliquias tot ubique locorũ reperiantur tubi, formæ, canales, & aquarum castella. Horrent profecto nunc ruinis pagorum atq; villarum littora, & orę maritimæ totius Campaniæ; sed omnis maximè plaga inter *Formias* atq; *Surrentum*, quæ florente Imperio Romano unius conti-

nuæ quasi speciem urbis à longè navigio appellentibus sereno cœlo repræsentabat ædificiorum omnis generis maximo splendore maximaque frequentia. Sed quis ea nunc distinguet, aut in tabulas referet? Alterius opus commentarii hoc esset, atque justi voluminis.

Capug.

Hic olim magna ædificiorum lauritia: totus enim sinus ille inter hoc *Misenum* promontorium, & illud *Capitis Minervæ* è regione *Capreæ* dicebatur *Sinus crateris*, cum crateris figura extaret, & ora maritima protendebatur passum LIV. millibus. Ibi olim ædificia, urbes, vicos, villas, balnea, theatra, moles, & alia id genus magnifica & splendida à *Bajis* usq; ad *Herculanum* & *Vulturnum* tanta frequentia è mari prospiciebantur, ut non multorum & disjunctorum locorum, sed unius amplissimæ & elegantissimæ urbis instar essent: cui spectaculo nusquam aliud par. Nostro hoc ævo diruta & prostrata omnia, præter *Neapolim* Regni caput, & Proregis, magnorumque Principum sedem jucundissimam.

VILLÆ ROMANORUM.

VILLAS tantùm nobiliores percurrere, non incongruum erit studiosorum in gratiam. *L. Luculli* illa celebris hiberni in continente ad *Miseni* promontorium tegebat collis alti verticem cum clivis vicinis inter classis portũ, & *Baianum* sinum: ubi *C. Marii* à *L. Sulla* proscripti villam à *Cornelia* prius comparaverat eamdemque Prætoriis, hortis, atque piscinis sumptuosissimis ampliarat. Hortorum spatia discerminatur adhuc *Cumas* versus, non procul à *Centumcellis*: & piscinarum grandia vestigia in *Bajano* littore cum cryptis & stagnis in montem excisis, quæ piscibus æstate contra solis ardores erant manufacta refugia. Quemadmodum M. Varro *de re rustica* luculenter meminit scribens, *L. Lucullum* potestatem architectis suis fecisse dilapidandi pecuni-

pecuniam quantamcumque ad facienda piscibus æstiva contra calores sub montibus stabula: atque opere hoc absoluto dicere solitum, se non amplius invidere *Neptuno* bonitatem piscium; adeò non uno loco Prætoria & piscinas suas habuisse videtur. Et apud eumdem *Q. Hortensius* Orator redarguit *M. Lucullum*, quod non eamdem, *Lucii* fratris sui exemplo, piscibus commoditatem æstivandi extra solem in frigore fecisset in suis vivariis, *M. Luculli* villam autumant fuisse ad radicem *Miseni* in littore versus *Prochyten*, ubi & sub undis visuntur piscinarum ruinæ.

Q. Hortensii Oratoris autem villa in sinu *Bajano* juxta *Baulos* fuit, cujus ruinæ partim in undis marinis, partim in littore visuntur. Ipsum ibidem habuisse magnificentissimas piscinas constat, cum stagnis item sub monte tectis: vir etenim erat in similes luxus ultra modum propensus, quem sæpius M. *Cicero* caussam ob eandem salsè suggillat, ipsum *Tritonem* appellans & *piscinarium beatum*, quod ejus pisces cicures ad manum vocari venirent, & quod murenæ mortem flere posset, quodque petenti amico duos è vivariis mullos, duos se lubentius lecticæ suæ mulos daturum dixerit. Villam hanc Hortensianam possedisse posteà *Claudii* Imp. matrem *Antoniam*, *Neronis Drusi*, & in iisdem piscinis amatæ sibi murenæ inaures addidisse, Plinius scribit: ejusque propter famam nonnullos videre *Baulos* concupivisse. An in eadem deinde villa *Neronis* Cæsaris mater *Agrippina* filii jussu trucidata fuerit, dubito: certe si non in eadem, haud dubiè proxima fuit illa Agrippinæ, quantum ex Cornelio Tacito colligi potest, qui Annalium XIV. scribit *Neroneam Bajis* existentem matri adventanti *Antio* per mare obvium exiisse in littora, manu & complexu excepisse, & duxisse *Baulos*. *Id*, inquit, *villæ nomen est, quæ promontorium Misenum inter & Bajanum lacum flexo mari alluitur*. Ad *Baulos* igitur & ad *Lucrini* fauces fuisse

istam, sortitamque nomen à vetusto loci nomine, Tacitus ostendit. Fabulantur autem *Herculem*, cum *Geryonis* per Italiam boves ageret, eo loci stabulasse, nec non aggerem inter *Lucrinum* lacum mari que fretum fecisse boum traducendorum gratia, sicut Strabo tradit. Hinc prius *Baulia* locum dictum Servius Virgilii Commentator ait, posteros corrupisse vocem, & *Baulos* brevitatis causa dixisse. Cum igitur ad Miseni radices inter *Lucrinum* & *Bajanum* sinum fuerint *Rauli* Neronem *natatoriam* piscinam suam inde per *Lucrini* margines ad *Avernum* duxisse verisimilius videtur. Hoc enim ex Suetonio fere colligere possumus, cujus paulo ante locum adduximus.

Habuit & in vicina villam cum piscinis *Domitia*, *Neronis* amita, in *Bajano* sinu, cujus *Agrippina* meminit obiter apud Tacitum lib. XIII. dicens: *Domitiam Baiarum suarum piscinas exoluisse, cum ipsa Neronis adoptionem, & cetera adipiscendo Imperio præpararet.* Nec præteriit Dio Cassius, scribens *Neronem* amitæ *Domitiæ* veneno sublatæ bona possessionesq; quæ *Baiis* & ad mare Ravennas habebat, invasisse. Ceterum erga matrem atque suos magis pius *Alexander Severus* Imp. fuit. Nam ut apud Ælium Lampridium legimus, præter ea quæ Romæ in honorem matris *Juliæ Mammeæ* vocavit exstruxit Sic & alia ibidem opera magnifica in honorem affinium suorum & stagna stupenda, admisso mari fecit. Ut opinatur *Ferrans Lofredus*, Marchio Trevicinus, juxta *Bajas* illud *Mammeæ* Palatium fuit Atque ibidem sub monte apud sudatorium, & calidos fontes villa *C. Pisonis* ad quam Nero Imp. eius amœnitate captus crebro ventitabat, balneaque & epulas inibat, o nisis excubiis, & fortunæ suæ mole, quemadmodum ait Tacitus Annalium XV. In eadem autumant, & haud vero dissimile est, ipsum epulis in multam noctem protractis illusisse matri *Agrippinæ* invitatæ ad *Quinquatrium* solemnia, cum inde navigio repetentem

tentem nocte *Baulos* villam ſuam, naufragio per inſidias præparato perdere vellet, ſicut Suetonius & Tacitus pulchre deſcribunt. Jam vero primos etiam illos Principes, ad quos fortuna Populi Romani publicas opes tranſtulit, *C. Marium*, *Cæſarem*, atque *Pompejum Magnum* Annejus Seneca, docet Epiſtola LII. ad *Lucilium* villas ſuas in regione *Bajana* ſummis montium jugis impoſuiſſe, potiuſque caſtra eas fuiſſe, quam villas. *Videtur enim*, inquit, *hoc magis militare ex edito ſpeculari longè lateque ſubjecta.*

C. MARII VILLA

QUÆ POSTEA LUCULLI.

DE *Marii villa* ſuffragatur idem fere Plinius libro XVIII. cap. VI. *Voluit*, inquit, *in Miſenenſi villam C. Marius ſepties Conſul, ſed peritia caſtrametandi, ſic ut comparatos ei ceteros etiam Sulla Felix cæcos fuiſſe dicere.* Hanc à *Lucullo* poſſeſſam & ampliatam fuiſſe diximus, & *Miſeno* proximam, qua claſſis portum ſpectat.

C. Cæſaris autem Dictatoris *villa* ſupra *Baias* in monte fuit, quod ex Taciti verbis colligimus, qui XIV. Annalium ſcribit *Agrippinam* occiſo *Nerone* tandem domeſticorum cura levem accepiſſe tumulum, viam Miſeni propter, & villam Cæſaris Dictatoris quæ ſubjectos ſinus editiſſima proſpectabat. Et viſuntur adhuc ejus inſignia fundamenta ſupra Templum *Veneris*, cujus ruinæ ſuum vetus nomen adhuc retinent.

Magni Pompeji villam locant in monte tertio inter *Avernum* & vicinum ſudatorium *Triuſinum*, ajuntque reſtare cognominis veſtigia in loco, & repertam ibidem olim eſſe *Pompej. Magni* ſtatuam.

M. CICERONIS ACADEMIA VILLA.

AT *M. Ciceronis* ubi fuerit *villa* scriptis ejus immortalis, quam velut Musarum suarum sedem sæpius laudat, nobis veluti digito demonstrat Plinius libro XXXI. cap II. occurrisse videlicet illam ab *Averno* lacu *Puteolos* tendentibus littori impositam, celebratamque porticu & nemore: cujus ob causam Athenarum ab exemplo vocaverat *Academiam*: ibidem compositis ejusdē nominis voluminibus hanc illustrans. Excitarat in illa sibi monumentum quoque, tamquam in toto terrarum orbe non hoc fecisset. Admodum sibi in deliciis locum illum fuisse, ad Atticum suum scribens frequenter indicat. Nam singulis fere epistolis libri primi commendat eidem, qui tum Athenis & in Græcia versabatur, villarum luxum ornamenta, atque inprimis *Academiæ* quam in *Cumano* tum excolebat & instruebat cum gymnasio, nemore, xysto, porticu atque bibliotheca. Nec defuit *Atticus*, ipsi naves plenas omnium elegantiarum mittens, utpote signa, statuas, ac hermas omnis generis, quæ tam huic quam *Tusculanæ* videbantur convenire: in quibus villis cum suo *Tullio* versabatur *Atticus* sæpissime familiariter atque fraterne manebat. Probat itaque in dictis epistolis *Tironis* sui curam diligentem Tullius, laudatque missa signa *Megarica*, & *Hermas*: inprimisque *Hermeraclam*, atque *Pentelicanos Hermas* ex Attico marmore cum capitibus æneis Item *Hermathenam*, ornamentum, inquit, Academiæ proprium meæ: quod & *Hermes* commune omnium villarum, & *Minerva* singulare ejus esset gymnasii sui. Hæc in dictis ad Atticum epistolis explicatius invenies Lector. Cùm vero in hac villa lacesseret litterarium otium ab Urbe, Republica seditionibus perturbata, fedens Cicero; maximi civitatis Principes ad ipsum excurrere, visitandi ejus ato; consultandi causa sæpius solent. Fuit ibi C Cæsar ipse jam victor belli civilis; fuit *C. Ca-*

sius

vius successor ejus, qui postea Augustus prius quam invaderet Imperium: fuerunt alii plures qui tum temporis erant præcipui in Rep. quemadmodum ex illius epistolis colligimus. Post ejus vero proscriptionem atque cædem possedit villam *C. Antistius Vetus*, qui legatus *Cæsaris* partes ejus bello civili secutus fuerat. Tum in prima villæ parte non diu post *Ciceronis* obitum, ut Plinius loco supra citato testatur, eruperunt calidi fontes oculis ac visui perquam salubres, quos *Tullius Laurea* Ciceronis libertus, à Thœbi corona Poëtica cognomen habens, insigni celebravit epigrammate, quod dignum Plinius judicavit, de aquarum miraculis scribens, ut Operi suo inserer. Cecinit etenim Poë a perappositè, villam ipsam fontes istos honori Ciceronis sui dedisse, nimirum

Ut quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

Cum non alia reperiantur inter *Avernum* ac *Puteolos* circum littus ædificia antiqua, quam in loco, qui nunc *Stadium* appellatur, Ciceronianæ à porticus forsan longitudine, cujus ruinæ visuntur, ac demetiri adhuc possent; doctis verisimile videtur, eo loci sitam fuisse *Ciceronis villam*. Nam atrii juxta, nec non habitationum ruinæ atque fundamenta discernuntur adhuc. Verùm hæc nunc procul satis à littore dissita sunt, quod non mirum; nam recessit inde mare terræ motibus libinde, ac temporum intervallo mutans lectum suum; atque multis indiciis palam est, eo quondam pervenisse. Itaque tum quidem fossa vel euripo tam contigua marinis undis fuit villa uti *Tullius* è cœnaculo suo mullos pascere pisces & hamo capere posset. In eadem villa *Hadrianum* Imp. apud *Baias* monumentum sepulchro temporario condidit *Antonius Pius* successor, Spartianus auctor est: ex quo colligere est, tum quoque *Ciceronis villam* appellatam fuisse. Fontium aquæ calidæ, quas *Plinius Ciceronis* vocat, in vicino pra-

to viſuntur in cryptâ ſubterranea ad rupis radicem, quæ mirificæ ſunt naturæ & virtutis. Nam interdiu fons ſemel, ſic item noctu cum Lunæ exortu occaſuque, non ſecus ac maris fluxus atque refluxus, calidam ac fumantem aquam in balnei lacum immittit: qui cum repletus exundat, pars aquæ rivulo quodam defluit in mare, pars ad fontem ſuum revertitur. Vocat vulgus *Ciceronem balneum*, Medici vero *Prætenſe* vel *Tritulinum*, à loco; quod prædicant rheumata capitis, atque oculorum vitia detergere, corpus ab humoribus pigris expurgare, & podagram ſanare, pituitam ac hydropiſin educere, miſculos ac nervos emollire. Sed hæc de *Ciceronis* illa celebri villa ſatis: nam quæ ſupra cryptam in eadem rupe, & circum *Averſum* in eadem regione ſunt balnea & hypocauſta varii generis atque multiplicis virtutis, à *Leandro* & aliis abunde deſcribuntur.

A Ciceronis hoc *Cumano* prædio vel *Academia* non adeo procul diſſitam fuiſſe Romanorum doctiſſimi *M. Terentii Varronis* villam, ex Academicarum quæſtionum exordio colligimus: ſed locus ubi fuerit, ignoratur.

Serviliæ Vaciæ villam Seneca ad Lucilium Epiſtola LVI oſtendit fuiſſe ad littus inter *Cumas* & *Avernum* lacum: cujus magnificentiam antiquæ nunc etiam indicant ruinæ: *Speluncâ habebat laxo aſtrio magni operis*, inquit, *duas, quarum altera ſalem numquam recipiebat, altera toto die in occidentem uſque tenebat. Rivus piſcibus alendis ſufficiens euripi in modum prata dividebat, partim in mare, partim in Acheruſium lacum defluens.* In hac villa *Servilius* ille Prætorius ac dives, *Romam fugiens conſenuit, captans otium atque receſſum: & ob hoc unum felix habebatur, quo tempore Tiberii Cæſaris crudelitate plures adfligerentur in Urbe Proceres: tum etenim exclamabant homines*: O VACIA, SOLUS SCIS VIVERE: *eo quod in villâ ſuâ latitans, ſe de periculo*

riculo ſubducerer. Sed hactenus de *Bajani* veterum Principum villis celebribus. Cæterum thermas, ſudatoria, hypocauſta, calidorumque fontium miracula ab aliis abunde deſcripta prætereo : nimis enim longum eſſet, omnia hic percurrere ; immo deſcribere exactius quid ubique fuerit, nunc quidem impoſſibile eſt : nam majorum barbaries, bellicæ frequentes clades, atque terræmotuum impetus crebritoram illam politiſſimam regionis faciem mutarunt in ruinas deformes, quæ vix diſcerni nunc poſſunt.

BAJÆ VETERES.

BAJARUM antiquiſſimarum pulcherrima fundamenta cum plateis ſilicatis nunc demerſa pelago viſuntur in undis Oppidi vix ullæ in continenti reliquiæ, balneorum atque thermarum cavernæ, & ædificia, vetuſta admirandi operis extant circumquaque in vicinis montium clivis & radicibus. Interim multæ ſtructuræ in cineribus incendiorum ſepultæ jacent, multæ vaſtis terræmotuum voraginibus abſorptæ ſunt. *Portus Bajani* veteres pilas ex cocto latere maximas, Puteolanæ molis inſtar ſumptibus immenſis factas, inter fluctus ſcopulorum extantes forma videmus: ſicut & clauſtrorum moles ac fundamenta, quæ quondam piſcoſos *Lucrinum Avernumque* lacus adverſus aperti maris tempeſtates muniebant. Ab *Hercule* primum aggerem jactum ferunt longitudine ſtadiorum octo, latitudine qua duo vehicula commeare poterant, ut Strabo teſtatur; cum, ut divi. *Geryonis* boves traducere vellet. Grata poſteritas illum ad *Baulos* propterea Templo rotundo coluit, cujus adhuc oſtenduntur reliquiæ. Portum vero *Bajanum* atque *Lucrinum Avernique* lacuum clauſtra tempeſtatibus diſſoluta reſtauraſſe *C. Julium Cæſarem* colligimus ex Maronis Georgicis & ejus Commentatore Servio; quibus ſuffragari & Sue-

Suetonius videtur, scribens, *portum Julium apud Bajas Augustum perfecisse, cum immisso in Lucrinum & Avernum lacum mari, stationem classi pararet.* Sed quo, inquies, in Magistratu hæc *Julius Cæsar Lucrino & Averno* claustra posuit? Atqui in primo, ni fallor, Consulatu, cum Optimatum consensu futuris *Cæsari* & *Bibulo* Consulibus provinciæ minimi negotii, id est, silvæ callesque decernerentur à Senatu, ut idem Suetonius in Vita *Julii* tradit: à Senatu namque publicanis orantibus ne ibidem vectigalia deteriora fierent, eò *Cæsarem* missum fuisse uti provideret, *Servius Virgilii* Commentator indicat, & proinde opus id *Julium* appellatum esse, exponens Maronis hos versus in Georgicorum lib. II.

An memorem portus, Lucrinoque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus æquor,
Julia quà ponto longè sonat unda refuso,
Tyrrhenusque fretu immittitur æstus Avernis?

Jam vero *Lucrini* & *Averni* spatia magna mons novus occupat, ex imis terrarum penetralibus excitus anno salutis nostra D XXXVIII. in fine mensis Septembris, cum fere biennio totus ille regionis tractus crebris terræ motibus fuisset concussus. Tum autem III. Kal Octobris una nocte inter *Gauri* radices & mare juxta dictos lacus mons ille semet erexit in altitudinem mille amplius passuum, & maris fluctus cum littore toto per passus ferè CC. submovit, *Tripergulanum* vicem peramplum celeberrimis balneis penitus absorbuit, & lacus duos *Lucrinum Avernum*que vicinos magna ex parte saxis, cineribus & terra complevit. Quaterna passuum millia nunc radicum suarum ambitu complectitur. Quantum igitur veterum monumentorum sub se sepelierit, haud facilè dixeris. Crater in ejus cacumine circularis per quem flammas eructavit, latè per diametrum patet passibus circiter quinquaginta, clivosque descendens in arctum, adhuc temporis fundo fumantes atque calidas aquas continere dicitur.

LA-

LACUS AVERNUS.

MONSTRATUR & *lacus Avernus*, Homeri, Maronis, aliorumque celebrium Poëtarum carminibus illustris, & à Strabone plurimisque diligenter descriptus propter *Saturnia* veterum somnia atque superstitiones, quibus persuasum fuit quod illic

Nocte, atque dies patet atri janua Ditis.

Accessum videlicet ad inferos ibidem fuisse, evocati manes humana cæde dirisque sacrificiis solere, nec non antiquissimos accolas *Cymerios* Sacerdotes oracula petentes advenas inde per specus subterraneos ad Plutonem duxisse, vulgoque nunc etiam persuasum est, per vicini montis viscera, quem idcirco *Sibyllæ* vocant, aditum patere ad *Cumanæ Sibyllæ* penetralia subterranea, in quibus operatam Sacris, oraculaque dedisse ferunt, quæ *Leander Albertus* in *Italia* sua non minus diligenter quam eleganter descripsit. Hæret adhuc opinio nunc temporis apud Campanos atque vulgus imperitum, ab averno vel inferis istac CHRISTVM Servatorem nostrum, morte per mortem domita, retulisse spolia opima; sanctorumque Patrum, animas ex infernis extractas per montem *Averno* & novo monti vicinum traduxisse, qui propterea *Christi Mons* nunc etiam appellatur. Suffragantur huic opinioni veteres item Poëtæ quidam, de balneis Puteolanis scribentes, ut Alcadinus:

Est locus, effare, it quo portas Christus averni,
Et sanctos traxit, lucidus inde Patres.

Item Eustatius quidam:

Est locus australis, quo portam Christus averni
Fregit, & eduxit mortuus inde suos.

Quinetiam creditum fuit, ob propinquas circumquaque ferventium aquarum scaturigines, lacum istum ex aquis Stygiis, vel infernis Acheronis fluvii venis ortum habere suum, ideoque vocari quoque paludem *Acherusiam*. Nec ab eadem opinione Ma-

ro Poëta discrepare videtur, canens:

---- Quando hic inferni janua Regis
Dicitur & tenebrosa patens Acheronte refuso,

Sed hanc auxere vanam credulitatem tam locorum condito, quam naturæ tara miracula vulgo stupenda; quod abruptis ferè montibus cinctus in profunda valle lacus olim silvarum densitate tenebrosus, horridus & incultus accessum vix admitteret, ventilque difficulter pervius tetros ab imo sulphureoique exhalaret odores, quibus supra volantes aves enecabantur. Hinc etenim Latinis *Avernus*, Græcis ἄορνος, quasi *sine avibus* lacus semper nuncupatus fuit. Et profanorum quoque memoria ex imo telluris pestilentes in lacum prorupisse venas è subterraneis vicinis incendiis, testatur & *Ioannes Locanus* in libello *de lacubus*, scribens se vidisse *Roberti* Regis temporibus ejectam ex *Averno lacu* in littora magnam piscium mortuorum vim, quos scaturigo recentis alicujus noxiæ venę sulphureæ in lacum immissæ vi sua repente necasset, quemadmodum ex ratio piscium colore, nec non gravissimo odore sulphureo, vix accessum hominum admittente, colligi tum facile poterat. Demonstrabimus quidem ex Livio in *Magistratuum Annalibus* nostris, belli Samnitici tempore Romanis in Campaniam irruentibus hostiũ legiones integras aliquando saltus in istos tamquam in tutissima castra se recepisse. Ex quo colligere est, montes illos circum *Avernum* & *Lucrinum* tum temporis desertos & incultos jacuisse. Strabo tamen testatur, suo tempore culta diligenti peramœnos fuisse, cum jam *Augustus* aëris salubritati consulens, silvas lacum obsidentes excindere jussisset, veluti nos ante diximus ex Donis historia, & *Servio* Virgilii Commentatore. Avium igitur animalumque omnium accessum postea non reppulit *Avernus*, nomini suo non respondens amplius, uti nec etiam hoc tempore: quin aves aquaticæ frequentes in ejus undis natantes haud raro viluntur.

CU-

CUMÆ.

AB *Averno* lacu descendentibus occurrunt in eadem via *Cumarum* ruinæ ingentes, urbis nunc penitus desertæ, cujus visuntur adhuc Templorum, turrium, aquæ ductuum, atque operum amplissimorum magnæ moles, sed ruinis horridæ atque indiscretæ. Nec non alto montis vertice Templi item *Apollinis* longe conspicui celeberrimique sunt vestigia, cujus Virgilius, & ejus Commentator *Servius* Grammaticus meminere. *Arcum Felicem* nunc vulgo vocant altitudinis stupendæ fornices è cocto latere evectos in sublime, uti per eos via plana inter duos montium vertices pateret, condideran urbem antiquissimam *Graci* ex Euboica Chalcide qui sedem quærentes, cum classe in Italia profecti, primum vicinam Campaniæ, promontorioque *Misene Pithecusas* insulam occuparunt Nec diu post etiam in continenti montem in littore juxta *Avernum*, atque in eo condiderunt oppidum, *Hippocle Cumeo*, & *Megasthene Calcidensi* ducibus: quod ab undis marinis ea voce *Cuma* appellauunt vel ἀπὸ τῆς κύησεως, id est, à *pragnante* nam ibidem gravida præguans mulier inventa, fecunditatis omnem ipsis dederat, quemadmodum Strabo, Dionysius, ac Livius, aliique plures auctores sunt Florere deinceps admodum per vicinam Campaniam, Imperium Rempublicamque suam disciplina Græca Pythagorica temperan es æquissime, colonias in eodem littore plures, videlicet *Puteolos Palæopolim* atque *Neapolim*, successu temporum feliciter deduxerint. Antequam ex Urbe Roman Reges suos expulissent, legimus tyrannis *Cumanos* obtemperasse; non quia violento premebantur imperio, sed quia tum Græci Principes suos, qui absoluta gubernabant potestate, *tyrannos* vocabant. Celebris ac potens tùm apud eos *Aristodemus* tyrannus, cognomēto *Malacus*, ut à Livio & Dionysio Halicarnassæo scribitur: qui Principatū

suæ

ſuæ Reipublicæ plebiſcito eſt adeptus ob inſignem fortitudinem, quod exiguis cum copiis ingentes *Etruſcorum Umbrorumque* atque *Auſonum* exercitus contriviſſet, quodque ducem hoſtium *Arruntem Porſenæ* Regis filium, manu in prælio trucidaſſet. Ad quem confugiſſe *Tarquinium Superbum* exulem, & *Cumis* in exilio mortuum eſſe, ab iiſdem Auctoribus traditur. Poſtea tamen à Campanis in poteſtatem redacti *Cumani*, ſervitute gravi crudeliq; diu premuntur, ut Strabo memoriæ prodidit. At prævalentibus tandem Romanis, cum nec *Annibal* nec *Capua*, nec *Italia* denique tota diutius eorum potentiæ reſiſtere poſſet, ſimul cum Campanis vicinisque populis libertatem nimis pertinaciter defenſam amiſere *Cumani*, atque eorum civitas in Præfecturæ formam redacta eſt. Multarum igitur, urbium Italiæ fortunam deinceps experitur quæ Romæ potentia & amplitudine oppreſſæ in obſcuros decrevere vicos, maximè cum Campania univerſa capaciſſimis Romanorum Principum villis oppleta luxuriaret nimium. Tum *Cumæ* quaſi vacuæ ad ſeceſſum tenuiorum ac plebejorum civium patebant in introitu videlicet *Bajarum*, & *Puteolani* Sinus ac littoris, quandoquidem horti, Prætoria, & villæ locupletiſſimorum occupaſſent circumquaq; vicinitatem omnem, ut agri nihil *Cumanis* relinqueretur. Tale quid ex Juvenalis Poëtæ Satyra III. colligimus, qui *Cumas Baiarum* januam videtur idcirco vocare, dum *Umbricii* ſui diſceſſum ab urbe Roma dolet his verſibus:

Quamvis digreſſu veteris confuſus amici,
Laudo tamen, vacuis quod ſedem figere Cumis
Deſtinet atque unum civem donare Sibyllæ,
Janua Baiarum eſt, & gratum littus amœni
Seceſſus.

Collabente tandem Imperii Romani mole, cùm Italia propter tyrannorũ impotentiam bellicis cladibus frequenter vexaretur, atque etiam barbaratum gentium incurſionibus pateret, inter alias urbes

bes & *Cuma* in abrupto monte ſupra littus poſitæ ſitus ob commoditatem operibus facilè muniri poterant. *Agathias Myrrinæus* lib. 1. Hiſtoriarum belli Gothici, teſtatur hoc oppidum ſuperiore loco turribus ac propugnaculis firmis, validiſque cinctum muris ſuo tempore fuiſſe; ideoq; *Totilam Tejamque* Gothorum Reges in eodem, perinde ac in arce tutiſſima atque inexpugnabili, theſauros & pretioſiſſima quæque ſua recondidiſſe; nec illud à *Narſete Juſtiniani* Imp Legato, niſi per longam obſidionem, capi potuiſſe. Nunc autem inter ruinas ingentes adhuc murorum & turrium fundamenta, atque ex rupibus exciſæ foſſæ profundiſſimę cernuntur.

Cumis deinde cum *Gauro* monte relictis *Viæ Domitianæ* (quemadmodum luculenter nobis Statius Poëta in Silvis ſuis deſcribit) ſæpiùs interruptæ reliquias reperiunt, nec non ingentes lapidei pontis ruinas in Vulturno poſiti: quam Viam ex Appia inter *Minturnas* ac *Sinueſſam Domitianus* inchoatam per campum *Stellatem* atque *Literninas* paludes duxerat uſq; *Cumas*; ſicut ex hendecaſyllabis dicti Statii Papinii Poëtæ colligimus: qui etiam pontis in *Vulturno* meminit, nec non arcus triumphalis in viæ hujus ingreſſu ad Appiam *Domitiano* poſiti ex marmore Liguſtico; cujus neſcio, an extent adhuc reliquiæ.

LITERNUM COLONIA
NUNC TURRIS PATRIÆ.

VIDEBIS tamen ad viæ lævam in itinere *Literni* veteris Romanorum coloniæ ruinas, juxta ſpeluncam in litore poſitam, quam vulgò nunc *Turrem patriæ* vocant, à maioribus tradita nuncupatione; ſic ut videatur inde defluxiſſe nomen hoc, quia *P. Scipio Major Africanus* voluntario receſſu ſuo locum nobilitarit, patriam Romam fugiens, ac privatim in villa ſua vitam ibi finiens, civium ſuorum cri-

criminationibus iniquis offensus. Nam immortalem patriæ inurens ingratitudinis notam, voluntariis extremæ decretum sepulchro ibidem suo inscripti jusserat: quo cineres ossaque sua negabat ingrato, quam in cineres collabi, *Romæ* que servire passus non fuerat. Animi, me hercle, pii moderatique magnitudine major tum *Scipio* fuit, quam tot ante partis victoriis: qui non armis ac *Coriolani* violentia, sed sola ingratitudinis accusatione civium suorum injurias ulcisci satis habuit; patriam vivus mortuusque voluntaria absentia sua, tamquam exilio quodam, mulctare volens. Plus etenim *Roma* perdidit in fortissimo cive Principe Senatus sui quam *Scipio* in patria sponte derelicta: quem nihilominus rerum præclare gestarum gloria, virtutumque majestas semper individuæ sequebantur. Auctores sunt Livius, Strabo, Val. Maximus, aliique plures, *Literni* in villa sepulchrum *Africani Majoris* fuisse. Quibus adstipulatur item Annejus Seneca in LXXXVII. ad Lucilium suum Epistola, quam ex eadem *Scipionis* villa tum adhuc extante *Literni* scripserat; ubi & ejus frugalem structuram, locique situm exactius depingit. Plinius item Naturalis historiæ scriptor testatur libri XVI. cap ult. sua ætate in *Literno* durasse prioris *Africani* manu satas olivas: item *myrtum ejusdem in luto consitam magnitudinis*, & sub ea speum fuisse dictam, in quo manes ejus custodire draco ferebatur. Hinc item fabula fortassis ad posteros dimanavit de monte *Draconi* non procul dissito, ubi & nunc affirmant accolæ *Massici* promontorii illius in specu vasto sub ara quadam in ædicula *D. Mariæ* crusta latitare draconem, qui introitus primum exanimet tetro veneno, & postea devoret: atque castello montique nomen inde impositum esse, quemadmodum *I. Pontanus* in Historia *bel. Neapolitani* memoriæ prodidit.

Caput.

Acetosus fons, qui inebriandi vim habebat, nunc

nunc potus capitis dolores ſedat *Literni* oritur.

SYNOPE, vel SINUESSA COLONIA.

SUB arce majoris Draconis, antiquiſſima quondam Græcorum colonia *Synope*, à Romanis *Sinueſſa* poſt appellata; cujus peringentes circumquaque viſuntur ruinæ, præſertim in ora littoris, ut immenſi portus inter alia. Deduxere *Romani* hanc coloniam cum vicinis *Minturn* bello Samnitico, quo frequenter involvebantur & Campani. Urbis anno CDLVII. *Appio Claudio* II. & *L. Volumnio* II Coſſ. ut Livius auctor eſt; vel anno ſequenti, quo *Pyrrhus* regnare cœpit, ut vult Vellejus Paterculus. Aquarum calidarum vi medica cœlique temperie mira fuit diu celebris colonia hæc: atque id circo tepentem nominat *Sinueſſam* Poeta Silius Italicus. Balnea *Gaurana* nunc fontes illos appellant. At Tacitus *Sinueſſanas aquas* Annalium libro XII. ſcribens *Claudium* Imp. adverſa correptum valetudine, refovendis viribus mollitie cœli & ſalubritate aquarum, *Sinueſſam* perrexiſſe, cum boletos illi pararet venenatos uxor *Agrippina*. Rurſum hiſtoriarum ſui temporis lib. I. pulchre refert, ut apud aquas *Sinueſſanas Oſonius Tigellinus*, præcipuum *Neronis* ad omne facinus inſtrumentum, inter ſtupra concubinarum & oſcula, ſectis novacula faucibus, infamem vitam finierit.

MINTURNÆ.

MOX *Lyri* flumine trajecto, *Minturnarum* florentiſſimæ quondam coloniæ reliquias perluſtra non procul à ripa protenſas, oſtium ac mare verſus. Cernes ingentes ædificiorum publicorum moles, ſaxis & marmoribus partim ſpoliatas, partim integras: inter quas eſt aquæductus ſumptuoſus & altus;

tus : item *theatrum* cum scena, proscenio, pulpito, membrisque suis aliis, operis antiqui, sed admodum solidi. Sic & Amphitheatrum cum sedilibus, gradationibus, & cuneis, marmorum tamen atque saxorum quadrigis non minùs spoliatum : ex quibus vicinum in colle castellum, quod *Traiectum* vocant, suscitatum & munitum esse videtur. In ejus autem Amphitheatri deserti ruinis jam in vallis rotundæ clivis capræ pecoraque versantur, ac arbusta graminaque nunc carpunt. Vices insuper murorum & turrium magna vestigia, portarumque præaltas fornices, aliaque ædificiorum fundamenta solidissima: ex quibus colligere est, urbem opibus splendidam & potentem fuisse Nunc solum aratro proscissum, campi deserti, ruinæ, ruderaque spectantur.

Capug.

Lyris cæruleus aquæ est, in mari moritur, & ibi nascuntur *mullæ* pisciculi optimi saporis, quæ in deliciis fuerunt Romanis civibus. Hic *Minturnenses Nympham Maricam* in *Silva sacra* superstitiosè venerabantur.

Ubi *Lyris* transitus, urbium olim florentissimarum visuntur cadavera *Vestinæ*, apud quam *Saraceni* prælio victi sunt, paulòque supra *Ausoniæ*, quæ Italiæ universæ & nomen dedit, & aliquando dominata est.

MINTURNÆ PALUDES.

Schott.

VICINÆ paludes, quæ *Minturnæ* dicuntur, *C. Marii* post septem Consulatus & triumphos proscripti, latebris celebres, vicissitudinis rerum insignia cuivis exempla suggerunt: ubi hominem Gallum eum occisurum, vultus majestate deterruit, & navim conscendens in *Africam* commeavit, ut appositè proinde Juvenalis Poëta:

Exilium, & carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victâ Carthagine panis.

Illu-

Illustres multis sæculis posteà factæ fuerunt prælio maximo & cruento contra *Saracenos*, quo Christiani victores, *Joanne* X. Pont. Max. & *Alberico Tusco* ducibus, hostem perniciosissimum Italiæ profligarunt; exceptis profugorum reliquiis, quæ *Carpanum* montem occuparunt; in quo se diu posteà tenuere, prædationibus & piratica vitam sustentantes.

FORMIÆ.

Schott.

INDE secus Appiam *Via Herculanthea*, multarum Tullio teste, deliciarum, perge *Formias*, *Molam* tunc appellant castellum in littoris rupe positum. Ex situ locorumque veteri descriptione Volaterranus, & antiquitatum periti plures conjiciunt M. Tullii Ciceronis *Formianum* ibidem fuisse; nec refragor admodum: etenim ædificiorum antiquorum ruinæ, statuarum tituli, & epitaphia, quæ in Appia & vicinis villis reperiuntur, liquidè demonstrant *Formias* ibidem fuisse: atque inter alia hoc Elogium, quod in basi statuæ legitur, quam ibidem posuerant:

IMP. CÆSARI. DIVI
HADRIANI. FILIO. DIVI
TRAJANI. PARTHICI NEP.
DIVI. NERVÆ. PRONEPOTI
TITO ÆLIO. HADRIANO
ANTONINO. AUG PIO. PONT
MAX TRIB. POT. XI COS. IIII. P.P.
FORMIANI, PUBLICE

Alias marmorum inscriptiones hic adferre longum esset. At *Formias* primum condidisse *Lacones*, in antiqua *Læstrigonum* anthropagorum sede, Strabo Plinius, Solinus, pluresque veteres consentiunt. Ideoque *domum Antiphatæ compressam freto* Silius Poeta vocat, quod ibidem *Antiphates Lami* filius, *Neptuni* nepos, *Læstrigonibus* imperitarit: quos Siciliæ partem post *Cyclopes* prope Leontinos inhabitasse volunt,

lunt,& ante Græcorum in Italiam adventum oram occupasse Campaniæ,ubi post à Græcis *Cajeta* condita: quàm & à *Lamo*, *Neptuni* filio, *Lastrigonum* Rege, regnatam Silius idem canit: item Fitus incoluisse, ubi *Formias* condidere *Lacones*, quas hi à commodis navium stationibus primum *Hormias* Græca voce vocarunt, postea Campanis Græci succubuere,Romanisque deinde *Campani*: qui in Præfecturæ formam, *Annibale* pulso, simul cum *Capua* *Formias* quoque reduxerunt, cum prius tamen municipium fuisset, atque civitatis jus cum suffragii latione obtinuisset,sicut à Livio libro XXXIX. docemur. Bello demum civili, ut Frontinus auctor est,à III. viris *Cæsare*, *Antonio*, & *Lepido*, inter colonias Italiæ militares *Formiæ* redactæ fuerunt:& Imperatorum temporibus propter cœli temperiem semper floruisse,ex Horatio, Martiale Poeta,& Auctorum multorum scriptis constat; quod ipsum & veterum ædificiorum monumentorumque frequentia palam ostendit:quamvis denique barbari Sarraceni hoc oppidum,sicut & Campaniæ plures urbes, funditus exciderint ante annos fere ducentos. Tunc etiam ex loco deserto *Formianum* Episcopatum *Gregorius* IV. Pont.Max *Cajetam* transtulit,ut & ante diximus.

Caetug.

Molæ nomen loco inditum,à multitudine molarum,quæ illic perennibus aquis, ex montium radicibus manantibus,circumvolvũtur. Hæc pars Italiæ tantam habet pulchritudinem, ut nulla alia excogitari quidem posset ornatior. Hinc Martialis:

O temperate dulce Formiæ litus!

& post aliqua:

Hic summa leni stringitur Thetis vento,
Nec langues æquor vina, sed quies ponti.

Deinde Appia proficiscere *Fundos*.

VELI-

VELITRÆ.

INDE *Velitras* Volscorum olim oppidum, antiquitate & potentia clarum, cujus in Romana historia frequens est mentio: nam ab *Anco Marcio* Rege Romanorum obsidione gravi ad deditionem compulsas *Velitras*, Livius & Dionysius Halicarnassæus scribunt: severissimeque tandem punitos *Velitrenses* fuisse propter frequentem rebellionem, prodit item Livius. Nam muri eorum disjecti, & Optimates expulsi, atque ultra Tiberim habitare jussi sunt, carceris etiam adjecta pœna, si quis eorum citra flumen per mille passus pedem protulisset. Fuit item ab antiquo civium Romanorum facta colonia, quam variis temporibus exhaustam, multiplici bello sæpius adauxere, novisque colonis frequentarunt, sicut ex eodem Livio discimus. Sex. Julius Frontinus in fragmento de Coloniis tradit *Velitras* oppidum lege Sempronia fuisse deductum postea *Claudium* Cæsarem ejus agrum limitibus Augustæis censitum militibus adsignari jussisse. Tum igitur militaris colonia facta est. Celebres quidem antiquitus *Velitræ* majoribus *D. Augusti*, gente nimirum *Octavia* nobili & antiqua, quæ originem ex hac colonia duxerat. Atque nutrimentorum Augusti locum extitisse suo tempore, Suetonius auctor est, inclytum religione in ejus avito suburbano, casa permodica, & instar cellæ penuariæ juxta *Velitras*. Nunc antiquitatum pauca visuntur vestigia, quamvis amplum & frequens sit oppidum, & ædificiis excultum satis. Ager ejus fructuum omnis generis nunc etiam ferax est, ut olim propter urbis Romæ vicinitatem villis & hortis Nobilium expolitus haud dubie fuerit. Nominat quidem inter generosa sui temporis vina *Velitrenna* Plinius libro XIV. quæ tamen nunc degenerarunt, atque Auctoritatem amittere suam, quia propter cruditatem austeritatemq; coqui aheno debent. Quapropter haud fallo palam

esse contendit idem, sua quibusque terris tempora esse, sicut suus rerum proventus & occasus. Hinc si per montes Tusculanos *Tibur* pertexeris.

Videbis ex itinere ad sinistram *Lanuvium*, Templo *Junonis Sospitæ* religiosum antiquitus: *Ariciam* à Siculis conditam, ut Hemina Cassius prodidit, *Albæ* quondam *Longæ* situm, montemque Templo *Jovi* & feriis Latinis celebrem: atque subjectos montibus inclusos lacus *Albanum* quondam *Vejentibus* fatalem, atque Nemorensem vetustis *Dianæ Tauricæ* ac *Hippolyti Virbii* barbaris sacrificiis famosum: cujus quidem tractus frequenti contemplatione, diligentique investigatione antiquitatum studiosi, propter veterum Auctorum de his locis scripta, vehementer delectantur. Perlustra deinde in agro *Tusculano* villarum sumptuosissimarum crebras atque dolendas ruinas.

PRÆNESTE

Schott.

VIDE ad dextram in supercilio montis antiquissimam, *aboriginum* sedem *Præneste*, & tantæ quidem antiquitatis, ut de ejus exordio & conditore non consentiant Auctores, & diversi tradant. Virgilius VII. Æneid. fundatorem ejus urbis fuisse canit ex Prænestinorum libris *Cæculum Vulcani* filium, qui item *Cæciliæ* Romanæ gentis auctor fuit: de cujus nativitate satis longam Servius Commentator fabulam refert. & nominis etymon ὑπὸ τῶν πρίνων, id est, ab ilicibus ibidem frequentibus deducit. Malunt alii ὑπὸ τοῦ πρανέος dictam, quod [illegible] & declivis sit locus, in quo sita est. Pompejus Festus, quod montibus *præstet Prenestem* vocatam putat. Solinus ex Zenodoto prodit à *Præneste* [illegible] nepote & [illegible] filio conditam & nuncupatam, quem Stephanus Byzantius in *Urbium Lexico*, *Prænestum Latinum*, *Ulyssis* & *Circes* filium dicit. Plutarchus

terchus in Parallelis ex Aristoclis *rerum Italicarum* tertio *Telegonum Vlyssis* & *Circes* filium, quem & *Tusculum* condidisse volunt, deorum oraculo monitum etiam hoc oppidum construxisse tradit, ubi saltantes cum coronis colonos invenerat; & tum appellatione coronæ ligneæ *Prinestum* nominasse, & hinc *Praneste* Romanos postea vocitasse. Quapropter & *Stephane* Græcis quondam dicta fuit, teste Ilinio; vel ut Strabo vult, *Polystephanos*, quasi multarum coronarum: qui affirmat origines esse Græcanicæ cum *Tibure*, & ab eo distare stadiis centum & à *Roma* ducentis. A coronis igitur nomen hoc oppidum accepisse, constat tam ex oraculo dicto & occasione sui ortus, quam propter votivas multorum coronas, quibus inclytum ibi antiquissima sortium religione Templum Fortunæ frequentabatur: quod quidem florente Romano Imperio fuit admodum celebre, sumptuosaque structura permagnificum, sicut ex reliquiis adhuc colligere possumus. Memini me ibidem vidisse *Fortunarum* signa, & imagines plurimas tam ex ære, quam ex marmore, ac etiam ex terra cocta ficti es pulcherrimas, diversisque symbolis multiformes. Sic etiam coronas varii generis, ac nummos æreos grandes, characteribus ac notis sortium multiplicibus efformatos: item aras, tabulas ac cippos marmoreos cum suis elogiis & inscriptionibus ex voto ibidem *Fortunæ*, *Iovi* puero, *Spei*, *Cupidinibus*, aliisque diis consecratos, quæ singula hinc enarrare longũ esset, & aliam adhuc in occasionem servantur. Unum tamen epigramma lectu dignissimum præteri e neq; eo à nemine, quod sciam, correcte publicarum hactenus. Insculptum quidem est in magna marmorea basi, quam cum effigie patris *T. Cæsii Primi* negotiatoris frumentarii (qui ex voto centenas annuatim coronas *Fortunæ Prænestinæ* donabat) *T. Cæsius Iaurinus* filius in eodem Templo dedicarat: in cujus fronte visuntur exsculpti duo modii spicis pleni, & in angulis item binis singulæ

esse contendit idem, sua quibusque terris tempora esse, sicut suus rerum proventus & occasus. Hinc si per montes Tusculanos *Tiburi* pertexeris.

Videbis ex itinere ad sinistram *Lanuvium*, Templo *Junonis Sospitæ* religiosum antiquitus: *Arcam* à Siculis conditam, ut Hemina Cassius prodidit; *Albæ* quondam *Longæ* situm, montemque Templo *Jovis* & feriis Latinis celebrem: atque subjectos montibus inclusos lacus *Albanum* quondam *Vejentibus* fatalem, atque Nemorensem vetustis *Dianæ Tauricæ* ac *Hippolyti Virbii* barbaris sacrificiis famosum: cujus quidem tractus frequenti contemplatione, diligentique investigatione antiquitatum studiosi, propter veterum Auctorum de his locis scripta, vehementer delectantur. Perlustra deinde in agro *Tusculano* villarum sumptuosissimarum crebras atque dolendas ruinas.

PRÆNESTE

Schott.

VIDE ad dextram in supercilio montis antiquissimam *Aborigenum* sedem *Præneste*, & tantæ quidem antiquitatis, ut de ejus exordio & conditore non consentiant Auctores, & diversi tradant. Virgilius VII. Æneid. fundatorem ejus urbis fuisse canit ex Prænestinorum libris *Cæculum Vulcani* filium, qui item *Cæciliæ* Romanæ gentis auctor fuit: de cujus nativitate fatis longam Servius Commentator fabulam refert, & nominis etymon ὑπὸ τῶν πρώνων, id est, ab illis ibidem frequentibus deducit. Malunt alii ὑπὸ τῆς πρανείας dictam, quod *pronus* & declivis sit locus, in quo sita est. Pompejus Festus, quod montibus *præstet Præneste* vocatam putat. Solinus ex Zenodoto prodit à *Præneste Ulyssis* nepote & *Latini* filio conditam & nuncupatam, quem Stephanus Byzantius in *Urbium Lexico*, *Præneston Latinum*, *Ulyssis* & *Circes* filium dicit. Plutarchus

terchus in Parallelis ex Aristoclis *rerum Italicarum* tertio *Telegonum Vlyssis* & *Circes* filium, quem & *Tusculum* condidisse volunt, deorum oraculo monitum etiam hoc oppidum construxisse tradit, ubi saltantes cum coronis colonos invenerat; & tum appellatione coronæ ligneæ *Prinestum* nominasse, & hinc *Praneſten* Romanos postea vocitasse. Quapropter & *Stephane* Græcis quondam dicta fuit, teste Ilinio; vel ut Strabo vult, *Polystephanos*, quasi multarum coronarum: qui affirmat origines esse Græcanicæ cum *Tibure*, & ab eo distare stadiis centum & à *Roma* ducentis. A coronis igitur nomen hoc oppidum accepisse, constat tam ex oraculo dicto & occasione sui ortus, quam propter votivas multorum coronas, quibus inclytum ibi antiquissima sortium religione Templum Fortunæ frequentabatur: quod quidem florente Romano Imperio fuit admodum celebre, sumptuosaque structura permagnificum, sicut ex reliquiis adhuc colligere possumus. Memini me ibidem vidisse *Fortunarum* signa, & imagines plurimas tam ex ære, quam ex marmore, ac etiam ex terra cocta ficti es pulcherrimas, diversisque symbolis multiformes. Sic etiam coronas varii generis, ac nummos æreos grandes, characteribus ac notis sortium multiplicibus efformatos: item aras, tabulas ac cippos marmoreos cum suis elogiis & inscriptionibus ex voto ibidem *Fortunæ*, *Iovi* puero, *Spei*, *Cupidinibus*, aliisque diis consecratos, quæ singula hinc enarrare longũ esset, & aliam adhuc in occasionem servantur. Unum tamen epigramma lectu dignissimum præterire nequeo à nemine, quod sciam, correcte publicarum hactenus. Insculptum quidem est in magna marmorea basi, quam cum effigie patris *T. Cassii Primi* negotiatoris frumentarii (qui ex voto centenas annuatim coronas *Fortunæ Prænestinæ* donabat) *T. Cassius Taurinus* filius in eodem Templo dedicarat: in cujus fronte visuntur exsculpti duo modii spicis pleni, & in angulis item binis singulæ

columellæ spicis tribus erectis coronatæ. Subscriptum his epigramma ex eadem basi in arca Palatii Pontificii *Praeneste* quondam excepimus ipsi, quod quidem tale est:

TU QUÆ TARPEJO COLERIS VICINA TONANTI
VOTORUM VINDEX SEMPER FORTUNA MEORUM
ACCIPE QUÆ PIETAS PONIT TIBI DONA MERENTI
EFFIGIEM NOSTRI CONSERVATURA PARENTIS
CUJUS NE TACEAT MEMORANDUM LITTERA NOMEN
CÆSIUS HIC IDEMQ TITUS PRIMUSQ VOCATUR
QUI LARGÆ CERERIS MESSES FRUCTUSQ RENATOS
DIGERIT IN PRETIUM CUI CONSTAT FAMA FIDESQ
ET QUI DIVITIAS VINCIT PUDOR IRE PER ILLOS
CONSUETUS PORTUS CURA STUDIOQ LABORIS
LITORA QUI PRÆSTANT FESSIS TUTISSIMA NAVTIS
NOTVS IN VRBE SACRA NOTVS QVOQ FINIBVS ILLIS
QVOS VMBER SVLCARE SOLET QVOS TVSCVS ARATOR
OMNIBVS HIC ANNIS VOTORVM MORE SVORVM
CENTENAS ADICIT NVMERO CRESCENTE CORONAS
FORTVNÆ SIMVLACRA COLENS ET APOLLINIS ARAS
AGERIVMQ JOVEM QVORVM CONSENTITI INILIO

MAJE-

MAJESTAS LONGÆ PROMITTENS TEMPORA VITÆ
ACCIPE POSTERITAS QUOD POST TUA SECULA NARRES
TAURINUS CARI JUSSUS PIETATE PARENTIS
HOC POSUIT DONUM QUOD NEC SENTENTIA MORTIS
VINCERE NEC POTERIT FATORUM SUMMA POTESTAS
SED POPULI SALVO SEMPER RUMORE MANEBIT.

Quod initium autem habuerit antiquissima hæc sortium superstitio, pulchre nobis explicat ex *Præneſtinorum* ipsis monumentis Cicero de Divinatione lib. II *Numerium Suffucium* Nobilem Præneſtinum somniis crebris ac minacibus jussum, certo loco silicem, civibus ridentibus, excidisse; ubi perfracto saxo sortes eruperunt in robore sculptæ priscarum literarum notis, quarum occasione *Fortuna* ibidem coli cœpit. Septum deinde locũ fuisse religiose, propter *Iovi* pueri simulachrum, qui lactens cum *Iunone* in gremio *Fortunæ* sedens, mammam appetens ibi castissime colebatur à matribus. Eodem tempore, ubi post *Fortunæ* Templũ conditum est, mel ex olea fluxisse, & haruspicum jussu ex eadem arbore factam arcam, in eaque conditas sortes illas, quæ *Fortunæ* monitu, pueri manu miscebantur educebanturque. Fani pulchritudo & vetustas non tantum Ciceronis tempore, verum etiam ad extrema fere Romani Imperii tempora sortium illarum oracula celebrarunt; atq; originem habuisse antiquissimam, tam ex ipso Cicerone, quam ex aliis colligimus. Quare non suffragor eorum sententiæ qui *L. Sullam* Dictatorem Templi istius conditorem fuisse volunt, decepti, ut reor, Plinii verbis, qui lib. XXXVI. de pavimentis nobilibus arteque paviendi scribens,

 litho-

lithostrata primum in Italia sub L. *Sulla* cœptasse dicit è parvulis marmorum frustis versi coloribus commissa, & picturam imitantia; cum ante diu pavimenta picturæ ratione elaborata apud Græcos expulissent. Et affirmat suo tempore *Prænestæ lithostrotum* durasse, quod ibidem in *Fortunæ* delubro fecit, *Sulla*, cujus magnam partem loco subterraneo me ibidem non semel vidisse memini cum figuris peregrinorum animalium, quorum nomina quoq; Græcis litteris expressa in eodem pavimento leguntur. *Opus musivum* Latini postea *lithostrotum* ejus generis vocaverunt, ut apud Spartianum in Vita *Pescennii nigri* legimus; & artifices ipsos *musi varios*, sicut *Theodosius* & *Valentinianus* Augg. Codicis lib x. tit XLIV. *De artificum excusationibus*, ubi & *marmorarios* & *musivarios* nominant inter excultos, si modo correcta sunt exemplaria: nam in antiquis epitaphiis *musejarios* appellari reperimus. Ut igitur ante diximus, *L. Sullam* ejus antiquissimi Templi structorem non putamus; sed quod post bella civilia victor religione tactus illud suis armis destructum atque profanatum restaurarit, verisimilius videtur, & ex Plinio quasi colligere est. Profanasse quidem constat, cum maxime *C. Marium* juniorem ceteroſq; inimicos ibidem circumvallatos pertinaci obsidione ad mortẽ compelleret, oppidumque tandem captum, *Prænestinis* omnibus exarmatis & trucidatis, spoliaret sub hastaque venum daret. Contigit ergo quemadmodum & Strabo sentit, ut quæ ceteris urbibus commoditati tutelæque solent esse, loci videlicet situs munitissimus, murorumque firmitas, ea huic oppido calamitati & exitio sæpe fuerint propter civilia Romanorũ bella; cum eo se partes imbecilliores, tamquam in arcem tutam aliquando subtraxerint, oppidumque simul sua clade involverint. Visuntur adhuc etiam cuniculi specusq; subterranei ab oppido per vicinos montes ad plana perfossi, tam auxilii intromittendi, quam clandestinæ fugæ causa: in quorum

rum uno *C. Marius* junior obsessus, cum fugæ nulla pateret via, ne capteretur vivus, cum amico *Ponte Telesino* dimicans cecidit. Hinc vulgi etiamnum opinio manet, in cuniculis illis saxa cæsorum ibidem adhuc cruore rubere, cum tamen his vicinisque montibus tam Tusculanis quam Albanis mollior lapis omnis sua natura rubeat obscurè. Non ineleganter de his itaque Poëta quidam Germanus, *Fabricius* in Hodœporico suo cecinit:

---- tua Cæcile Regna
Nomen ab illo habuisque tenens Præneste venimus.
Quo primùm Diva, quæ nullo tempore nullo
Certa loco præstat, miramur nobile Templum,
Pluribus in Templo lethoströtaque picta figuris,
Deinde tot effossa tecta tellure meatus,
Qui fingantur adhuc Mariana cæde rubere.

Libera & fœderata primum Romanis civitas *Præneste* fuit, Prætorem que suum habuit, ut ex Livio cognoscimus, quam Festus *municipium sui juris* vocat. Appianus Italico bello cum Tiburtinis in civitatem acceptos *Prænestinos* diserte scribit. Non tamen diu post *L. Sulla* victor, quantum ex Tullii Agraria & Catilinaria colligimus, oppido cædibus atque proscriptionibus exhausto colonos imposuit, agrumque eorum omnem divisit. At apud A Gellium lib. xvi. cap. xiii, legimus *Prænestinos* à *Tiberio* Aug. denique impetrasse, ut ex colonia in pristinum municipii statum redigerentur. Sed hæc pro studiosis antiquitatum quibus pro occasione lubenter subservio, de *Præneste* satis hoc loco dicta sint.

TIBUR.

Schott.

TIBUR cum appuleris, perlustra sumptuosissimos illos hortos, quos *Hippolitus Atestinus* Ferratiensis Cardinalis amplissimus, ibidem in clivo montis cum permagnifico Prætorio statuis antiquis, picturis, & Regia prorsus supellectile pleno ante annos

aliquot instruxerat prisci luxus & splendoris ad imitationem, Sed quis accurate satis ejus villæ, Prætorii atq; hortorum elegantes delicias, politissimamque maximo sumptu culturam explicabit? Quis labyrinthos, lacos, silvas, hemicyclos, janos, arcus cum aut quis statuis, antraque *Nympharum*, ac fontium infinitas scaturigines locorum ubique prorumpentes; item pergularum & ædicularum topiaria pulcherrima diserte narrabit? Mihi quidem haud facile foret. Descripsit hortos eleganter *Ubertus Folietus* Genuensis: nam postea excitari & excoli *Tiburtinum* illud *Ateſtini* Cardinalis cœpit. At Corona Ligurius prædicare satis nequit, qui picturam Prætorii illius & Hortorum Romæ typis æneis publicatam in tabula mihi ostendit: quorum spectaculum meo judicio tam multos *Tibur* nunc pellicere, quam ad sese Roma tot miraculis vi enda pertrahere potest. Nos autem ex dictis tabulis obiter hortos descriptione quadam percurremus in eorum gratiam, quibus nec illos nec pictu ram videre contigit. Prætorium in colle complanato Regii Platii magnitudine & magnificentia conspicuum exurgit arte symmetrica ad regulam è quadrato lapide constructum. A dextris habet hortos secluſos, quos *secretos* appellant: in quibus fontium marmorei crateres sedecim eructant limpidas aquas, in quorum medio stat Janus altior quadrifrons, quatuor item habens fontes speculorum in modum perornatos. A sinistris Prætorii sphæristerium, aliaq; exercitii loca sumptuosa non desiderantur. Latus autem ejus inter fenestras, item propylæum cum duplicibus scalis lapideis, quibus ab utroque latere ascenditur, variis exornatur marmoreis staruis, ac signis antiquis. Ante propylæum in area fons est cum *Ledæ* statua pulcherrimus. Hinc leni descendens clivo collis, quatuor in locis in areas oblongas redactus & exæquatus, quadruplices ante Prætorii vestibulos & spatiosos hortos complectitur: in quos tergeminis utrimq; & à medio scalis lapi-

lapideis nitide compactis descenditur & ascenditur: quarum latera per singulos gradus fontium digiti in suos decidentes lacuiculos irrigant utrumque. Horti singuli in classes pulcherrime distributi suis hemicyclis, exedris, & peristyliis ornatissimis sparsim distinguuntur, adeo ut ab una parte in aliam inambulantibus per ambulacra frondibus concamerata, pergulasque & vias, hedera semper virenti tectas inter spirantium atque ridentium undique florum & herbarum plagas ac pulvinos mirificam præbeant speciem varietatemque sua detineant atque morentur omnium animos & oculos: dum interim nec satiare spectatorem infinita statuarum ac fontium miracula possint. Nam cum ab area Prætoriana deflectis ad dextram, per arbusta & lucos occurrunt statuæ cum suis fontibus: primum *Thetydis*, hinc *Æsculapii* & *Hygiæ*, dein *Arethusæ* & *Pandoræ*, mox *Romanæ* & *Floræ* Cum descendis in hortum primum, invenis ibidem in dextro latere *Pegasi* colossum in *Parnasso*: sub cujus ungula fons erumpit in altum eximius. Post in silva & rupibus spelæum, ubi apud *Veneris* & *Bacchi* statuas quatuor *Cupidines* cum cantharis fontes effundunt. Vicinus est magnus aquarum lacus, in quem per scopulos devolvuntur strepentes rivi inter duos colossos. *Albunea* videlicet *Sibylla* vel *Ino* ac *Melicertæ* filii. Jacent subtus ad lacum *Anienis* & *Herculanei* fluviorum statuæ doliis incumbentes, è quibus iterum aquas profundunt in lacum, sicut & circumstantes decem Nymphæ ex urnis quæque suis. Juxta sunt speluncæ binæ, una *Sibyllæ Tiburtinæ*, & altera *Dianæ Nemorensis* cum fontibus & statuis pluribus ambæ, ac insuper coralliis unionumque conchis pulchertimis, item pavimentis ex opere musicio pereleganter expolitæ. Hinc si pergas in alterum horti latus, ibi à longe *Roma* conspicua est ex hemicyclo magno, qui memorabilium ejus Urbis ædificiorū formas ac monumenta vetera coram belle repræsentat. Nā vides in ejus hemicycli planitie media *Romam* deā bellatricem

in septem collibus sedentem: quæ statua est ex Tario marmore, humana statura major, forma viraginis in tunica brevi, succincta, nuda genu, cum caligulis militaribus; cui suspensus ab humero dextro baltheus cum parazonio. Caput ejus est galea tectum, hasta manus armata brachiumque sinistrum clypeo. Sedet, ut dixi, media inter urbis suæ miracula. Stant enim hinc inde circum celebriores Ædes sacræ *Pantheon, Capitolina* Templa, circus, theatra, amphitheatra, columnæ, cochlides, obelisci, & mausolea; arcus item triumphales, pyramis, aquæductus, & thermæ. Nec deest *Tiberis* deus à dextris cum lupa & gemellis in Urbem suam ex urna capaci fluvium profundens: in cujus alveo est insula in navis lapideæ formam facta, in medio obeliscum erectum gerens pro malo, Templisque quatuor onusta: nimirum *Æsculapii* in puppe, *Iovis, Bertsynthia*, & *Fauni* in prora.

Si postea descendis in hortum subjectum, habes à sinistris sub hemicyclo grandi dicto viride inter rupes fontibus irriguas nemus (Ornithodejum nuncupare poteris) ubi visuntur in arborum ramis avicularum canorarum imagunculæ plures, quæ velut automata quædam plaudunt alis, cantillantque concentu dulcissimo quasi vivæ, per ramorum secretas fistulas arte hydraulica, ventis & aquarum motu concitatæ. Cum autem, artifice procurante, prodit in conspectum ex latibulis bubo, subito conticescunt omnes: Et eodem se postea subducente, concinunt denuò suaviter. Nec procul inde in horti illius medio stagnum rotundum ingens est, in quo labrum capax cum fonte *Draconum* gurgites aquarum vehementes è buccis evomentium. In eorum medio tubus exurgens aquas copiosas hortisonis cum bombis, tamquam tonitruis quibusdam, in altum eructat. Ulterius si ad dexteram procedis, ad *Naturæ* speluncam statuis multis ornatam venies. Ibidem miraberis hydraulum multis fistulis politissimis

mis compactum organum; quod non follibus, sed aquis agitatum reddit per multiplices sonos musicum concentum artificiosissimum

Subsequentem hortum tertium exornant non solum fontes, sed & vivaria cygnorum, eximiorumque piscium situ & formis eleganter distincta. In majoribus tribus metæ quædam, quas *Sudantes* appellant, terminique in marginibus dispositi, tantam vim aquarum in summam altitudinem ejiciunt, ut aerem vicinum refrigerent non solum, sed etiam procellas ac imbres cœlestes imitentur, pluviæque vehementis strepitum in aquis faciant, & ventis spirantibus procul etiam dissita conspergant & irrigent. Juxta hæc vivaria, vasti *Oceani* species apparet in hemicyclo, theatri in formam facto. In ejus medio quadriga marmorea conchæ *Veneris marinæ* in modum facta junctis quatuor hippocampis est conspicua, in qua stat colossicus *Neptunus* tridentem intentans.

Si rursum descendas in infimum hortum, ad rupes occurrent fontes, hinc *Tritonis*, ac inde *Veneris Cleacinæ*. Et in reliqua planitie sub piscinis quatuor inextricabiles labyrinthi inter hortulos nobilium plantarum exoticarum quatuor alternatim dispositi sunt; ubi & ingressus egressusque in hortos datur per portam peramplam, ex quadro lapide Tiburtino magnificentissime constructam. Hæc quidem de Tiburtina villa *Hippolyti* Cardinalis *Atestini* jam dicta sufficiant.

In Templo inter alia visu dignum occurrit admirabilis sumptus & artificii ex vario marmore fabrefactum monumentum cum statua ex Iario magna ejusdem *Hippolyti* Cardinalis *Atestini*, cujus ossa reliquiæque sunt ibidem conditæ. Hinc perlustra oppidum, & quidquid in eo visu dignum est; miraberisque in primis præcipitem *Anionis* fluvii ex altis rupibus lapsum, & ut

--- præpete cursu
Fumeat ac multa sudent adspergine antes.

Vix umquam igitur ibi nebulæ ventique desunt. Et quemadmodum ascendentes à cataractis in altum nubes sudo serenoque cœlo, sic & in solem objectę irides frequentissimæ procul intuentibus apparent. Fama veterumque scriptis fluvius hic celebris est, ex mõte *Trebanorum* oriens, tres amœnitate nobiles lacus, qui & oppido ipsis subjecto nomen *Sublacen̄* dedere, perfluit. Eos Tacitus *Simbruvina stagna* videtur appellare, scribens Annalium XIV apud illa fuisse *Neronis* villam *Sublacensem* in finibus *Tiburtium*, cujus etiam Frontinus *de aquæductibus* meminit. Inde per montes & silvas decurrens *Anio* juxta *Tibur* ex editissimis rupibus præcipitur in subjectos campos maximo cum fragore, molas aquarias plurimas variis locis exercens. Alicubi inter scopulos & saxa delapsus sui magnam partem recondit, quam alibi tamen in descensu largiter revomit. Quin ad montium radices per imam planitiem egelidis venis sulphureis per subterranea metalla derivatis sparsim erumpit, quas *Albulas* vocant à colore seri lactis, cui similes videntur. Medica virtute multa pollere dicuntur tam in potu quam balneis, ut etiam Strabo testatur. Plinius eas vulneribus mederi scribit. Neque solum *Albula*, sed & *Albuneus* supra *Tibur* atque *Anien* ipse, vi quadam sua naturali consolidant & adglutinant corpora quęvis, verum & virgulta, ligna, folia, vel herbas, aliaque solidiora, quæ perfluere contingit, cortice lapideo sensim obducunt, sicut & ante diximus. Hoc minus videbitur mirum, latomias ac montes in agro *Tiburti* circum *Anienem* diligenter cõtemplantibus; apparebit his etenim, quod etiam scopuli cautesque sæculorum successu ex aquis ibidem concreverint, & in planitie lacus atque paludes multis in solidum lapideumque solum. A cataractis circum antiquas veterum ædificiorum reliquias atque vestigia duceris: quæ *Tiburi* plurima visuq ad gnissima reperiuntur: licet nunc ea civitas, non secus ac ipsa Roma

ma totaque Italia, majestate Imperii collapsa, cladibus bellorum multiplicibus adflicta jaceat, cum prius, ea florente, suburbanis Principum ditissimorumque civium prædiis circumvestita triumpharet voluptatum omnium genere, propter cœli temperiem ad æstivandum salubrem ac commodam, & soli fecunditatem incredibilem. *Græcos* conditores oppidum habuisse constat; sed quinam fuerint, antiquitatum Italiæ Scriptores dissentiunt. At plures conveniunt in conditore *Catillo*, quem Arcadem nonnulli, & Præfectum classis *Evandri* fuisse volunt: Argivum alii, filium scilicet *Amphiarai* vatis, quem post patris ad *Thebas* prodigiosum interitum, tradunt oraculo jussum venisse in Italiam multo ante bellum Iliacum cum gentilitate sacrisq; suis omnibus auxilio vetustæ cognatæque gentis *Œnotriorum Aborigenum* expulisse ex iis locis *Siculos*, ac denique *Tiburti* majoris filii sui à nomine *Tibur* oppidum Siculis ereptum appellasse. Nec discrepat admodum ab hac opinione Plinius, qui libro Naturalis historiæ XVI. de arborum ætate scribens, asseri ætate sua tres ilices durasse apud Tiburtes, apud quas ejus oppidi conditor *Tiburtus* inauguratus fuerat. Sed *Amphiarai* filium hunc, non nepotem dicit fuisse, qui una ætate ante bellum Iliacum & cum duobus fratribus *Cora* & *Catillo* in Italiam venerit, oppidumque à suo nomine, ut major natu, inauguraverit: qua in opinione videtur & Virgilius esse libro Æneidos VII. Verum Horatius *Catilli mœnia Tibur* appellavit aliorum opinionem secutus. Quamdiu igitur ante Romã conditam hoc oppidum steterit, ex jam dictis colligere est. Colebant in primis *Herculem Tiburtes* singulari religione velut tutelarem ac Græcanici generis deum, cujus festo quotannis, die, magna ibidem populi multitudo confluere ad sacra solet. Erat & sortium oraculis celebre Templum, non minus quam *Delphis* in Achaja, cujus Pausanias meminit. Hinc Statius Poëta in *Manlii* sui *Tiburtino* cecinit.

ejus

ejus ob elegantiam villæ *Tibur* etiam *Prænestinas fortunas* cum sortibus suis migrare potuisse, ut ibi responsa darent, nisi *Herculis* locum jam occupasset. Sed Poëtam ipsum audiamus:

Quod ni templa darent alias Tiburthia sortes,
Et Prænestina poterant migrare sorores.

Sorores quidem appellat, quod sub duarum sororum personis cõlerentur, videlicet *Bonæ malæque fortunæ*, *Herculis* quidem ibi Templum autumant illud fuisse petiti antiquitatum, quod sub monte ad Viam Tiburtinam videtur. Et altera fuit ibidem Ædes *Herculis Saxani*, sicut docet nos titulus antiquus marmori insculptus, qui translatus nunc extat in foro, parieti domus privatæ insertus hujusmodi:

HERCVLI. SAXANO. SACRVM
SER. SVLPICIVS. TROPHIMVS
ÆDEM. ZOTHECAM CVLINAM
PECVNIA. SVA. A SOLO. RESTITVIT
AIDEMQVE. DEDICAVIT. K DECEMB
L. TVRPILLO DEXTRO. M. MÆCIO.
RVFO. COS.
RVTYCHVS. SER. FERAGENDVM. CV-
RAVIT.

Ædes autem hæc ubi fuerit, obscurum nunc est. Colligunt tamen nonnulli, differentiæ causa *Saxanũ Herculem* ideo nuncupasse *Tiburtes*, quod ejus Ædes in saxo posita fuerit non secus ac Insubres *Mediolanũ* à situ Templi *Herculis in petra* dictus fuit. Vidēdum itaque nunc quę adhuc extat in rupe posita non procul à cataractis ædes rotunda sine tecto, sumptuosi operis, ex marmore, atque artis eximiæ, *Saxani* sit *Herculis*, & cultui ibidem; ut scilicet *Amenis* alveum compesceret, & agros ab inundationibus tueretur. Hujus enim dei in tutela terram firmam esse putabat vetustas, qui idcirco colebatur in terrarum finibus prope portus, navalia, fluminumque præcipitia. Causam ignoti etiam pulchrè Poëta Statius, *Surrentinum* prædium sui *Pollii* describens; quod ad portum

tum in littore ibidem erat juxta *Neptuni* & *Herculis* sacras Ædes Sic etenim cecinit Silvarum lib. II.

Ante domum tumidæ Moderator cærulus undæ
Excubat innocui custos lares. Hujus amicio
Spumant Templa salo. Felicia rura tuetur
Alcides Gaudes gemino sub numine portus,
Hic servat terras hic savis fluctibus obstat.

Quin libro III. fingit *Herculem* ad Templi fundamenta præparanda ibidem positis armis operi insudare, validaq; solum deforme bipenni ipsum fodere

Asperaque invitæ perfringere viscera terræ:

Ut ipsius Poëtæ verbis fere dicam In hunc modum fabulantur *Herculem* opera quæque laboriosa atque ardua in usum humanum perpetrasse, cum orbem terrarum peragraret: atque ipsum monstra non solum sustulisse, hoc est subvertisse tyrannides, potentatus pravos coercuisse, atque nefaria malignorum puniisse scelera; verum etiam desertis in terris urbes, oppida & castra condidisse, portus & navalia construxisse, vias difficiles atque impervias munivisse, damnosa avertisse flumina, & fluctibus marinis opposuisse claustra; hoc est, terminis, legibusque justis inter discordes populos diremisse bellorum semina, pacem atque amicitias ubique conciliasse, negotiationibus atque commerciis inter ignotas ac longe dissitas gentes viam aperuisse Et propter hæc similiaq; beneficia Templis ubique locorum & divinis honoribus cultum, cognominaque vel à factis, vel à locis in quibus colebatur, diversa sortitum esse ferunt. Hinc *Gaditanus* apud Iberos, *Marcusanus* apud Ligures, *Baulius* & *Surrentinus* apud Campanos appellatus à locis fuit Itaque *Tiburs* atque *Saxanus* apud Tiburtes dictus est, atque vicissim *Tibur* ipsum *Herculeum*, ut Strabo, Martialis, & alii testantur: quasi totum hoc municipium ejus dei sacris initiatum esset. Quin & in Prætorio *Tiburti* cum ceteris diis *Hercules* non secus ac Romæ in Capitolio *Iuvater*, colebatur: nec non inter ordines Concilii publici,

atque

atque sacerdotiorum, *Augustales Herculanei* dicti sunt ibidem, & magnæ dignitatis erant: quod ipsum per titulos & epigraphas ex marmoribus antiquis ibi collectas aliunde probatur; è quibus exemplum unum vel alterum hic adjicere lubet, studiosorum antiquitatis in gratiam, quibus deesse non possum.

Tiburi in S. Vincentii Ibidem in descensu montis sacra Æde. in ipsa via fragmentum,

HERCULI C. SEXTILIUS
TIBURT. VICT V.V. TIBURTIUM
ET CETERIS DIS L B EPHEBUS
PRÆT. TIBURT HERCULANIUS
L.MINICIUS AUGUSTALIS
NATALIS
COS. AUGUR
LEG. AUG PR. PR. *Item in summo Templo,*
PROVINCIÆ C. ALBIUS. L[VILLÆ. L.
MOESIÆ. INFER THYMELUS. HERC
VOTIS SUSC AUGUSTALIS.

Illustravit item *Tibur* antiquissimis temporibus *Sibyllarum* decima, quam *Albuneam* Latini, *Leucotheam* Græci nominarunt, divinis eam colentes honoribus: ideoque lucum cum delubro fonteque propter aquarum albedinem ejusdem cum ipsa nominis illi sacrarunt supra *Tibur* in montibus, ubi natam oraculaque dedisse ferunt: cujus *Maro* Poëta Æneidos VII. & ejus Commentator Servius, item Horatius & ejus interpres mentionem faciunt.

Cæterum his, edoctus *Romam* inde contendes: atque ex via deflectens ad lævam, peragrabis *Ælium Tiburtinam*, *Hadriani* Imp. villam in clivo montis positam, & urbis peramplæ, sed miserandum in modum prostratæ, formæ protensam. Stupebis inter tot immanes ædificiorum superborũ ruinas ductus, nec credere poteris villam unam fuisse, videns tot Prætoria, porticus, Ædes sacras, aquæductus, balneas, atque Laconica; theatrum insuper & amphi-

phitheatrum, & quidquid ambitiosæ structuræ ibi restauum. Sed inprimis est conspicuus in summam altitudinem evectus murus, atque ita in longum directus in Meridiem, ut duorum stadiorum habeat ambulationis circuitionem, quem Græci διαυλον, teste Vitruvio, vel etiam περιδρομίδα vocare consueverunt, qui murus ab altero semper latere, sole splendente, commodam præbet umbram, horis maxime quibus exercenda sunt corpora: uti stadia sudo cœlo se exercentibus parebant duplicia, vel in umbra, vel in sole, ad decursiones, aut palæstras, deambulationesve subdiales. Quam immensis autem sumptibus hanc villam exædificarit *Hadrianus*, non solum ruinæ demonstrant, verum etiam Spartianus in ejus Vita declarat, scribens ipsum celeberrima provinciarum atque urbium loca ibidem effinxisse & imitatum fuisse, nec non nominibus suis inscripsisse, velut *Lyceum, Academiam, Pœcilem & Prytaneum Athenarum; Tempe Thessaliæ, Canopum Ægypti*, & similia. Item ne quid prætermitteretur, etiam *Inferos* ibidem effinxisse dicit. Et hæc quidem loca propriis & aptis suis ornamentis, ex quibus cognosci possent, instructa quin fuerint, non est quod dubitemus: minium signis, picturis, & emblematibus, atque etiam statuis & hermis illustrium hominum, qui vel præclaris gestis vel scriptis illa loca quondam celebrarunt: quæ cuncta bellorum clades, barbarorum ac temporum injuriæ dissiparunt atq; perdiderunt. Equidem memini, cum olim juvenis agrũ *Tiburtinum* hæc ce indagandi studio percitus sæpe percurrerem, atque etiam diligenter perscrutarer, me nõ pauca reperiisse similium ornamentorum ex ejus villæ ruinis extractorum præclara monimenta, me quoq; tum è latebris protuliisse hermarum truncos plures è villæ dictæ locis à Spartiano nominatis (ut certo colligimus) sublatos, & in ædificia vicina translatos in quibus legebãtur adhuc illustrium Græcorũ nomina, quorum vultus expressos

ferant,

rant, characteribus Græcis insculpta; scilicet *Themistoclis, Miltiadis, Isocratis, Heraclit., Carneadis, Aristogitonis*, & aliorum, quos truncos indicio meo non diu post *Julius* III Pontifex Max colligi transvehique *Romam* curavit, ad exornandos hortos suos, quos ad Flaminiam Viam citra Pontem Mulvium magnis impensis tunc excolebat à Mæcenate doctorum hominum *Marcello Cervino* Cardinale S. *Crucis* certior de his factus.

Cum ex *Æliæ* villæ ruinis te tandem explicaveris, Tiburtinâ Viâ Romam perges. In Itinere tum perlustrare obiter licet occurrentia veterum monumenta, atque inprimis in *Anienia* ripa *Plautiorum Silvanorum* ingens mausoleum, ex saxo quadrato constructum juxta pontem, qui viam antiquam ibi ab utraque fluminis ripa conjungit: *Lucanus* vulgo (causam ignoro) nunc appellatur: *Plautinum* vero *pontem* vocare quidam docti malunt, & arbitrantur à triumphalibus istis *Plautiis*, quorum elogia in ipso mausoleo leguntur & Viam muniram, pontemque factum fuisse; eum maxime jam usu receptum esset ordinatione *D. Augusti*, teste Suetonio, uti triumphales ex manubiali pecunia vias per Italiam munirent. Accedit quod in tertio *P. Plautii* elogio (cujus tabula quamvis jamdudum ex mausoleo deciderit exemplum apud antiquitatum studiosos adhuc extat) legatur, inter honorum ejus titulos ipsum ex auctoritate *Ti. Claudii* Cæsaris Aug. Curatorem viarum sternendarum à vicinis lectum fuisse.

M. ANT. MURETI
TIBUR.

QUICUMQUE *Herculei spectabis Tiberis arces,*
Qua pater Hippolytus, sacri pars magna Senatus,
Cura Deum loca perpetuo prius aspera saxo,
Molliit, & leni jussit mitescere clivo:
Omnia deprendet longe superantia famam:
Nec tam Regifico constructa Palatia sumptu,

Auro-

Auroque illusus ædes, radiataque tecta,
Quam semper virides mecum admirabitur hortos,
Et gelidos fontes, & aquam in sublime volantem,
Seque in multiplices vertentem, ut Protea, formas.
Præcipue tamen illi animum novitate movebit.
Excisus (res mira!) silex, rupesque cavatæ,
Et via facta manu longi per viscera montis,
Quà se Anio pater insueto percolveret alveo,
Qui longum per iter tenebroso tramite lapsus
Exit, & arboribus gelidæ non invidet undæ.
Stant habiles propter Nymphæ lymphasque paratis
Exceptas urnis in vasa capacia fundunt.
Parte alia ipse suis altricibus adstat Iacchus,
Maternique memor casus, flammæque paternæ,
Gaudet aquis, illisque liben sua munera miscet.
Dum stupeo tam multa videns miracula rerum,
Ecce novus procul alituum concentus ad aures,
Fertur, & insolita mentem dulcedine tangit,
Adspicio, & gressum propius fero: corpora cerno
Parva ex ære avium, æratis nitentia ramis,
Dædala queis variam tribuit sollertia vocem.
Quamcumque adspicias, delusus imagine, veram
Esse putes volucrem, nisi quod non evolat usquam,
Sed ramis affixa suis cantu æthera mulcet.
At veræ mirantur aves: & cedere dum se
Turpe putant liquidis late omnia quæstibus implent.
Hic lucæ egregius labor est, quem Sequana partu
Ediderat Siculi renovantem inventa Magistri.
Quid? quem non moveat cygnum mentitur adulter.
Illudens simili spirantem è marmore Ledam,
Delictisque suis & aquarum murmure lætus?
Multaque præterea veterum simulacra deorum,
Artis opus prisca. Cunctos verum arduus inter
Eminet Alcides, qui spectans omnia circum,
Hesperidum veteres hortos præ Tibure temnit.
Sed quid ego hæc versu nequedquam includere tento?
Iam pridem exiguum præscripti carminis orbem
Excessi, & dictis semper majora supersunt.

IDEM

IDEM.

DELICIÆ veterum Tibur volventibus annis
Cinerdebat, prostum perdiderat que decus,
Et nusquam rivi nusquam pomaria, nusquam
Ulla super tanti signa decoris erant.
Illa loca, antiquis toties celebrata Poëtis,
Horrebant turpis qualida facta situ.
Mœrebant erepta sibi sua gaudia Nymphæ,
Languentes Anio mœstus agebat aquas.
Omnia tempus edax ita deformarat, ut hospes
Quareret in medio Tibure, Tibur ubi est?
Non tulit hanc speciem divini pectoris heros
Hippolytus, sacri gloria magna chori:
Ille loco senium abstersit, vultusque priores
Reddidit, & solito jussit honore frui.
Illius imperio jussæ revirescere silvæ,
Cœperunt sparsis luxuriare comis.
Ille novos passim fontes emergere jussit.
Nec mora fit: fontes prosiluere novi,
Quos circum statuit priscis egesta ruinis
Plurima Phidiaca signa polita manu.
Ipse Anio frontem pallenti cinctus oliva
Affuit, & proprias consociavit opes.
Iure igitur fontesque sacri silvæque virentes,
Certatim Hippolyti nomen ad astra ferunt:
Et quoties molli increpuit levis aura susurro.
Hypolytum alternis vocibus ingeminant.

JULII ROSHII HORTINI
AD
M. ANT. MURETUM.
dum Tiburi per æstum ageret
CIC. IↃ. LXX.

TIBURTINÆ.

MURETE, eloquii decus, & lux maxima vatum,
Cui duplici exornat laurus honore comas,

Seu

Seu propter rivi trepidantis lexiter undam
Percutit argutæ millia fila lyræ;
Seu Grajæ, aut nostræ captus dulcedine linguæ,
Facunda æstivum conteris arte diem:
Accipe missa tibi devoti munera tuli,
Munera, quæ absenti mittere cogit amor.
Nec mirere, rudes numeros quod Epistola reddit,
Nec benè distinctus ludit in aure sonus.
Flamma furit sævo latrat Canis improbus igne,
Et Nemeæ fundit terror ab ore faces.
Non licet urbanis nobis captare quietem,
Tanto nox æstu languida membra quatit,
An rursus Phaeton terris incendia miscet,
Et patrios frenat non benè sanus equos?
Nec tu Phœbe tuos audis iactare querelas,
Aurea non vates linquere plectra vides?
Ter laudes ego Marce tuas dum dicere tento,
Quæque tibi æternam facta dedere diem,
Ter vox fracta meis raucis in faucibus hæsit,
Ter cecidere mea plectra sonora manu.
At tu dum tellus ardes, dumque æstuat aer,
Incolis Aegæi Tiburis hospitia.
Istic auratas demulces carmine quercus,
Et flectis dociles ad tua plectra feras,
Inter Palladias oleas spirantibus auris,
Inter lympharum murmura membra levas.
Hinc tibi conchanitet variis distincta lapillis,
Hinc redolent flores, hinc vaga cantat avis;
Illinc Phœbeæ præbent umbracula lauri,
Ostentant Nymphæ florea serta manu.
Vndique conciliant prædulce flumina somnos,
Et cum tercentum fontibus Albuneæ.
Adsunt Aonides, fidibusque decorus Apollo,
Et salit ante tuos Gratia amica pedes;
Nec non docta Pales festas agitare choreas
Audet cum Satyris conseruisse manus.
Sæpè & de vitreis surgunt Nereides undis,
Sæpè Anio placidum tollit ab amne caput.

Hic

Hic per te Cyrram superat celebremque Aganippem,
Se quibus irriguus Graecis iactat aquis.
Ergo mi placidum per dura silentia noctis
Lathi dem reddis Latheidaeque choros,
Aestivos ut relevans membra irrequieta calores,
Attingam Anii stagna beatis igi.
Illic non radius caelum inflammatur acutis,
Sed ver perpetuum est, grataque temperies.
Te duce, sublimem tollit quem gloria fandi,
Et Musae doctos edocuere modos,
Perdiscam eloquium cantusque adjungere nervis,
Quando Virgilio es nec Cicerone minor.

Ad eumdem Tiburtina secunda.

NUNC vaga conspicuo volvuntur sidera motu,
Claraque candenti Cynthia luce micat.
Nox silet & silvis volucres, armentaque campis,
Et placidus pisces per mare somnus habet.
Solus ego gravium confectus pectora curis,
Insomnes oculos nocte cadente traho:
Ac postquam illuxit maestus peto summa Quirini,
Rura nimis Domini facta superba tuo.
Implentur clamore nemus, resonatque querelis:
Attamen heu! misero fert mihi nullus opem.
Huc illuc rapior, nunc vocis imagine lusus
Sive tua Pince, Romule sive tua,
Hinc etiam umbrosa saltus, redimitaque silvis
Lustra adeo, raucus teque subinde voco.
Te voco sed frustrà: namque vox respondet abantris
Sola, sed aspectus effugis illa meos,
O quoties Zephyri decepti murmure, & aura,
Sum ratus optatos insonuisse pedes?
Quis prosint Musae si te Murete, recessus
Argei retinent Martis ab Urbe procul?
Heu! sine te non plectra juvent, non Palladis arces,
Laurea non nostri grata sit ulla comis,
Felix o Tibur, nimiùm felicia rura.

Sul-

Sulphureis Anio quæ rigat uber aquis.
Vos juvat eximium per amœna silentia Vatem
Cernere, Pierios ore ciere modos,
Dulciaque auratis sociantem carmina nervis,
Sive tuis Sapho sive Corynna tuis.
O utinam tibi me comitem per rura dedissem,
Et studiis possem semper adesse tuis!
Nunc quoniam sublata mihi mea gaudia cerno,
Et quo nil nobis charius esse potest;
Fonte sub umbroso lachrymas, gemitusque profundo
Corde traham: in lachrymas lumina ab te novus,
Donec fausta dies redeat, qua redditus Urbi,
Aspectu exhilares Romula tecta tuo.
Fronde Pater viridi cinget tunc tempora Tibris,
Tunc & in Hortinos lætior ibit agros:
Tunc septem colles discretaque collibus arva
Pro spinis passim lilia cana ferant.
Interea assiduum charta lenire dolorem
Me juvat: est gemitus charta medela mei.

Ad eumdem Tiburtina tertia.

HACTENUS *assiduis lacrymis lenire dolorem,*
Mœstaque cum lacrymis ora rigasse piis:
Jam cessere metus, vivit pars pectoris una,
Pectoris atque tui, pectoris atque mei.
Irrita Tartareis fuerat quæ missa cavernis,
In latebras celeri Mors fugit ecce pede;
Scilicet admirata animum, teneramque juventam
Ripariî & roseo quod micat ore decus,
Secum irâ infrendens dixit: Felicia vives
Sæcula, non ullo tempore digne mori.
Si fera Mureti poterat Mors ferre querelas,
Et longos gemitus quos Animo retulit;
Illa vel Hircani poterat nutrita sub antris
Dicier, aut rigidas vincere corde feras,
Nos læti interea celebremus ruris honores,
Dum festos ducit rustica turba choros,

Hue

Huc Lenæe veni, nigris cui nexa corymbis
Cornua inexhausto sparsa liquore madent;
Sed juvenis, mollique veni lanugine, qualem
Te primum vidit mistum Ariadnæ choris:
Et palla illudat tali, niteatque cothurnus.
Et crepet ad Thrygios tibia curva modos.
Dum licet, Alpheseibæus oves oblitus & agnas
Finget ad undenos dulcia verba pedes:
Nais, & immistis colludet amica Napæis.
Nectet & Hyblæis florea serta rosis.
Et vos ferte caput virens Sebethides undis
Najades, & compti Nympha Aniena comis:
Nam vestras miserata preces, miseratague fletus,
Aurea de cælo prospicit arva Ceres.
Tu quoque, dum varios exculti ruris honores
Suspicis, Antoni, fluminis hospitia;
Custodes nemorum spectas de rupe propinqua,
Quive grave semper sulphure campus olet:
Et modò felici observas vaga murmura cura,
Murmura qua saliens lympha Aniena movet.
Mecum cantando mordaces eximo curas,
Tangoque de lacrymis plectra rigata tuis,
Te cumulare juvet veteri crystalla Lyæo,
Quæ circùm ex apio lapsa corona teget.
Sint placidæ visenda tuis convivia mensis,
Pocula sint vario conspicienda mero.
Post tristes hiemes redeunt bona gaudia, duræ
Tempora post, surgit facta serena dies.

M. Antonii Mureti Tumulus.

Hîc Marci charos cineres Roma inclyta servat,
Quos patria optasset Gallia habere sinu.
Stat Colle Hortorum tumulus, stat proximus astris,
Quæ propiùs puro contigit ille animo.
Tu sacros latices lacrymans asperge Viator,
Et dic: Heu lingua hîc fulmina fracta jacent!

Situs

Situs eſt M. ANT. MURETUS, de litteris optime meritus, Romæ in Colle Hortulorum, ad *S. Trinitatis* Altare ſummum Fratrum Minorum.

IN LUCULLANUM

MARCI SYTICI AB ALTÆMPS

Sacri Imperii Principis, & S.R.E. Cardinalis ampliſſ.

JULIUS ROSCIUS HORTINUS.

LUCULLI ſedes, felicia rura, receſſus
Muſarum, caſtæ Procerum Sacrique Senatus
Delicia, Mons æterno celebrande Dracone,
Pontificum hoſpitium, fortunatiſſima tellus
Alcinoi prælata jugis quam Marcus honore
Extulit, & duro juſſit miteſcere clivo.
Hic quocumque oculos vertam, frondoſus Jacchus
Aſſurgit collis locuples, baccaque vireſcit:
Hac campos luſtrare iuvat, quo is Thuſcula Nympha
Ludere ſæpe ſolet, Dryadum comitante chorea:
Hac lucis errare ſacris & rupibus altis,
Quas carmata manus iaculis haſtaque ſonanti,
Delia venatu aſſiduo curſuque fatigat,
Hic non ſævit hyems arces non duplicat æſtus
Syrius, aſpirat Zephyris ſed lenibus æther.
Quis riguum quis pingue ſolum canat? ubere vena
Exilit, & viridi cingens juga margine lympha
Perſtrepit, in fontemque cait ſic flumine ſacro
Caſtalis excurrens ſeſe Permiſſide miſcet.
Aſpicis, ut ſociata hederis ſerpentibus ulmus
Mentito ornatu liquidas aſſurgit in auras?
Aurea prapandit ſuſpenſam porticus uvam,
Et Domino gaudet præbere umbracula vitis.
Dum cantu exercentur aves, philomela peremptum
Plorat Itym, dulcique ſono nemus omne reſultat,
Hæc campo data cura prior, Majora ſuperſunt

Quæ referant alii & splendant tecta aurea, quorum
Non nostrum est brevibus laudes includere chartis.
Id decus est maius quam quod vel Hymetia saxa,
Vel Lybicæ exæquent rupes, vel molibus astra
Attingens Memphis, Regumque elata sepulchris.
At tu magne ALTÆMPS *Luculli nobilis hæres,*
Urbanos linquens strepitus, curisque solutus,
Hic requiem petis, atque agiles ad sidera sensus
Extollis terræ oblitus, rerumque minorum
Mente Deum pura meditans sedesque beatas.
Hinc robur iuvenile redit, florentibus annis
Quod fuerat, cum te latis Germania campis
Ense coruscantem patrius cum cerneret Ister
Abluere hostili perfusam sanguine dextram.
Victor ova: è duplici Virtus clarissima serto
Tempora præcingit; pace & te attollis & armis.

DE ITALIÆ CIVITATIBUS VERSUS ITALICI.

FAma è tranoi ROMA *pomposa, o santa,*
VENETIA *ricca, saggia, & signorile,*
NAPOLI *odorifera è, gentile,*
FLORENZA *bella tutto' l mondo canta,*
MILLANO *d'esser grande ogn' hor si vanta,*
BOLOGNA *grassa*, FERRARA *è civile,*
PADO *forte*, PERGAMO *sottile,*
GENEVA *di superbia altera pianta,*
VERONA *degna*, è PERUGIA *sanguigna,*
BRESCIA *l'armata*, è MANTOA *gloriosa,*
RIMINI *buona*, è PISTOIA *ferrigna,*
SIENA *loquace*, LUCCA *industriosa,*
FORLI *bizarre*; è RAVENNA *benigna;*
E' SINIGAGLIA *de l'aria nojosa,*
E' CAPOA *amorosa,*
TISA *pendente è* PESARO *giardine,*
ANCONA *del bel porto pellegrine;*

Fer-

Fedelissimo URBINO,
ASCOLI *tonda*, *è lungo* RECANATE,
FOLIGNO *de le strade inzucherate.*
Essen dal Ciel mandate
Le belle donne da FANO *si dice,*
Ma SIENA *è de l'altre piu felice.*

URBIUM ITALICARUM DESCRIPTIO,

THOMÆ EDWARDI *Angli.*

Sancta est Sanctorum pretioso sanguine ROMA.
Cingitur urbs Venetum *pelago ditissima nummis.*
Inclyta Parthenope *gignit Comitesque Ducesque*
Est Mediolanum *jucundum nobile magnum.*
Excellit studiis secunda Bononia *cunctis.*
Splendida sollertes nutrit Florentia *cives.*
Genua *habet portum, merces que domosque superbas.*
Exhaurit loculos Ferraria *ferrea plenos.*
Verona *humana dat singula commoda vita*
Extollit Paduam *Juris studium & Medicina.*
Illustrat Senas *patria facundia lingua.*
Maxima pars hominum clamat miseram esse Cremonam
Mantua *gaudet aquis ortu decorata Maronis:*
Vina Utini *varias generosa vehuntur ad urbes.*
Brixia *dives opum parce succurrit egenis.*
Italicos versus profert Papia *Latinis.*
Libera Lucca *tremit Ducibus vicina duobus.*
Flent Pisæ *amissum dum contemplantur honorem,*
Commendant Parmam *lac, caseus atque butyrum*
Non *caret hospitio pulchra* Placentia *claris*
Taurinum *exornant virtus, pietasque fidesque.*
Militibus validis studiosa Perusia *claret.*
Emporiæ *in portis consistit gloria clausis.*
Mordicus Mutinæ *ranas tenet esse salubres,*
Contemnunt omnes Auconæ *mœnia Turcas.*
Litibus imponit finem Macerata *Picenis,*
Urbs Livii *celebris nimis est proclivis ad arma,*

Bergomum *ab inculta dictum est ignobile lingua.*
Vercellæ *lucro non delectantur iniquo.*
Odit mundanas sincera Novaria *fraudes.*
Clara per antiquæ defecit fama Ravennæ.
Permistos Comites Vicentia *nutrit egenos.*
Omnibus exponit gladios Aretium *acutos.*
Dulcia felicem cingunt vineta Cesenam.
Civibus humanis decorata est Asta *fidelis.*
Fructibus, anseribus, pomarium Ariminum *abundat.*
Omnes commendant sicut grossosque Pisauri.
Castaneis, oleo, tritico Pistorium *abundat.*
Rustica frugales nutrit Dertona *colonos.*
Postponit Regium *cornuta animalia porcis.*
Tarvisium *exhilarant nitido cum flumine fontes.*
Sancta parent cunctis peregrinis claustra Viterbi.
Imola *divisa est, nec hac divisio multis.*
Urbinum *statuit Ducibus clamate* Valete.
Nota est fictilibus figlina Faventia *vasis.*
Laus Pompeja *boves pingues producit oviesque*
Spoletum *clamat*, Peregrini intrate, manete.
Narnia *promittens epulum, dabit ova, vel uvas,*
Concilium illustrat sanctum Generale Tridentum.
Assisium *sancti Francisci corpore gaudet.*
Fanum *virginibus fertur florere venustis.*
Hospitibus Comum *pisces cum carnibus offert.*
Quærit opes fragiles studiis Savona *relictis.*

LAURETUM

Lauretum *properant Magnates quolibet anno,*
Fundentes lachrymas, munera, vota, preces.
Lauretum *nudis pedibus plebs crebra frequentat,*
Quam movet internus religionis amor.

ITA-

SOC. SCIENT. LITT. ET ART. LUND

ITALIÆ URBES CLARORUM JURIS CONSULT. ORTU CELEBRES.

NICOLAI LEORINI Silesii.

I Vrisconsultos anteit dux BARTOLVS *omnes,*
Quo Saxoferratum sonat
Proximus huic BALDVS *gemino eum fratre togato,*
Perusiæ *decus sua.*
Tertia palma datur PAVLO, *cui patria* Castrum,
Post hos JASON *obtinet*
Primas, luce alius prior, & prior ordine cunctis,
Quo gaudet urbs Insubrium.,
ALCIATO *pariter magno*, DECIOQ. *superba*
Cum BVTRIO Bononia.
MARSILIOQ. *suo, &* SALICETO, AZONEQ.
ACCVRSIO Florentia *plaudit*
Brixia LANFRANCO, *felix* Verona CEPOLLA:
Et ALBERICO Bergamum,
Cumque suo MARIA Ferrâtia *Clara* FELINO,
Et ALVAROTO Patavium.
Et te FERRARI, *celebris*, RIPAQ. Papia,
Patre CVRTIOque *& filio*
Denique SOCINO *seu* Sena *superbit utroque,*
Et ANGELIS Aretium.
Si legis hos um judicio lege; deinde reserva
Fori relictos usibus

ITEM POETARUM ORTU CELEBRES

M. VAL. MARTIALIS.

VErona *docti syllabas amne Vatis,*
MARONE *felix* Mantua *est.*

Censetur Apona LIVIO *suo tellus*
Stellaque *nec* FLACCO *minus*,
APPOLLODORO *plaudit imbrifer* Nilus,
NASONE Peligni *sonant*.
Duosque SENECAS, *unicumque* LVCANVM
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent jocosæ CANTO *suo* Gades.
Emerita DECIANO *meo*.
Te LICIANE, *gloriabitur nostra*.
Nec me tacebit, Bilbilis.

NICOLAI LEORINI

Urbs Venetum BEMBOS *loquitur* BALBOSque *Poëtas*,
NAVGERIOSque *suos*:
Mantua *Virgilii* CAPILVPOS *numine plenos*,
CASTILIOSque *duces*.
At MOLSAS Mutina, *&* SADOLETOS *jactat alumnos*,
CORISIOSque *suos*,
Brixia TAYGETOS *celebrat*, FAVSTVMque SABÆVM.
CÆSARE *cum* DVCHIO,
Felsina *cum* BOCHIO *comendat* ACHILLE CAMILLOS,
FLAMINIOque *Pio*.
Te DACTI *similemque tibi* Florentia *vena*
Prædicat ANGELIVM.
Te COELI, BIGVMque *canit* Ferraria *culta*
STROZZIPENASque *duces*.
Parva *colit* VIDAM, *lepidumque* Cremona FÆRNVM,
LAMPRIDIVMque *suum*.
Cum FRACASTORIO COTTAM Verona *recenset*,
SCALIGEROSque *duos*
Lucca *sed* ALTILIO, MAPHÆO Lauda *triumphat*,
AONIO Verulum.
Sirenium urbs JOVIANE *tuo*, SYNCEREque *plaudit carmina* Parthenope.

FINIS.

INDEX URBIUM ET LOCORUM MAGIS ILLUSTRIUM.

A

Academia villa Ciceronis. 562
Adria. 223
Albia flumen, Paglia. 199
Altinum. 36
Aneon. 245
Andes, Pietoli. 215
Angleria, Angera. 140
Angvillaria. 204
Appenum, Abbano. 65
Aqua pendens. 200
Aretium. 194
Argenta. 225
Ariminum. 236
Arnus flumen. 182 183
Arquatum 65
Assisium. 266
Asula. 105
Asulum. 36
Ateste, Este. 66
Athesis flumen. 92
Avernus Lacus. 567
Aversa. 509
Atella. 510

B.

Baccanum. 204
Bacchilio flumen 59.
Baja veteres. 565
Barlasina. 137
Bassanum. 30
Benacus, Lagodi Garda. 100
Bergomum. 109
Bibiena. 190
Bobium. 151
Bononia Bologna. 163
Bononiensia suburbia 173
Bononiensis ager. 176
Braccianum. 204
Brembus flumen. 112
Brittonorium. 236
Brixia. 101
Brixiensis ager. 104
Burgus S. Donini. 155
Burgus Tari. 155.
Butrium. 179

C.

Cajeta. 499
Camerinum. 264
Campesium. 31.

Campus S. Petri. 165
Canoſſa. 157
Caprarola. 204
Capuſianum, Capugnane. 177
Capua. 507
Caravaſſium, Caravaggio, 107
Carpen. 161
Caſentinum. 190
Caſſanum. 107
Caſſianum. 193
Cataium. 66
Caſtellio. 205
Caſtellio, Caſtiglione. 177
Caſtellum Plebi ſaccium. 65
Caſtrum novum. 158
Caſtrum francum. 36
Caſtrum S. Salvatoris. ibid.
Centum. 178
Centum cellæ, Citta vecchia. 203
Cerualdum. 193
Cervia. 235
Cingulum. 264
Ciſmonus flumen. 30
Citta della. 65
Cocaſum. 105
Collaltum. 36
Colurnus. 155
Comac ũ, Comacchio 226
Comum. 137
Coneglanum, Conegliano. 36
Corrigium. 158
Cornetum. 202
Covolus. 30
Cliterna. 180
Clodia. 224
Cluſium, Chiuſi. 198
Crema. 108
Cremera. 204
Cremona. 206
Cuma. 569

D

Deſentiavum. 101
Ducia, Dozza. 180

E

Empolus 191

F

Fabrianum. 264
Faliſcum, Monteſiaſcone 201
Fanum Fortunæ. 241
Feltrium. 30
Ferraria. 216
Feſulæ. 189
Fidentiola Tuſciæ. 182
Fidentiola, Fiorenzuola 152
Fighium. 194
Florentiæ 182
S. Flora. 199
Formiæ, Mola. 575
Fortunæ Fanum. 241
Forum Pompilii. 236
Forum Semproniì, Foſſumbruno. 243
Forum Livii, Forli. 235
Fulgineum, Foligno. 265
Fundi. 498

G

Gambararia. 58
Graſiniana prov. Grafignana. 158

Crossetum. 199
Guastalla. 211

H

Horta, Horti. 203

I

Idex flumen, Idice 180
Interamna, Terni. 268
Italiæ laus & divisio ab 13. *usque* 25

L.

Lacus Avernus. 567
Landriarum. 146
Larus lacus, Lago di Como. 137
Lauda. 146
Laureum. 249
Lemniacum. 66
Lendinaria Abbatia. 68
Lentia flumen. 256
Leucus, Lecco. 139
Liternum. 571
Lucca. 191
Luculli villa. 561
Luer. 112
Lyris flumen, Garigliano. 506

M

Macerata. 265
Mantua. 211
C. Marii villa. 561
Marinum. 493
S. Marinus. 239
Mariscanonum. Scarlino 197
Maresica. 33
Massa. 197
Mediolanum. à 113. *usque* 142
Meduaci origo, Brenta. 31
Melignanum. Marignano 146
Merghera. 36
Mestre. *ibid.*
S. Miniati oppidum. 191
Minturnæ. 573
Minturnæ Paludes. 574
Misenum. 552.
Modœtia, Monza. 138
Mons Baldus. 100
Mons Illitinus, Monte Alcino. 197
Mons Politianus, Monte Pulciano. 198
Mons Silicis 65
Mortarium 66
Motta 36
Mugellum. 190
Muranum. 51
Mutina, Modena. 159

N

Narnia. 270
Narvesium. 36
Neapolis. 511
Nympharum Templum 548

O

Piterium. 36
Otriculum. 272

P

Paludes Minturnæ. 575
Papia. 142
Parma. 152
Patavium, Padoa. 58
Pausilypus, Posilippo. 529
Pergamum. 30
Perusium, Perugia. 267
Petilianum. 205
Pientia, Corsignano. 198

Pisaurum. Pesaro. 240
Pissia. 191
Pistorium, Pistoia. 190
Placentia. 149
Plebs Saceum, Pieve di Sacco 65
Pontremolus. 156
Porrecta. 177
Praia Abbatia. 65
Pratum. 190
Pratolinum, 189
Praneste, Palestina 578
Privernum Piperno. 494
Pulverarius pagus. 65
Puteoli, Pozzolo. 541

Q

Quintianum. 105

R

Ravenna. 227
Recanatum, 264
Regium Lepidi. 156
Rhenus flumen. 178
Rhodigium, Rovigo. 67
Rho 139
Ricinetum. 264
Roma urbis elogia. 277
Roma Admiranda. 287
Romanorum villa. 558
Roncilio, Ronciglione. 203
Rosulum. 204

S.

Sabuloneta, Sabioneta. 210
Salodium 101
Sancti Angeli Castrum. 146
Sanguinetum. 66
Sapina flumen, Sabena. 180
Saxolum Scala arx. 30
Sandianum. 158
Scarparia. 189
Sena. 195
Secchia flumen. 160
Senogallia. 244
Serchius flumen. 191
Serius flumen. 112
S. Severinus 264
Sinuessa. 573
Sirmio, 101
Sona. 201
Soncinum. 108
Spóletum. 268
Suburbia Bononiensia. 173
Suessa. 505
Sugana Vallis. 30
Sanctus Geminianus. 193
Sutrium. 203
Synope. 573

T

Tarricina. 495
Tarquinia. 205
Tarvisium. 34
Tarus flumen. 155
Templum Nympharum. 548
Tiberiacum, Bagnacavallo 225
Ticinum, Pavia. 225
Tibur, Tivoli. 583
Tolentinum. 265
Trebbia flumen. 151
Tridentum, Trento. 25
Tuscanella. 201

V

Valles Brixia. 105

Vasta-

Vastanea. 30
Velitræ Velitri. 577
Venda mons. 66
Venetia à 37 usq; 58
Verona 88
Veronensis ager. 96
Vicetia, seu *Vicentia.* 68
Vicetinus ager. 80
Vigola. 161
Viglebium, Vigevano. 140
Villa Academia Ciceronis 562
Villa C. Marii. 561
Villa Romanorum. 558
Viquena. 145
Viterbium. 201
Volaterra, Volterra. 194
Volsinium, Bolsena. 200
Urbinum. 239
Urbs vetus, Orvieto. 201
Urcei novi. 104

Z

Zuecca insula Venetum. 52

FINIS.

SCIENT. LITT. ET ART.


image
not
available